RELIGIOSUS IN SOLITUDINE, OPUS, QUO PERSONIS PRAECIPUÈ...

Giovanni Pietro Pinamonti

Digitized by Google

BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO EBORENSE
31
1 B
20

Digitized by Google

Digitized by Google

Usui simplici P. F. Nicolai [illegible] a Valent.º 1821

Digitized by Google

RELIGIOSUS
IN
SOLITUDINE,

OPUS,

Quo Perſonis Præcipuè Religioſis traditur Modus utiliter vacandi

EXERCITIIS SPIRITUALIBUS

S. P. IGNATII DE LOYOLA,

Profuturum & aliis,

Qui hujusmodi mediô ſtatum ſuum Reformare deſiderant;

Italicè olim editum

A

R. P. JO. PETRO PINAMONTI
SOCIETATIS JESU,

Nunc verò

Latinitate donatum

AB ALIO EJUSDEM SOCIETATIS SACERDOTE.

SUPERIORUM PERMISSU.

RATISBONÆ
Sumptibûs Felicis Bader.
Annô 1733.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO INTERPRETIS.

PLeraque opuſcula R. P. Joannis Petri Pinamonti ob utilitatem ac præſtantiam ſuam non modò in Germanicam, ſed in Latinam quoque linguam translata ſunt. Id unum, quod præ manibus habes,

 Amice

Digitized by Google

Amice Lector, licèt jam ante complures annos Germanicâ linguâ donatum ſit, Latinè tamen loqui, quod ego quidem noverim, in hanc uſque diem non didicit. Neque verò id adeò mirum eſt. Scripſit nimirum Autor opuſculum hoc in uſum duntaxat Virginum Sacrarum, quas Moniales appellitamus, quæ cùm latini ſermonis plerumque ſint ignaræ, cur liber, in earum unicè gratiam ſcriptus, latinè verteretur? Verùm cùm in hoc ego libro cibum invenirem, non fœminis

Digitized by Google

minis tantùm, ſed fortibus etiam viris idoneum, propriâ quoque virorum linguâ, latino, inquam, ſermone digniſſimum judicavi, ut Viri etiam Religioſi habeant, quo ſacræ ſolitudinis tempore è ſapidiſſima Viri Religioſiſſimi, & Sancto Spiritu pleniſſimi, penu ſe paſcant. Ne verò in ipſo libelli hujus uſu offendiculum haberent, id unum in verſione mutandum mihi cenſui, ut, dum Autor Sacras Virgines, ego Viros Religioſos alloquerer, ac proin illa, quæ Autor fœminino

genere exprimit, ego maſculino potiùs efferrem. Hinc & ipſe libri titulus ita mutatus eſt, ut, cùm ab Autore *Religioſa in Solitudine* proponatur, â me *Religioſus in Solitudine* ſiſteretur. Sunt quidem & alia nonnulla, quod fateor, in libri decurſu paululùm immutata, ſed ea duntaxat, quæ hoc ipſum diſcrimen immutari nonnihil deſiderabat. Interim tamen & in his, ùt in cæteris quoque omnibus, Autoris mentem ac propoſitum aſſequi pro viribus ſum conatus. Id verò ſi obtinui, tibi

bi

Digitized by Google

bi gratulor, Amice Lector, cujus unius commodo tenuem hanc opellam meam conſecravi. Tu itaque, ſi libet, illâ fruere ad tuam ipſius, & multarum quoque aliarum animarum utilitatem ac ſolatium; DEum verò pro me precare, ut, dum aliis laboro, me ipſe non negligam.

FACUL-

FACULTAS
R. P. PROVINCIALIS, CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

Cùm Dominus Felix Bader, Civis & Bibliopola Ratisbonenſis, Librum, cui titulus: *Religioſus in Solitudine &c.* à R. P. Joanne Petro Pinamonti Soc. JESU Italice conſcriptum, nunc in linguam Latinam ab alio ejusdem Societatis Sacerdote translatum, typis vulgare deſideret, ego Joſephus Mayr, Societatis JESU per Germaniam Superiorem Præpoſitus Provincialis, poteſtate ab Admodum R. P. Franciſco Retz, ejusdem Societatis Præpoſito Generali, mihi conceſſa, eidem ad hanc primam editionem facultatem impertior, ſimúlque communico Privilegium Cæſareum, quo aliis Bibliopolis & Typographis interdicitur, ne dictum librum citra conſenſum Superiorum vel vendere, vel intra fines Imperii, & Hæreditarias S. C. M. Provineias inferre præſumant. In cujus confirmationem has litteras chyrographô meô, & conſuetô officii ſigillô munitas dedi. Monachii 18. Jauuarii 1733.

(L.S.) *Joſephus Mayr.*

INDEX.

Digitized by Google

INDEX IN RELIGIOSUM IN SOLITUDINE.

INTRODUCTIO ad ea, quæ tractanda ſunt. §. I. *Pag.* 1.

§. II. *Quid rei ſint Exercitia Spiritualia S. Ignatii, & quod genus occupationum comprehendant.* 5.

Digitized by Google

§. III. *Inſtructio breviſſima pro Oratione mentali.* 10.

§. IV. *Inſtructio de Uſu Lectionis ſpiritualis, & Examinum.* 18.

§. V. *Quocum diſpoſitionis genere aggredienda ſint Exercitia.* 21.

§. VI. *Diſtributio horarum pro tempore Exercitiorum.* 24.

§. VII. *Annotationes pro eo tempore, quod Viæ Purgativæ in Exercitiis tribuitur.* 27.

Meditatio Præparatoria, pridie Exercitiorum facienda: De miſero ſtatu animæ tepidæ. 31.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES PRIMA.

Meditatio prima: De Fine hominis. 36.

Lectio: De Virtute Fidei. 42.

Me-

Meditatio ſecunda: De Mediis ad conſequendum finem ultimum. 67.
Examen: De exteriorum ſenſuum regimine. 74.
Meditatio tertia: De gravitate peccati mortalis. 77.
Meditatio quarta: De pœnis peccati. 84.

DIES SECUNDA.

Meditatio prima: De Peccatis propriis. 91.
Lectio: De Virtute Spei. 97.
Meditatio ſecunda: De Malis, quæ continet, & progignit peccatum. 118
Examen: De Regimine Paſſionum. 123.
Meditatio tertia: De Morte. 126.
Meditatio quarta: De Diſcrimine inter mortem Religioſi tepidi, & Religioſi ferventis. 132.

DIES TERTIA.

Meditatio prima: De Judicio particulari. 138.
Lectio: De Virtute Pœnitentiæ. 145.

Me-

Digitized by Google

Meditatio ſecunda: De Judicio univerſali. 162.

Examen: De Regimine trium Potentiarum animæ. 169.

Meditatio tertia: De Pœnis inferni. 172.

Meditatio quarta: De Affectibus Animæ damnatæ. 178.

DIES QUARTA.

Meditatio prima: De Malo peccatorum venialium. 185.

Lectio: De Virtute Humilitatis. 191.

Meditatio ſecunda: De Parabola filii prodigi. 215.

Examen: De Statu Defectuum & Virtutum tuarum. 221.

Annotationes pro eo tempore, quod Viæ Illuminativæ in Exercitiis tribuitur. 225.

Meditatio tertia: De Regno Chriſti. 226.

Meditatio quarta: De Beneficio Incarnationis. 231.

DIES QUINTA.

Meditatio prima: De Nativitate JEſu Chriſti. 237.

Le-

Lectio: De Virtute Paupertatis. 242.

Meditatio ſecunda: De Circumciſione Domini. 263.

Examen: De Modo, quo te geris erga Deum. 268.

Meditatio tertia: De Adventu Magorum ad adorandum JEſum. 271.

Meditatio quarta: De JEſu perdito, & in Templo reperto. 276.

DIES SEXTA.

Meditatio prima: De Chriſti Tentatione in Deſerto. 281.

Lectio: De Virtute Obedientiæ. 286.

Meditatio ſecunda: De duobus Vexillis. 307.

Examen: De Modo, quo te geris erga Proximum. 313.

Meditatio tertia: De Vocatione Religioſa. 316.

Meditatio quarta: De Doctrina Evangelica, quam Chriſtus in octo Beatitudinibus explicavit. 323.

DIES

Digitized by Google

DIES SEPTIMA.

Meditatio prima: De Inſtitutione SS. Eucharistiæ. 330.
Lectio: De Virtute Religionis. 336.
Meditatio ſecunda: De Cauſis, ob quas in horto Chriſtus ſudavit Sanguinem. 349.
Examen: De Modo, quo te erga teipſum geris. 355.
Meditatio tertia: De Injuriis, Chriſto irrogatis apud Tribunalia. 358.
Meditatio quarta: De Negatione S. Petri. 362.

DIES OCTAVA.

Meditatio prima: De Flagellatione JEſu Chriſti. 369.
Lectio: De Caritate erga Proximum. 374.
Meditatio ſecunda: De ſpinea Coronatione. 397.
Examen: De Modo, quo te geris erga Religionem, & ſancta Vota. 400.
Meditatio tertia: De Cruce, à Domino bajulata. 405.

Me-

Digitized by Google

Meditatio quarta: De JEſu Chriſto Crucifixo. 411.

Annotationes pro eo tempore, quod Via Unitivæ in Exercitiis tribuitur. 417.

DIES NONA.

Meditatio prima: De Reſurrectione Chriſti. 419.

Lectio: De Caritate erga Deum. 423.

Meditatio ſecunda: De Aſcenſione Domini. 449.

Examen: De Perfectione Operum magis conſuetorum. 454.

Meditatio tertia: De Adventu Spiritûs Sancti. 465.

Meditatio quarta: De Gloria Paradiſi. 470.

DIES DECIMA.

Meditatio prima: De Titulis amandi Chriſtum Dominum. 477.

Lectio: De Puritate Intentionis in operando. 483.

Meditatio ſecunda: De Intentioni-

bus

bus Chriſti in inſtituenda SS. Evchariſtia. 504

Examen: De Deſiderio Perfectionis, & de Signis Profectûs in Spiritu. 510.

Meditatio tertia: De Beneficiis à Deo acceptis, ad excitandum Illius amorem. 514.

Meditatio quarta: Ad excitandum Amorem erga Deum. 520.

MEDIA pro conſervando Exercitiorum fructu. 527.

EXERCITIUM Præparationis ad mortem. 529.

Digitized by Google

INTRODUCTIO
Ad ea, quæ tractanda ſunt.

§. I.

PRovidentia illa non minùs ſuavis, quàm fortis, qua Dominus aſſiſtit Eccleſiæ ſuæ, forſan non apertiùs alibi deprehenditur, quàm dum ille inimicorum ſuorum machinas convertit in illuſtriſſimam triumphi ſui pompam. Enimvero quis non videt, Eccleſiam eſſe Regnum illud æternum, prædictum à Daniele *Cap. II. v. 44. Regnum, quod in æternum non diſſipabitur;* dum eam conflictus ipſi ſtabiliunt, rebelliones fortiorem efficiunt, & ipſæmet adeò jacturæ illi adjiciunt incrementnm? In ultimis hiſce ſeculis conabatur Sathanas, adhibitis hujus temporis Hæreſiarchis, omnes Antiquorum errores unà ſimul reſuſcitare, ut eam velut univerſali quodam aſſultu impeteret. Sed quid ille demum obtinuit hoc molimine? Veritates tantò magis ſunt dilucidatæ, fidei dogma-

ta tantò ampliùs ſunt confirmata, & exortæ per Septentrionem perſecutiones fuerunt equidem ventus vehemens; verùm non ad extinguendam, ſed ad excitandam iterum flammam.

Simili pené modo temporibus noſtris vidimus homines, qui, ut Fidelibus meditationis uſum ingratum redderent, eos perſuadere conabantur, hujusmodi exercitium incipientibus ſolummodò convenire; atque, poſt pauculos menſes in eo poſitos, diutiùs in eodem ſe detinere, non fore in via perfectionis currere, vel progredi, ſed potiùs ſus déque errare; neque aliud eſſe, quàm moveri ac fatigari multùm, & parùm interim ab itineris exordio recedere. Verùm & hi ipſi Novatores quid denique profecerunt? Ecce majori autoritate ſtabilitum meditationis uſum! ecce dilatatam plùs, quàm aliàs unquam, bonam ſpiritualibus S. P. Ignatii Exercitiis, quæ convellenda ſibi illi deſtinaverant, vacandi conſuetudinem! nam præter Bullam Pauli III. Sum̃i Pontificis, quæ Exercitia illa tantopere com̃endat, cùm juxta Litteras Apoſtolicas Innocentii XI. antequam Ordines Sacri ſuſcipiantur, complurium dierum ſacra Solitudo præmitti debeat, non minùs Romæ, quàm in majori Italiæ parte ſacra hæc Solitudo fit juxta methodum eorundem Exercitiorum S. P. Ignatii, de quo Sanctus alius, Franciſcus nimirum Saleſius, in ſuo Tractatu de Amore Divino, Libro duodecimo,

Cap.

Cap. 8. hæc omnino verba, conſideratione digniſſima, ſcribit: *Tales etiam omnes illi, qui ex inſtituto, factis ſeriis & efficacibus propoſitis ſequendi Dei voluntatem, eum in finem per dies aliquot ſe à negotiis mundanis abſtrahunt, ut animas ſuas diverſis exercitiis ſpiritualibus è gravi ſæpe tepiditatis ſomno ad opera caritatis præſtanda exſuſcitent, nec non ad interiorem vitæ reformationem faciendam inflamment, inducantq́. Quod familiare & ſacroſanctum fuit antiquis Chriſtianis: ſed deinde refrigeſcente paulatim in poſterorum cordibus caritate, neglectum fuit, uſque dum magnus Dei ſervus S. Ignatius de Lojola, Societatis JEſu Fundator, Patrum noſtrorum tempore in uſum reduxit, ac revocavit.*

Eadem omnino ratione ſub illud ipſum tempus, quo falſa hæc de Oratione doctrina, jam aliàs condemnata, in Galliis repullulare incipiebat, divinæ providentiæ diſpoſitione accidit, ut in pluribus illius regni locis variæ domus erigerentur, ad obeunda ſacra hæc Exercitia deſtinatæ, tanto cum hominum accurſu, ut in ea ſolùm domo, quæ Venetiis in minore Britannia fuit erecta, ſub annum milleſimum ſexcenteſimum ſexageſimum ſextum multò plures, quàm octingenti fuerint numerati; idque non minori cum fructu, quàm numerus fuerit, apud omnes hominum gradus, Nobilium ac Litteratorum, Bellicorum Officialium; & Gubernatorum,

 uti

uti fidem faciunt relationes, in publicam lucem editæ. Parem hæc Exercitia progreſſum fecêre in Hiſpaniis, in Germania, in Orbe novo, atque in propinquiore nobis Italia; præcipuè verò in Sacrarum Virginum aſceteriis, quæ iſthoc medio antiquum ſuum fervorem ſive conſervant, ſive reſuſcitant.

Id unum in hoc negotio timeri poteſt, ne iſthæc Exercitia tradantur à Directore aliquo minùs experto, ut qui illîs uſus pro ſemetipſo nunquam fuerit, atque ita ſint arma, debili manu tractata, proindéque ſolitos fructus non edant. Non ſemel accidit, ut Confeſſarius aliquis à pœnitente ſuo rogatus, ut Exercitia ſpiritualia ſibi traderet, roganti librum meditationum porrigeret, moneréique, ut per ſacræ Solitudinis ſuæ dies illîs duntaxat conſiderationibûs ſe occuparent. Verum quidem eſt, quòd terra, de ſe ipſa fertilis, quamlibet etiam exiguam culturam abunde compenſet; at ſi terra, etiam obiter tantùm ſulcata, meſſem nihilominus commodam reddit, quàm abundantem, quæſo, redderet, ſi ſecundùm artem, & cum induſtria coleretur? Hæc cogitatio animum mihi fecit conſcribendi librum, cujus ope Exercitiorum Director magno cum fructu Perſonis Religioſis tradere poſſit methodum ſacrîs ſe Exercitiîs occupandi. Quin imò, ſi forſan in raro aliquo caſu contingeret, ut nullus adeò Director ad manus eſſet, defectum hunc, alioquin valde notabilem, ita ſuppleturum

turum me ſpero, ut Perſona Religioſa, ſolo hujusmodi libro adjuta, ſancto ſuo deſiderio non ſine fructu ſatisfacere poſſit.

Ad Perſonas verò Religioſas in operis titulo me reſtringo, tum quòd illas ſæpenumero invenerim panis hujus cœleſtis tam avidas, quàm hominis indigas, qui hunc illis frangeret; tum etiam, quòd illæ, cùm ſint *illuſtrior portio gregis Chriſti*, ùt eas appellat S. Cyprianus, omnino mereantur, ut earum potiùs, quàm aliarum comodo ſtudeatur. Non tamen ſolis illis hunc meum laborem deſtinatum volo; ſiquidem ille, pauculis mutatis, aliis quoque hominum ſtatibus proficuus eſſe poterit; iis verò potiſſimùm, qui in via Domini, & in Orationis uſu non omnino rudes ſunt.

§. II.

Quid rei ſint Exercitia Spiritualia S. Ignatii, & quod genus occupationum comprehendant.

UT erigatur artificioſa aliqua machina, non ſufficit, multas in unum cumulum rotas, multáque inſtrumenta congerere; ſed oportet, totum opus tam artificiosè contexere, ut rota una innectatur alteri, & inſtrumenta varia ita ſe invicem juvent, ut quælibet operis pars reliquarum ſimul omnium partium virtute operetur. Jam verò Exercitia Spiritualia S. Ignatii ſunt ma-

china quædam cœleſtis, ad perficiendas mutationes admirabiles ordinata, uti ab experientia fere quotidiana compertum eſt; oportet igitur, ut non ſint tantummodo collectio quædam variarum meditationum in uno quaſi cumulo; ſed talis earum ſelectus, & occupationum ſpiritualium tam aptè ordinatarum conjunctio, ut una ſuam alteri vim imprimat, ad obtinendum deſideratum effectum; ad removendas nimirum ab anima inordinatas affectiones, eámque dirigendam ad intimam cum Deo conjunctionem. Siquidem hoc demum eſt facere Exercitia ſpiritualia, ùt ait S. Ignatius: *Præparare & diſponere animam ad tollendas affectiones omnes malè ordinatas; & iis ſublatis ad quærendam & inveniendam voluntatem Dei, circa vitæ ſuæ inſtitutionem & ſalutem animæ, Exercitia vocantur ſpiritualia. Annot. 1.*

Hujusmodi porro artem, ad ſublimem hunc finem aptè conjungendi media, didicit S. Ignatius partim ex lumine, ſibi cœlitus uberrimè communicato, partim ab experientia, in Manreſana ſpecu diuturno tempore per ſemetipſum hauſta. Utraque iſthæc cauſa facem illi prætulit ad componendum admirabilem illum & adeò proficuum Exercitiorum librum, ùt eum Eccleſia Sancta nominat: *Admirabilem illum compoſuit Exercitiorum librum, Sedis Apoſtolicæ autoritate, & omnium utilitate comprobatum. Brev. Roman.* Nos igitur, ut tantò minùs aberremus,

Digitized by Google

mus, hujus ipſius Sancti inſtructionibus inhærere conabimur; &, quoniam Exercitia non minùs ad reformandum, quàm ad eligendum vitæ ſtatum ſervire poſſunt, hîc, quia cum Perſona Religioſa eſt agendum, quæ vitæ ſuæ ſtatum jam elegit, ad eum reformandum omnia dirigemus; primùm quidem removendo impedimenta, poſtmodum verò inducendo diſpoſitiones ad obtinendam perfectionem, hujusmodi ſtatui convenientem.

Primùm itaque in Meditationibus ſtatuitur finis, cujus causâ creati ſumus, & bonus mediorum ad eum obtinendum uſus; ſubinde ob oculos ponitur, quàm grande ſit malum, ab hoc fine per peccatum deflectere, quásque pœnas timere debeat, quisquis ab eo recedit; poſtremò denique diſponitur anima, ut ad exemplum filii prodigi, ad ædes paternas revertentis, per delictorum præteritorum pœnitudinem in bonam ſemitam redeat.

Omnes porro id generis conſiderationes ad removenda duntaxat impedimenta pertinent; ſupereſt, ut inducantur etiam diſpoſitiones, & ſecurè dirigatur anima per inceptum iter; id, quod obtinetur per meditationes de vita Chriſti, & multò adhuc efficaciùs per conſiderationes de illius paſſione, utpote in qua apertiſſima nobis præbuit exempla illarum præcipuè virtutum, quarum exercitium cæteris eſt difficilius, uti ſunt illæ,

quæ non in agendo, ſed in patiendo conſiſtunt. Ultimò denique adjunguntur & aliæ Meditationes, quæ ad glorioſam JeſuChriſti vitam pertinent, quæque animam propinquiùs diſponunt ad amorem Dei, quo in amore ſummum & hujus & futuræ vitæ bonum unicè conſiſtit.

Supponitur, Solitudinem hanc fore decem dierum; verumtamen ſi octo ſolùm dierum fuerit, tantò amplior erit campus, ex propoſitis Meditationibus eas eligendi, quas Director præſenti neceſſitati magis opportunas judicaverit. Aſſignantur pariter cuilibet diei Meditationes quatuor, non, quòd omnes quatuor neceſſariò percurri debeant; ſed ut ex illis eæ ſeligantur, quæ majoris ſunt roboris & efficaciæ. Sunt utique in eadem cythara complures chordæ, neutiquam tamen ſunt ſuperfluæ; quia collocantur in Inſtrumento, ut illud omnes tonos habeat, non verò, ut in quolibet opere muſico pulſentur omnes. Inſuper S. Ignatius magni æſtimat Meditationum repetitionem, ut earum veritates cordi noſtro tantò altiùs imprimantur, veluti ſigillum, quod quantò plùs premitur, tantò exactiùs ſuam figuram ceræ imprimit. Oportebit igitur poſt ſelectas meditationes illas, quæ Directori magis idoneæ videbuntur, in eum illas ordinem redigere, ut nonnullæ ad penitius eas penetrandas iterum aſſumantur, donec perſona illa, quæ vacat Exercitiis, propoſita veritate penitus im-

Digitized by Google

imbuta, ſeriò ſe reſolvat, ipſo illam opere exercere. Ita legimus, S. Ignatium Meditationi Fundamenti de fine hominis certum aliquod tempus non aſſignâſſe, ſed in illa tamdiu detinuiſſe homines, quamdiu neceſſarium illi videbatur, ut veritas hæc, utpote reliquarum fundamentum, firmas in ipſis radices ageret.

Cujuslibet porro Meditationis materia in unitatem aliquam eſt redacta, ad eorum juvandam memoriam, qui librum ad manus non habuerint. Hæc ipſa verò unitas ut magis exprimeretur, ad cujuslibet puncti principium diverſi ſunt adhibiti characteres, qui veluti pro brevi Meditationis compendio ſervient. Si interdum addita ſunt verba quædam è S.Scriptura, etiam illa diverſis characteribûs ſunt expreſſa, ut iis (loquitur hîc Autor de opere ſuo Italico) qui linguam latinam intelligunt, ſint adjumento; illi verò, qui latini ſermonis ſunt ignari, inde non habeant offendiculum.

Præter Meditationes continent Exercitia nonnullas etiam alias actiones ſacras, quæ & ipſæ, fini propoſito ſubordinatæ, plus virium hoc tempore obtinebunt; ſúntque actus exterioris pœnitentiæ, confeſſio vel generalis, vel particularis, ſacra Comunio, iis diebus inſtituenda, quibus Directori videbitur; Miſſæ Sacrificii auſcultatio, vocalis oratio, Viſitationes Sanctiſſimi Sacramenti, colloquia ſpiritualia, preces jaculatoriæ; ſingulariter verò

 com-

comprehenduntur illîs hæc quatuor, Orationes nempe mentales, Examina, Lectio ſpiritualis, & ſincera animi ſui manifeſtatio, Directori facienda. Hîc igitur pro quatuor hîſce capitibus materia magis apta ſuppeditabitur, & brevis aliqua de iisdem inſtructio præmittetur.

§. III.

Inſtructio breviſſima pro Oratione mentali.

QUantumvis hîc ſupponam, Perſonam illam Religioſam, quæ ſacris ſe impendit Exercitiis, in Meditationis uſu non penitus eſſe rudem; nihilominus, cùm iſthæc occupatio gravioris ſit momenti, quàm reliquæ, sítque primaria quodammodo hujus machinæ rota, non poſſum, quin aliquid de illa dicam. Id ſaltem eveniet commodi, ut, dum inſtructiones, quas hac de re Magiſtri Spiritûs reliquerunt, in compendium reduco, tantò plus efficaciæ illis accedat; non aliter, ac amplior fluvius, dum in arctum canalem conſtringitur, tantò majori cum impetu curſum ſuum proſequitur.

Oratio itaque mentalis non eſt exercitium adeò difficile, ut initiô videtur inexpertis; quia denique aliud non eſt, quàm exercitium internarum animæ potentiarum circa objecta, per fidem nobis revelata; proinde ſi con-

conſuevimus à primo manè in ſerum uſque veſperum potentias iſtas exercere circa objecta ſenſibilia, cur dein illas, adjuvante Dei gratia, paulò altiùs non poſſimus elevare ad conſideranda nonnihil æterna?

Hæc oratio dividi poteſt in quinque partes: prima eſt præparatio remota; ſecunda eſt præparatio proxima; tertia exercitium intellectûs; quarta exercitium voluntatis; quinta demum eſt reflexio, vel examen aliquod ſupra modum, in oratione obſervatum.

Præparatio remota conſiſtit primùm in prævidendis ac determinandis punctis, quæ meditanda ſunt. Deinde in prævidendo ac determinando fine, ad quem ſit dirigenda meditatio, & fructu, quem inde conſequi cupimus; qui conſiſtit in emendando aliquo defectu, vel acquirenda virtute aliqua; nam qui meditatur, idem agit, quod is, qui in fonte aliquo ſe contemplatur; non ſolùm enim ſuas in illo maculas videt, ſed etiam abluit. Conſiſtit denique præparatio hæc remota in eo, quòd indormiatur cogitationi de rebus ejusmodi, ſub veſperum ita diſpoſitis, & eadem hæc cogitatio mox iterum reſumatur, cùm de nocte vel manè evigilamus; præcipuè verò, antequam ad meditationem ipſam accedamus.

Præparatio proxima, quæ appellatur etiam Oratio præparatoria, tria pariter continet. 1. Actum vivæ fidei de præſentia Dei, qui & intra & extra nos, & in omni loco per

ſuam

ſuam immenſitatem eſt. 2. Actum profundiſſimæ Demiſſionis, quo Deum adoramus, & peccatorum, adversùs illum admiſſorum, veniam petimus. 3. denique actum petitionis, quo divinum flagitamus auxilium, ut in præſentia Dei reverenter nos geramus, & deſideratum ex oratione fructum eliciamus.

Sequitur Exercitium Intellectûs, qui primùm conſiderat propoſitum meditationis punctum, conatúrque id omne expendere, quidquid conferre poteſt ad penitus ſibi perſuadendam veritatem illam; atque ita illud adimplet, quod dicit Dominus *Joan. 5. v. 39. Serutamini Scripturas*, cùm & aliàs non inveniantur gemmæ ſupra terram, ſed infra, in ejúsque viſceribus. Secundò, Ex bene perpenſa iſthac veritate eruitur alia quædam veritas practica, quæ ad profectum noſtrum pertinet. Tertiò, Fit aliqua reflexio, quo pacto ſe quis circa illam ad iſtud uſque tempus geſſerit? Exempli causâ, ſi pro meditationis tuæ materia terribilem illam mortis conditionem aſſumas, qua ſemel duntaxat quivis moritur: *Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr. 9. v. 27.* conaberis primùm, hanc veritatem bene comprehendere, tum quod illam Fides per Apoſtolum doceat, tum quòd eandem experientia quotidiana demonſtret. Ex hac ſubinde veritate, omnibus communi, aliam veritatem elicies, tibi uni peculiarem, & inde concludes, quòd, ſi mors tam gravis momenti

menti ſit paſſus, ex quo pendeat integra Boni Malive æternitas, &, ſi error, hoc in negotio admiſſus, corrigi deinceps nequeat, extremæ te ſtultitiæ reum facias, niſi ſecuriſſimam quamque adhibeas diligentiam, ut paſſum hunc bene facias. Denique temetipſum inſpicies, quomodo hac in re uſque adhuc te geſſeris; an maximæ huic ſecuritati ac diligentiæ ſtudueris, an verò eam per ſummam imprudentiam neglexeris?

Exercitium intellectûs ſubſequitur voluntas, quæ ex propoſitis conſiderationibus 1. Varios affectus elicit. 2. Propoſita bona concipit, ſéque ſtrenuè reſolvit ad emendanda præterita. 3. Gratiam à Deo poſtulat, qua propoſita perficere queat; & petitioni obſecrationes adjicit, ut majori cum fervore poſtulet. Quemlibet ex his voluntatis actibus, ut meliùs me explicem, declarare oportet.

Quod ad affectus attinet, etſi illos oporteret reſpondere cognitis veritatibus, nihilominus, qui frequentiùs ſolent occurrere, iſti ſunt: Confuſio de præterita vita, malè traducta: Dolor de illata Deo moleſtia; Gratiarum actio pro benignitate, qua nos huc uſque toleravit; Timor illius, quod evenire nobis in futurum poterit, niſi vitam emendemus; & alii ſimiles, qui ſimul omnes duobus hisce verſibus, ad juvandam nonnihil memoriam, commodé concluduntur;

Con-

Digitized by Google

Confundor, doleo, timeo, deſidero, & odi;
Credo, amo, compatior, ſpero, offero, &
actito grates.

Circa Propoſita illud eſt obſervandum, quòd ſine his meditatio ſtudium potiùs foret, quàm meditatio; nihilque id eſſet aliud, quàm in fornace ferrum emollire, poſtmodum verò illud non cudere, non elaborare, ſed intactum relinquere. Obſervandum eſt inſuper circa Propoſita, quòd non ſufficiat, concipere propoſita quædam generica, exempli causâ: *volo emendare mea peccata.* Sed oportet dicere: *volo emendare hoc peccatum in particulari.* Imò neque hoc ſufficere debet, ſed deſcendendum eſt porro ad ſtatuendum aliquod remedium, huic emendationi neceſſarium, quale fors eſſe poſſet, tempus paulò diutius Lectioni ſacræ impendere, diligentior uſus pœnitentiæ, vel quid aliud ſimile.

Jam verò in Petitionibus gratiæ, quæ totius orationis ſunt pars primaria, neceſſarium eſt, ut reverentia tantò ampliùs augeatur, ſiquidem in iis cum Deo magis immediatè verſamur: ſic neceſſarium pariter eſt, ut Petitionibus adjungantur obſecrationes; id eſt, ut afferantur tituli, & rationes, quibûs Deum efficaciùs moveamus ad concedenda nobis ea, quæ petimus; vel, ut meliùs dicam, ut excitemus nóſmet ipſos ad gratias majori cum fiducia poſtulandas.

Hi

Hi verò tituli, & rationes ad tria potiſſimùm capita referuntur.

Primum caput noſtrámet eſt miſeria, noſtra peccata, noſtra debilitas, perverſi noſtri habitus, ſuggeſtiones & rabies diaboli, qui nos ideo perſequitur, quia gerimus imaginem Dei. Háſce noſtras miſerias proponemus, loquendo cum Deo in morem pauperis, qui diviti monſtrat ulçera & vulnera ſua; ut tantò certiùs illum ad miſericordiam & eleemoſynam permoveat; vel etiam aſſumendo perſonam Publicani, aut Leproſi, aut Cæci, aut alterius ejusmodi in Evangelio memorati.

Alterum caput eſt Chriſtus JEſus, dum nempe petimus, & oramus, utì facit in precibus Litanevticis Sancta mater Eccleſia, per ejus Incarnationem, per ejus Nativitatem, &c. dum offerimus ejus jejunia, frigus, paupertatem, famem, dolores, Passionis ejus ignominias, & omnia tam vitæ, quàm mortis ipſius merita; ſiquidem hæc omnia nobis in cruce donavit Chriſtus, & hoc ipſum donum in ſancto Miſſæ Sacrificio denuo confirmat. Oportet igitur uti hoc immenſo theſauro, ac eundem offerre Sanctiſſimæ Trinitati; jam æterno Patri per amorem ſui Filii ſupplicando; jam ipſi Filio exhibendo grande pretium, quod, ut nos redimeret, impendit, & officium noſtri Redemptoris, noſtri Medici, noſtri Advocati, quod in ſe recepit; jam denique rogando San-

Sanctum Spiritum per amorem illum, quo JEſum Chriſtum ob ſuas virtutes, & noſtram Redemptionem &c. complectitur.

Tertium caput eſt Deus, quà Deus eſt; quando nimirum neceſſarias gratias petimus. 1. propter amorem Bonitatis ipſius. 2. Propter ſancti nominis ipſius gloriam. 3. Propter fidelitatem divinarum ipſius promiſſionum. 4. Propter deſiderium, quo fertur in noſtrum commodum. 5. Propter mandatum, quo nos jubet ad ſe recurrere. 6. Propter laudem, illi & nunc & in perpetuum reddendam. Miſcemus interim hiſce noſtris petitionibus gratiarum actionem pro iis, quæ nobis aliàs contulit, beneficiis, ut & fiduciam noſtram augeamus, & per gratiarum actionem pro obtentis ad nova nos dona recipienda diſponamus.

Ultima pars orationis mentalis eſt Reflexio, quæ eſt inquiſitio quædam in tria potiſſimùm capita, poſt finitam meditationem inſtitui ſolita. Primò quidem in modum, qui tum in præparatione meditationis, tum in ipſa meditatione facienda eſt adhibitus. Secundò in acceptas illuſtrationes, & facta propoſita. Tertiò demum in animi diſtractiones & ariditates, quæ ſub meditatione nos obruerunt. Quantum attinet ad animi diſtractiones, quæ diſcurſibus intellectûs interveniunt, atque ad ariditates, quæ voluntatis affectibus obſiſtunt, inquirere oportet, an data illis fuerit occaſio quædam ſive

per

per negligentiam in præparatione, ſive per languidam applicationem in ipſâmet oratione, ſive etiam ante orationem per nimiam libertatem, qua interdiu converſati ſumus cum aliis, vel de rebus tantummodo vanis collocuti; ſive per affectum aliquem inordinatum, ſive per nimiam quandam in rebus temporalibus ſolicitudinem. Sicuti enim apes fumo pelluntur ab alveari, ita per hujus generis defectus cœleſtes illuſtrationes, ſanctíque affectus pelluntur è corde. Malô ſubinde cognitô, in promptu erit remedium, ſi videlicet tollamus illius cauſas & occaſiones, & inſuper nos coram Deo magnopere humiliemus, fateamúrque, juſtè omnino fieri, ut iis cœleſte manna non depluat, qui crudîs Ægypti cibîs ſatiari volunt. Similî modô, ſi deſolatio credi poſſit ex noſtra culpa non provenire, ſed immitti à Domino ad nos probandos, noſtrámque animam in virtute confirmandam, perbene tamen fiet, ſi nos humiliemus, ac Divinæ voluntati nos integre permittamus; cavendum ſimul eſt, ne propterea tempus orationis decurtetur, ſed prolongetur potiùs, ut tantò generoſiùs nos ipſos devincamus. Denique advertenda hîc etiam eſt bona conſuetudo, breviter annotandi fructum orationis; nimirum quædam clariora lumina, vel majoris momenti propoſita, ut, cùm res annotatas poſtmodum relegimus, eas tantò faciliùs executioni mandemus. Ita & Hortulanus

tempore ſiccitatis non ſine commodo ſuo utitur aquâ illâ, quam uberioris pluviæ tempore collegit.

§. IV.

Inſtructio de uſu Lectionis ſpiritualis, & Examinum.

LEctio ſpiritualis eſt orationis ſoror; unde & hanc oportet in Sacris Exercitiis locum invenire. In hócce libro pro qualibet die ſuppeditabitur legendi materia de virtute aliqua, Statui religioſo magis propria. Exiſtimo enim, ejusmodi materiam præ aliis omnibus ad ſui reformationem fore utiliſſimam. Circa modum utiliter legendi, præter id, quod alibi jam animadverti, oportet hîc inſuper monere, quòd inchoanda ſit lectio ab invocatione S. Spiritûs per hymnum illum: *Veni Creator Spiritus.* Deinde quòd pergendum in illa ſit absque feſtinatione, & absque curioſitate. Denique quòd ſub illius finem rogandus ſit Deus, ut vires & gratiam nobis tribuat, quibûs ea, quæ facienda cognovimus, ipſo opere compleamus. Aſſignatur quidem tota Lectionis ſacræ materia pro tempore matutino; ſed illa tam eſt ampla, ut commodè dividi, & ſua quoque pars tempori pomeridiano reſervari poſſit.

Quod ad Examina; pariter hîc ſuppono, Perſonam Religioſam, quæ vacat Exercitiis, in

Digitized by Google

n quotidiani Examinis, tam generalis, quàm
articularis uſu inexpertam non eſſe; ſi au-
em foret, eam brevitatis causâ remitto ad
Exercitium Perfectionis P. Alphonſi Ro-
driquez, qui Parte prima, Tractatu ſepti-
mo, uſum horum Examinum docet.

Examina proinde, quæ tertiô locô propono, ſunt perveſtigatio, & quædam veluti *anatomia* ſtatûs interioris animæ, ut evellantur inde habitus mali, & boni inibi plantentur, uti dictum eſt ad Jeremiam: *Ut evellas, & deſtruas, & ædifices, & plantes. Jer. 1. v. 10.* Modus utiliter adhibendi hæc examina, quæ pariter in ſingulos dies ſunt diſtributa, ſimilis erit illi, quem S. Ignatius Primum orandi Modum nominat. Inchoabitur itaque ab actu fidei, quo DEum præſentem credimus, divinámque Majeſtatem adoramus, ſimúlque poſcimus cœleſte lumen ad cognoſcendos defectus noſtros, & gratiam ad illos emendandos, uti ſuperiùs monuimus de Oratione Præparatoria. Poſtmodum vel ſedendo, vel inambulando percurrentur ſingula Examinis capita, & inventi defectus vel in memoria, vel in charta notabuntur. Circa hos ipſos verò, poſtquam à Deo petita fuerit illorum venia, conſideranda ſunt, ut tantò efficaciùs eorum emendatio ſtatuatur, ſequentia motiva. Primum erit conſiderare, quantum animæ tuæ commodum ſit allatura defectuum iſtorum emendatio. Secundum, quantum tibi ſo-

latium hæc ipſa emendatio ſit præſtitura. Tertium, quantopere ad hanc eandem emendationem Status Religioſus te obliget. Quartum, quàm dulce tibi foret hos defectus emendâſſe, ſi jam nunc tibi eſſet moriendum. Quintum, quanto cum rubore coram tribunali divino ſis adſtiturus, ſi in hac vivendi methodo perrexeris. Sextum, quantum meritum, quantúmque præmium te in cœlo maneat, ſi te deviceris. Septimum, quàm Deo grata ſit futura hæc tui victoria. Octavum, quanta hæc ingrati animi nota ſit futura, ſi poſt accepta tot beneficia, poſt tantum Dei in te amorem, emendare te neglexeris. Per hujusmodi motiva excitabis affectus, propoſita concipies, atque ad ea perficienda vires à Deo flagitabis, uti ſupra jam dictum eſt in Exercitio voluntatis.

Eodem modo poterunt hæc Examina ſervire tam pro extraordinaria Confeſſione, qualis plerumque in Exercitiis inſtitui ſolet, quàm pro animæ tuæ ſtatu, Patri tuo Spirituali penitus manifeſtando; dummodo non omnia, quæ iſthîc annotata ſunt, deſcribas, ut ea coram Sacerdote recites; ſed hisce tantùm utaris, velut lumine, quod tibi præbetur, ut hac teipſum induſtria meliùs cognoſcas.

§. V.

Digitized by Google

§. V.

Quocum diſpoſitionis genere aggredienda ſint Exercitia.

OMne bonum noſtrum, uti notum eſt, ex duobus præcipuè capitibus dependet, gratiæ nimirum auxilio, noſtróque labore, cum divina gratia conjuncto; ac proinde quod neceſſarium eſt ad obtinendum ſive hunc, ſive illam, id neceſſarium pariter eſt ad bonam diſpoſitionem pro aggrediendis Exercitiis. Jam verò quod ad obtinenda pertinet auxilia gratiæ, maximè intereſt, eadem à Deo petere per humilem, fiduciæ plenam, ac perſeverantem orationem; nam oratio, tribûs hîs conditionibûs inſtructa, eſt communiſſimum ac efficaciſſimum medium, quod Providentia Divina requirit, ut ſua nobis dona largiatur. *Nullum credimus, niſi orantem, auxilium promereri*, ait S. Auguſtinus *Lib. de Eccl. Dogm.* Fons, quantum eſt in ſe, ſemper ſeſe impertiri paratus eſt; verùm niſi hortulanus ſulcum faciat, quo aquæ deriventur ad plantas, iſtæ præ ſiti exareſcent. Hic itaque ſulcus tibi faciendus eſt; hinc Deo te commendabis, & aliquot antè diebus incipies, eúmque in finem Sanctum aliquem in Patronum eliges, præcipuè Sanctum Angelum Tutelarem, S. Joſephum, S. Ignatium, primum horum Exercitiorum Magiſtrum, & præ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

aliis omnibus Beatiſſimam Virginem, per cujus manus omnes illæ gratiæ tranſire ſolent, quas nobis impertitur Deus. Profectò medium iſtud ſatis inculcari non poteſt, cùm juxta communem legem eodem paſſu, quo noſtra incedit oratio, incedat Dei gratia ad opera noſtra juvanda. *Aſcendit oratio, & deſcendit Dei miſeratio;* ùt inquit idem S. Auguſtinus.

At non ſatis eſt, ſecundum ſpirare ventum, ſi navis complicata teneat vela; proinde præter Dei gratiam noſter etiam requiritur labor; quam in rem duo ſunt magni ponderis ſubſidia, amplitudo nimirum cordis, & in præſcriptis operibus diligentia. Utramque hanc diſpoſitionem S. Ignatius jure merito requirit; nam ingenti ad pervincendas omnes difficultates, atq; ad id omne, quod Deus à nobis exigit, liberaliter illi dandum animo aggredi oportet Exercitia, tum ut nullum divinis favoribus ponamus obſtaculum, tum etiam, ut dæmones ſuggeſtionibûs ſuîs nos turbare non audeant; uti accidit in regionibus oppidò calidis, in quibus nullæ ſunt tempeſtates, neque audiuntur tonitrua, quia calor non ſinit condenſari vapores, qui hos in aëre tumultus excitare poſſint. Eodem modo neceſſaria quoque eſt diligentia in exequendis præſcriptis operibus; hoc enim eſt, quod ex parte ſua facere creatura poteſt. Quàm parùm facit agricola, dum plantam terræ infodit! *Neque*

ne qui plantat, eſt aliquid, neque qui ri-at. 1. Cor. 3. Verùm ſi agricola parùm oc non faceret, quod requiritur ad plan-andam arborem, cœlum non faceret mul-um illud, quod requiritur ad dandum arbo-i incrementum. Hæc autem diligentia præ cœteris omnibus adhiberi debet in ſervan-da ſolitudine, & ſilentio; nam aliàs, quan-tò plus ſpiritûs liquor habet, tantò faciliùs exſpirat, & in auras abit, niſi os vaſis, in quo ſervandus eſt liquor, diligenter occlu-datur. Poteſt equidem, non diffiteor, Sa-pientia Divina nobis etiam loqui in medio platearum; ſed mos illius eſt, ſubtrahere nos de turba, & deinde primùm nobis lo-qui ad cor: *Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor ejus. Oſe. 2. v. 14.* Cæterîs igitur negotiîs omnibûs te expedi, & alias cogitationes omnes ante Exercitia ſepone, ut horum tempore te integre impendere poſſis unico, quod habemus, negotio, quod eſt ſalus & perfectio noſtra: *Date operam, ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis. 1. Theſſal. 4.* uti hanc in rem nos admonet Apoſtolus. Ea-dem hæc diligentia adhibenda etiam eſt in obſervandis illis regulis, quas S. Igna-tius nobis proponit ſub Additionum ac An-notationum nomine, quæ licèt Inſtructio-nibus ſupra poſitis ſecundùm aliqua inſer-tæ jam fuerint, nihilominus, ut tantò fa-ciliùs Examen particulare in illas inſtitue-

re poſſis, eas ſimul omnes, quæ ad te pertinent, paulò inferiùs proponam, iiſque addam reliquas, quæ adhuc propoſitæ non ſunt.

§. VI.

Diſtributio horarum pro tempore Exercitiorum.

OPus ultimum, cui magnam oportet impendi diligentiam, eſt obſervatio Diſtributionis horarum, ſive Ordinis diurni, prout à Directore præſcriptus fuerit. Hæc porro Diſtributio debet eſſe accommodata methodo vivendi, quam Perſona Religioſa in ſuis Exercitiis tenet; ſi enim illa cum aliis Choro ſolet aſſiſtere, communibus hiſce functionibus etiam hæc Diſtributio reſpondeat, oportet; ſi verò Divinum officium in ſuo cubiculo privatim ſoleat perſolvere, magis accuratè reliquis ocupationibus interſeri poterit. Hîc verò majoris claritatis causâ Diſtributionis hujuscemodi exemplum apponam; quæ tamen hyemali duntaxat tempori reſpondet (*Addit hoc Autor, quia horas diſtribuit juxta horologium Italicum; in latina verſione hæc Diſtributio eſt accommodata Noſtrarum Regionum horologiis*) Suppono tamen, quòd nocturnæ quieti non tribuantur niſi horæ duntaxat octo, ac proinde ſurgatur horâ quintâ. Itaque

Horâ

Digitized by Google

Horâ V. uſque ad Med. VI. ſurgitur, fit-
ıe præparatio ad Orationem.
Med. VI. uſque ad Med. VII. fit prima
ratio.
Med. VII. uſque ad Horam VII. fit Re-
xio in orationem præteritam, & anno-
ntur fructus.
Horâ VII. uſque ad Med. VIII. auditur
iſſæ Sacrificium.
Med. VIII. uſque ad Hor. VIII. recitan-
r Horæ Canonicæ Minores.
Horâ VIII. uſque ad Med. IX. aſſumitur
ɔor aliquis, vel opus manuum.
Med. IX. uſque ad Med. X. fit lectio ſpi-
ualis, & præparatio ad ſecundam Ora-
ɔnem.
Mediâ X. uſque ad Med. XI. fit ſecunda
ratio.
Med. XI. uſque ad Hor. XI. fit Reflexio in
æcedentem Orationem, & Examen
ɔnſcientiæ.
Horâ XI. uſque ad Med. I. fit prandium;
umitur labor aliquis manuarius; & quie-
tur aliquantùm.
Mediâ I. Recitantur Veſperæ & Completo-
m.
Horâ I. uſque ad Horam II. fit lectio ſpi-
ualis, & præparatio ad tertiam Oratio-
m.
Horâ II. uſque ad Horam III. fit Oratio
tia, Materia verò hujus tertiæ Oratio-
erit Examen, quod in ſingulos dies eſt

 aſſigna-

aſſignatum, uti ſuperiùs §. IV. indicatur; niſi fortè placeat per dimidiam horam repetere Meditationem aliquam ex præcedentibus, in qua major hauſtus eſt fructus; reliquam verò dimidiam horam Examini tribuere; aut etiam pro Examine aliud aliquod tempus ſeligere.

Horâ III. uſque ad Med. IV. aſſumitur labor aliquis manuarius.

Med. IV. uſque ad Med. V. recitatur Matutinum cum Laudibus pro ſequenti die.

Med. V. Viſitatur SS. Sacramentum, ſitque præparatio ad quartam orationem.

Horâ V. uſque ad Horam VI. fit quarta oratio.

Horâ VI. uſque ad Med. VII. fit Reflexio in præcedentem orationem, & annotantur fructus.

Med. VII. fit lectio ſpiritualis, vel viſitatur SS. Sacramentum.

Horâ VII. uſque ad horam IX. fit cœna; recitatur oratio aliqua vocalis, viſitatur SS. Sacramentum; prævidentur puncta craſtinæ Meditationis; fit examen conſcientiæ, & conceditur cubitum.

Reliquæ occupationes, quæ iſthîc nominatæ non ſunt; verbi causâ, Reddere rationem Patri ſpirituali, excipere puncta Meditationis, & huiusmodi, locum habere poterunt tempore aliarum occupationum, minùs urgentium; quale fors eſſe poterit tempus laboris manuarii, vel lectionis, vel ora-

orationis vocalis arbitrariæ; niſi forſitan videatur melius, unâ horâ maturiùs è quiete ſurgere, & ſeptenas ſolùm horas ſomno tribuere. De reliquo etiamſi accuratio in obſervanda temporis Diſtributione, ſecundùm propoſitam hanc formulam, vel juxta aliam magis propriam à Directore facta, nimis anxia eſſe non debeat, exactam tamen eſſe oportet, ut nempe nihil eorum, quæ facere nos poſſumus, omittamus, atque ideò nos diſponamus ad recipiendum id, quod à ſolo Deo dependet.

§. VII.

Annotationes pro eo tempore, quod viæ purgativæ in Exercitiis tribuitur.

FInis Meditationum ad Viam Purgativam pertinentium eſt, mundare cor noſtrum auxiliô fidei, per attentam conſiderationem excitatæ: *Fide purificans corda eorum. Actor. 15.* Quamvis autem Meditationes omnes hanc mundandi cordis virtutem habeant; eam nihilominus præ aliis ſingulariter obtinent illæ, quæ de peccatis & de Noviſſimis agunt, quia voluntatem movent ad ejusmodi actus & affectus, per quos mundities hæc directiùs obtinetur; ſuntque Contemptus ſuimet ipſius, Timor divinæ Juſtitiæ, Spes divinæ Miſericordiæ, perfectus de propriis delictis dolor, ſatisfactio per opera pœniten-

nitentiæ, & exterminatio amoris proprii, qui radix eſt reliquorum malorum omnium. Proinde, quemadmodum nullum hominum genus eſſe debet, quod non interdum hujusmodi ſe Meditationibus impendat, ita convenit omnino, ut in iis omne ponatur ſtudium ad eliciendum fructum aliquem, cùm illæ ſint fundamentum, cui cæteræ omnes incumbunt. Eum in finem ſervient ſequentes Annotationes, in quarum obſervationem, uti dictum eſt ſuperiùs, Examen particulare inſtituendum tibi eſt.

I. Ubi cubitum conceſſeris, antequam indormias, brevi temporis ſpatio memoriâ repetes puncta ſequentis Meditationis, ſtatuésque, horâ præfixâ in ſurgendo eſſe diligens.

II. Quamprimùm evigilaveris, mox iterùm eandem materiam animô repetere ſtudebis, atque ad majorem in te pudorem excitandum, conſiderabis temetipſum, veluti Reum catenis ornatum, & convictum, vel raptatum ad tribunal, ut ibi in te feratur ſententia; aut veluti leproſum, variis ulceribus plenum; atque hîs, vel aliîs ſimilibûs cogitationibûs, Meditationi proximæ reſpondentibûs, occupatus, tuîs te veſtimentîs indues.

III. Antequam incipias orationem, ſtans ad Oratorium tuum, per breve tempus cogitabis, Deum tibi præſentem adeſſe, & attendere ad id, quod modò facturus es; itaque profundiſſima cum reverentia te inclinabis, eúmque adorabis.

IV. Tem-

Digitized by Google

IV. Tempore meditationis vel ſtabis, vel
enua flectes, vel etiam ſedebis, vel in terra
roſtratus jacebis, ſi libertatem habeas, &
ne arbitris fueris; ſitum nempe illum elige,
ui ad excitandam devotionem tibi magis
onducere videbitur.

V. Finita Oratione, ſedendo vel deam-
ulando facies reflexionem in Orationem
nodò peractam, eo modo, qui ſuperiùs in
tertio ſub finem eſt indicatus.

VI. Omni diligentia fugies cogitationes,
uæ gaudium excitant, etſi alioquin bonæ
nt; & earum locô illas admittes, quæ ad
nimi compunctionem faciunt.

VII. Eundem in finem clariori luce te
rivabis, &, quamdiu in cubiculo fueris, fe-
eſtras habebis occluſas, ac ſipariô tectas,
iſi cùm legendum, aut laborandum eſt.

VIII. Singulariter tibi cavebis à riſu, &
roferendis vel audiendis iis, quæ riſum ex-
itare poſſent.

IX. Magnô ſtudiô cuſtodies oculos, &,
uantum opus fuerit, in terram defiges, ut
imia videndi libertate ſpiritum non diſſi-
es.

X. Cæteris bonis operibus adjunges ali-
uod exercitium pœnitentiæ, non ſolùm in-
erioris, qua magnopere de peccatis admiſſis
oleas, ſed exterioris etiam, quæ eſt fructus
œnitentiæ internæ, teipſum videlicet ex
onſilio Patris Siritualis pœnali quodam
pere caſtigando.

XI.

XI. Dum aliquo Meditationis genere te occupas, curioſè non inveſtigabis id, quod in ſequentibus Meditationibus tibi conſiderandum erit; neque hodie ſtudebis indagare, quid in craſtinum tibi ſit faciendum.

XII. Curabis te certum reddere, quòd Meditationi plus temporis potiùs dederis, quám minus, ac præſcriptum erat; ídque potiſſimùm tempore deſolationis, ubi, cùm tentatus fueris ad omittendam Orationem, multò generoſiùs inimicum ſuperabis, eandem prolongando.

Denique ſicut Exercitia te oportet inchoare magno cum animo, ac ſeria voluntate id omne concedendi Deo, quod petere à te voluerit; ita in Meditationibus primariò quærere non debes ſpiritûs delicias, & tenerituđinis lacrimas, ſed potiùs veram cognitionem ingentis illius mali, quod peccando commiſiſti, & pœnarum, quas ideo commeruiſti, quáſque deinceps mereberis, ſi denuo peccaveris; ita enim finem ſuperiùs dictum obtinebis.

Inſuper te iſthîc rurſum moneo, quòd, ſicuti neceſſarium non eſt, ut in qualibet Meditatione omnia tria puncta percurras, ita neceſſarium quoque non ſit, ut ſingulís diebùs omnes quatuor Meditationes expedias; ſed illas duntaxat oporteat ſeligere, quas Director indigentiæ tuæ magis proficuas fore judicaverit; poſsíſque ſæpius uti Repetionibûs. uti ſupra §. II. paulò ante finem animadverti.

Me-

Digitized by Google

MEDITATIO PRÆPARATORIA,

Pridie Exercitiorum facienda.

De miſero ſtatu animæ tepidæ.

I.

COnſidera miſerum animæ tepefactæ ſtatum, à Chriſto Domino in arbore fici infructuoſa *Luc. 23.* propoſitum. Et primò quidem conſidera *Sterilitatem* arboris illius ſummopere mirandam. Siquidem plantata in medio vineæ, ſepe circumdata, cœli pluviîs irrigata, agricolæ ſudoribûs culta, in tot aliarum fœcundarum arborum conſortio, nonniſi folia progerminat; idque non unò duntaxat anno, ſed pluribûs. Tu quoque ex apertis mundi campis, velut arbor electa, translatus es in ſanctæ Religionis vineam, id eſt, in ſolum, Divino JESU Chriſti ſanguine copioſiùs irrigatum, frequentiori Sacramentorum uſu fœcundatum, continuo gratiarum novarum rore cœlitus humectatum; adlectus es in conſortium tot aliarum arborum, cœleſtibûs ftuctibûs pleniſſimarum, tot, inquam, ſanctorum hominum, qui per eandem, quæ tibi impenditur, imò minorem etiam culturam ad tantam virtutem excrevêre. Et tamen in ſolo tam fertili non aliud producis, niſi folia, quæ appareant, vel ſummùm florem

florem aliquem boni propoſiti, absque operis ipſius fructu. Ubi enim eſt tot Orarionum, tot Confeſſionum, tot Communionum, tot ſacrarum Concionum, tot Exercitiorum bonorum fructus? Aliud non videtur, quàm perpetua negligentia in agendo cum Deo, continuus tuímet ipſius amor, tum in procuranda apud alios tui exiſtimatione, tum in defendendo tuo honore, tum in inquirendis omnî ſtudiô tuis commoditatibus; cuperes, ut omnes alii tuo deſervirent genio, cùm interea tu proximis tuis & corde, & vultu, & verbis te durum exhibeas. Hic fructus eſt, quem reddis illi Domino, qui continuò tanta tibi auxilia tam ſpititualia, quàm temporalia ſubminiſtrat, ut operibûs bonîs pro acquirenda vita æterna exuberes. Tu verò his Dei decretis te opponis, non ſolùm intermittendo opera bona, ſed mala inſuper multa committendo; ex quibus ſi judicare absque affectu volueris, facilè deprehendes, te arborem eſſe, non modò fructu vacuam, ſed malam inſuper & noxiam, quia te opponis gloriæ Dei, & aliorum bono per exemplum pravum; unde redditus es prorſus indignus, qui ſtes in electa iſta vinea, quia in terra Sanctorum iniqua geſſiſti: *In terra Sanctorum iniqua geſſit; non videbit gloriam Domini. Iſa. XXVI. v, 10.* Hanc veritatem in conſpectu Domini ſincero corde fatere, illíque pro habita tecum patientia gratias repende; tibi verò ipſi tuam expro-

bra

ra ingratitudinem, eámque deinceps tantò
ıajori diligentia compenſare ſtatue; Deum
erò precare, ut terræ cordis tui copioſam
enedictionem impertiatur, cujus ope di-
nos pœnitentiæ fructus proferat.

II. Conſidera *Excidium*, ad quod hæc ar-
or infructuoſa juſtè condemnatur. Vineæ
'ominus, poſtquam tribûs annîs debitum
'uctum nequicquam expectaverat, mandat
gricolæ, ut arborem ſuccidat; cùm minimè
eceat, ut terram hanc fruſtra diutiùs occu-
et. Hæc eſt ſententia, quam & tu mereris;
oteſt verò per tuum hoc excidium intelligi
œna temporalis, qua tibi Deus gravem ali-
ıam adverſitatem, aut gravem aliquem
orbum, vel ipſámmet etiam mortem im-
ittit, ut aliis locum facias, meliùs quàm tu
vinæ Bonitati reſponſuris. Fieri quoque po-
ſt, ut hoc tuum excidium conſiſtat in exti-
eſcenda quadã ſpirituali pœna, qua te vide-
et Deus aſpicere incipiat oculîs, non adeò
ventibûs, ùt antehac; qua tibi neget auxi-
ı quædam magis ſingularia; qua tibi ſub-
ahat media quædam magis efficacia; qua
rtiores inſpirationes tibi non ampliùs im-
ittat; uno verbo, qua eandem tibi men-
ram reddat, & minùs liberalem ſe illi exhi-
eat, qui erga ipſum adeò parcus & avarus
t. Profectò quid aliud poteſt inſuper fa-
ere Deus, ut à te fructum hunc deſideratum
otineat? *Quid eſt, quod debui ultra facere
inea mea, & non feci ei? Iſa. V. v. 4.* Fe-

 cit

cit omnia; proinde niſi illum obtineat, aliud prudenter expectare non potes, quàm excidium; uti non ſemel evenit animabus aliis, tibi ſimilibus, quæ, ubi præ aliis fuerant cumulatæ favoribûs, quia hîs ipsîs abuſæ ſunt, plùs aliîs à Deo ſunt derelictæ. Igitur agnoſce miſeriam tuam, & eam coram oculis Divini Judicis tui ſincero corde expone, ut eum ad exhibendam tibi miſericordiam moveas; excita in animo tuo mutandæ vitæ deſiderium, ut merearis amorem Domini tui, eúmque per teporem tuum non commoveas potiùs ad indignationem & nauſeam; roga illum, ut porrigat tibi manum, téque erigat de terra, & novîs gratiæ ſuæ ſubſidiîs te potenter poſt ſe trahat, ut poſſis poſt illum currere, ac exemplorum ipſius veſtigiis inſiſtere.

III. Conſidera *Dilationem* iſtius excidii, cæteroquin adeò juſti. Interponit ſe agricola, ſéque offert ad novam & magìs accuratam diligentiam, arbori huic infructuoſæ impendendam; conſentit tamen, ut, ſi poſt novam ejusmodi culturam fructibûs carere perrexerit, tum demum abſque ullo remedio ſuccidatur. Tu quoque inveniſti nonneminem, qui hanc pietatem exerceret in animam tuam. Tutelaris tuus Angelus, Sancti Patroni tui, Beatiſſima Dei Mater ſuas pro te preces interpoſuêre, & novam hanc ſacrorum Exercitiorum culturam tibi impetrârunt, poſtquam, niſi fructum expectatum

pro-

Digitized by Google

protuleris, ſententia ſupplicii tui, vel etiam omnimodæ tuæ derelictionis, executioni mandanda erit. Itaque conſidera, hoc tempus, ſacram hanc Solitudinem eſſe peremptorium tibi terminum, à Divina Juſtitia ea lege ſtatutum, ut, niſi tua debita cœperis expungere, adversùs te per ſupplicia ſit procedendùm. Vide igitur, quòd nova Miſericordia, quam tibi Deus, iterum te expectando, exhibet, ad quietem te invitare non debeat, ſed exſtimulare potiùs ad ſtrenuè laborandum in negotio perfectionis tuæ, ita, ut illud pro unico deſideriorum tuorum, ac operum omnium ſcopo habeas; ſecùs ſi feceris, beneficium, quod accipis, majorem tibi timorem incutere debet. Quandónam enim arbor infructuoſa propinquior igni fuit, quàm ubi ſolitô majori cum diligentia exculta eſt ab agricola? Væ tibi, ſi poſt exhibitam tibi tantam miſericordiam paſſionibus tuis porro etiam obſecundare volueris, cùm potiùs te totum Deo permittere deberes! nam major iſta Divinorum favorum copia tantò certius appropinquantis pœnæ indicium erit. Confundere proinde, & fatere tuam culpam; propone cum omni diligentia ſacris Exercitiis te impendere, & majori cum fructu tempus omne deinceps collocare; ſi enim ex uno temporis momento pendere poteſt æternitas, plures jam perdidiſti æternitates, dum tot momenta perdidiſti. Recurre ad Beatiſſimam Virginem, & ora, ut,

Digitized by Google

quoniam ad differendum ſupplicium patrocinari tibi voluit, nunc potiùs te adjuvare dignetur, ut huic gratiæ per veræ ac ſolidæ virtutis actus, & non ſolùm per frondes exteriùs apparentes dehinc reſpondeas.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES PRIMA.

MEDITATIO PRIMA.

De Fine Hominis.

Creatus eſt homo ad hunc finem, ut Dominum Deum ſuum laudet, ac revereatur, eiq́ ſerviens, tandem ſalvus fiat. S. Ignat. Exerc. Spirit. in Fundam.

I.

COnſidèra, quòd Deus ſit *Primum Principium* tuum. Ubinam tu fuiſti per omnem æternitatem anteriorem? fuiſti ſepultus in abyſſo nihili. Nihil eras ſecundùm corpus, nihil ſecundùm animam, nihil ſecundùm operationes, nihil undique & ex omni parte. Si ab æterno fuiſſes aliquod arenæ granulum, quantum deberes illi Domino, qui te in creaturam rationalem, tantorúmque bonorum capacem, convertiſſet! Quantum nunc igitur Deo debebis, qui nihilum tuum in ſtatum adeò perfectum commutavit,

:avit, atque in tuum commodum potentiam adhibuit infinitam, quæ nempe requiritur, ut ſuperetur infinita illa diſtantia, quæ inter *Eſſe*, & *Nihil* interjacet! Id verò tantò ampliùs, quia præter Potentiam, Amorem etiam infinitum impendere tibi voluit, dum te ſelegit ex innumeris creaturis aliis, quas tui locô procreare poterat, quæque ex totò corde ſervitium illi & amorem ſuum reddidiſſent. Hoc tamen non obſtante, ſuos ille oculos in te defixit, útque bene tibi faceret, ſuómet quaſi honori tuum commodum præhabuit. Te igitur oculô amoris plenô intuitus eſt Deus; tu in divino illius corde ante omnia ſecula hanc præcellentiam inveniſti, & per hanc in illo fuiſti bonæ ſuæ voluntatis objectum, quam ut perficeret, ſuo tempore tanto cum affectu te creavit, veluti de procreandis præter te aliis nunquam omnino cogitâſſet. *Qui finxit ſingillatim corda eorum. Pſ. 32. v. 15.* Quis itaque capere ſat poteſt, quantùm ſis obſtrictus Potentiæ ac Bonitati divinæ vel ideò ſolùm, quòd è nihilo te produxerit? Et tamen hæc eadem obligatio tua momento quolibet duplicatur; quia momento quolibet conſervaris, & propter te conſervantur & reliquæ creaturæ omnes, quæ tibi deſerviunt; quod idem omnino eſt, ac ſi & tu, & reliqua omnia propter te, omnî momentô de novo crearentur à Domino.

Tu verò interea quomodo huic immenſo tuo debito, ſerviendi Deo, in hanc uſque

diem reſpondiſti? quid pro iſthoc omnipotente & amantiſſimo Creatore & Conſervatore tuo præſtitiſti? Cùm ſervire tu illi debuiſſes, toties è contrario voluiſti, ut ille perverſis tuis inclinationibus deſerviret, dum pro genio tuo vivebas, veluti ſi à temetipſo creatus eſſes. *Deum, qui te genuit, dereliquiſti, & oblitus es Domini, Creatoris tui. Deut. 32. v. 18.* Confundere igitur, & in infimam te abyſſum deprime ob ingratitudinem tuam; admirare patientiam Dei, qua tam diuturno tempore te toleravit; pete veniam ſummæ injuſtitiæ tuæ; & ſtatue, quòd totum te Domino Deo reddere, & impoſterum totus illius eſſe & manere velis; roga illum inſuper, ut impertiatur tibi gratiam, qua hoc tuum propoſitum integre valeas perficere, quemadmodum illud concipiendi gratiam tibi modò largitus eſt.

II. Conſidera, quòd Deus non modò primum tuum principium, ſed & tuus ſit *Ultimus Finis*, cùm te creaverit, ac te conſervet in hunc ſolummodo finem, ut divinæ ipſius Gloriæ deſervias. Si creatus eſſes ab alio, quàm à Deo, & creatus tamen eſſes ad ſerviendum Deo, totum utique Dei te eſſe oporteret; quia res quælibet eſt ſui finis, & à fine reliqua ordinantur omnia. Jam igitur quantò magis te totum oportet eſſe Dei, quando totus es propter ipſum, & totus etiam es ab ipſo? Beſtiæ creatæ non ſunt ab homine; ſed quia creatæ ſunt propter hominem, tractantur ab homi-

ɔmine pro ſuo libitu, fatigantur, & occi-
antur, ùt illi placet. Tu verò vivere voles
:o tuómet genio, etiamſi naturæ tuæ peni-
ıs inſita circumferas hæc immenſa duo de-
ita, quòd nimirum omnia tua bona recepe-
s à Deo, quódque illa receperis eo duntaxat
tulo, ut eum agnoſcas Dominum, illíque ex
ɔto corde ſervias? O inverſum vitæ tuæ,
d hoc uſque tempus transactæ, ordinem!
eſtinata hæc erat ad promovendum bonum
nmenſum, Divinum ſcilicet honorem; tu
erò illam exegiſti in conquirendis finibus
umanis, & rebus teipso multùm vilioribus.
t tu igitur ad eorum numerum pertines, qui
ı hoc mundo ſunt inutiles: *Inutiles facti*
unt. Pſ. 13. De te quoque dici non imme-
itò poteſt, quòd in vanum, ſeu fruſtra crea-
us fueris: *Accepit in vano animam ſuam.*
Pſ. 23. Et verò brevì deprehendes, omnes
uas actiones eſſe perditas, non aliter, ac ſa-
ittæ jactus, qui metam non attigit; quin &
orſitan experieris, eas eſſe materiam ingen-
is ignis ob debitum illud, quod apud Juſti-
iam Divinam contraxiſti: *Labores populo-*
um ad nihilum, & gentium ad ignem
runt. Jerem. 51. v. 58. Interim verò at-
entè conſidera, quòd, ſi Deo gloriam volun-
ariam in hac vita non dederis, gloriam illi
iolentam daturus ſis in altera per ſuppli-
ium tuum in conſortio Reproborum, qui in
uam ipſorum contumeliam æterna ſua de-
peratione Divinam Juſtitiam exaltant. Pro-

 pone

Digitized by Google

pone itaque, nunc tandem inchoare vitam, fine tuo dignam; fatere, quòd minimè ſis meritus, ut creaturæ tibi ſerviant, cùm ipſe adhuc illarum ac tuo Domino non ſervîeris; gratias illi age, quòd tamdiu te toleraverit, licèt Divinæ ipſius Gloriæ tantopere te oppoſueris; te illi totum offer ad inſumendam imposterum vitam tuam omnem in promovenda Dei gloria; conſiderando præterea infirmitates tuas præteritas, illum ex animo roga, ut abundantes tibi vires impertiatur ad exequendum propoſitum tuum: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Pſ. 72.*

III. Conſidera, quòd Deus non ſolùm ſit primum Principium, & ultimus Finis tuus, ſed quòd inſuper ſit tua *ſumma Beatitudo.* Poterat Deus hominem ea ratione condere, ut totus pro Dei gloria conſumeretur, ſicut incenſum in Sacrificio conſumi ſolet; ita quidem, ut, poſtquam multas in Dei ſervitio poſuiſſemus annos, denique redigeremur ad nihilum. Et hoc ipſum magno nobis honori fuiſſet, conſumi videlicet in obſequio illius, à quo conditi ſumus; eique ſerviviſſe grande fuiſſet noſtræ ſervitutis præmium. Nihilominus vult Deus Optimus non ſolùm peculiarî præmiô penſare labores noſtros, ſed præmium hoc ille vult ipſus eſſe: *Ego merces tua magna nimis. Geneſ. 15.* Idque cum tanta munificentia, ut à ſuis amicis non poſſit illi præſtari obſequium adeò leve, quod eis ipſe non remuneretur Regni æterni & infiniti poſſeſ-

oſſeſſione. Si itaque, licèt commoda noſtra onjuncta non eſſent cum obſequiis magni ujus Domini, nihilominus illi ex toto core ſerviendum nobis eſſet, quantô ſtudiô ſerire illi debebimus, cùm ille & obſequia ſua c noſtram felicitatem ſimul conjunxerit? 'roinde, cùm deſtinatus tu ſis, ut cum Deo uo æternùm in cœlis regnes, & ad immenam adeò Beatitudinem dudum enutriaris, ur non id omne, quod Mundus ac Diabolus ıfferre tibi poteſt, inſtar luti deſpicies? maxinè, cùm inter duas conſtitutus ſis æternitaes, quas inter non eſt medium: Aut ſemper n cœlo inter omnes delicias, aut ſemper in nferno inter omnia tormenta? Num igitur arvi momenti negotium tibi eſſe videtur hæc neceſſitas, in qua verſaris? Et nihilominus quis novit, quoties te expoſueris periculo æternùm perdendi hanc Bonorum æternitatem, quæ te expectat, téque præcipitandi in illam Malorum æternitatem, quam tibi ninatur Deus? Modò, dum tibi tempus adhuc indulget Dominus, numquid ſumma foret dementia, niſi eò dirigeres omnia, ut certam reddas ſalutem tuam, & magnum hunc finem aſſequaris? Si hunc non obtineas, quid proderit, obtinuiſſe reliqua omnia? quid proderit, in aliqua fuiſſe exiſtimatione in hoc angulo terræ, in Cœnobio tuo, in Patria tua? quid proderit, aliquam è creaturis voluptatem violenter emulſiſſe, & abſtuliſſe Domino libertatem tuam, quam illi antea in ſacris tuis

Votis obtuleras? *Quid dabit homo commutationis pro anima ſua? Marc. 8. v. 37.* Si perdidiſti finem tuum, perdidiſti prorſus omnia per totam æternitatem. Deteſtare itaque omnia peccata tua præterita, maximè verò pretioſum adeò tempus, tam inutiliter à te impenſum. Gratias age Deo, qui modum tibi ſuppeditat, jacturam tuam novîs ac majoribûs lucrîs reſarciendi; propone ſeriò, finem tuum quocunque pretio conſequi, & impedimenta omnia fortiter ſuperare, non aliter, ac grande aliquod ſaxum, quod omnia conterit, quæcunque ipſi occurrunt, atque ab obtinendo ſuo centro illud impedire volunt. Denique precare Deum, ut ſuâ te gratiâ ita roboret, ut jam ille non ſis, qui priùs fueras, atque in hac tua mutatione Virtus omnipotentis ſuæ Dexteræ evidenter appareat: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Pſ. 76.*

LECTIO
Pro die prima Exercitiorum.
De Virtute Fidei.

VEræ animarum divitiæ, vera illarum nobilitas, vera illarum in mortali hac vita beatitudo eſt virtus. Satis id probatur inde, quòd Deus in illa tantopere ſibi placeat, ut vel imaginem ejus, quin & umbram remuneretur. Quid enim aliud, quàm imago, quàm umbra veræ virtutis fuerunt illæ Romano-

ıanorum Antiquorum, Idololatrarum, virutes? ſiquidem ordinatæ tantùm erant ad emporale vitæ civilis bonum; quin & multoties vitia fuêre ſub virtutis habitu, dum videlicet alium in ſuis operibus finem illi ſibi ıon præfigebant, quàm hujus mundi gloriam. Et nihilominus, Divo Auguſtino tete, hoc tale virtutum genus, aut omnino alſum, aut æris certè admodum vilis, retulit ı Deo præmium tantarum victoriarum, & ıniverſalis in totum terrarum cognitarum orbem dominii. Quo igitur præmiorum genere credere licebit remuneraturum Deum veras Chriſtianorum virtutes, ex ipsis Divinæ Gratiæ Aurifodinis erutas, & expreſſam ipſius Jeſu Chriſti referentes imaginem? At verò ſi ita res ſe habet, non erit alia materia lectu tam utilis, ac illa, quæ agit de virtutibus, ac earum addiſcendarum deſiderium ingerit, quæque juſtam nobis illarum ideam effingit, ut eas tantò faciliùs in nobis ipſis exprimamus. Hac igitur de cauſa ad propoſitum finem, Spiritum videlicet in Sacris Exercitiis renovandi, conducet plurimùm, ſi qualibet die proponatur, legatúrque materia de virtute aliqua, cæterîs præſtantiore, & Statui Religioſo magìs accomodata; doctrinam ipſam ad tria ſemper puncta reducendo; primò quidem, quæ ſit natura virtutis, qua de agitur; deinde quibûs acquirenda ſit mediîs; ac demum, quibûs illa ſit actibûs exercenda, ut perfectiùs obtineatur. Incipiamus hodie à Virtute Fidei.

Qua-

Qualis Virtus ſit Fides Chriſtiana?

FIdes, de qua loquimur, eſt Virtus Theologica, quæ animum noſtrum erigit ad firmiſſimè credendas, ùt veras, res illas omnes, quas revelavit Deus, ídque ob ipſam hanc rationem, quia ſunt ab ipſo revelatæ.

Quod modò diximus, per partes oportet explicare, ut materiam hanc bene intelligas. Primùm itaque Fides eſt Virtus Theologica, quia Deum ipſum habet pro objecto ſuo primario, præcipuáque illius excellentia in eo conſiſtit, quòd ipſi, tanquam primæ Veritati, debitum præſtet obſequium. Dicitur deinde, quòd animum noſtrum erigat ad credendum; nam *Credere* eſt magnum Dei donum, quòd natura cum omnibus ſuis viribus aſſequi nunquam poteſt; ſed neceſſariò tam ad ejus principium, quàm ad illius perfectionem requiritur efficax divinæ gratiæ ſubſidium, quod illuminet intellectum, & ad conſenſum moveat voluntatem. Eſt proinde Chriſtiana Fides ſumma quædam humanæ mentis generoſitas, & aliqua Divinorum Secretorum, ac illius ſcientiæ, quam de ſeipſo Deus habet, communio. Dicitur porro, quòd iſta cognitio, quam Fides ſuppeditat, ſit firmiſſima; nam licèt obſcura illa ſit, eſt tamen longè certior, quàm certum ſit nobis id, quod noſtrîs videmus oculîs, quod manibûs palpamus, vel quod ipſius naturæ lumine nobis eſt demon-

demonſtratum; hinc Fidei perbene conveniunt illa è Sacris Canticis verba: *Nigra ſum, ſed formoſa*; dum illius obſcuritas plus certitudinis continet, quàm ipſa Scientiarum evidentia. Ratio eſt manifeſta; illud enim, quod ſcientiis humanis credimus, aut ipſis credimus humanis ſcientiis, aut credimus noſtræ rationi, quæ nobis id proponit, quæq; in ſuis judiciis toties decipitur. At Fidei veritates credimus ob autoritatem Verbi Divini, quod fallere omnino non poteſt, nec velle fallere. Quapropter non eſt, nec eſſe poteſt in univerſo mundó res ulla, cuius indubiam magis certitudinem habeamus, quàm illa, cujus nos noſtra Fides certiores reddit; quia nimirum fundamentô nititur, quod vacillare nunquam poteſt, divina ſcilicet autoritate. Adeoque dum credimus articulos, nobis ab Eccleſia Sancta propoſitos, non illos ideo credimus, quia in ſinu ejusdem Sanctæ Eccleſiæ nati ſumus, neque ideo, quia creduntur à Fidelibus cæteris, neque ideo, quia credendi proponuntur à Concionatoribus atque Doctoribus, ſed unicè ſolùm ideo, quia ſunt à Deo revelati. Atque ut in hac materia pleniorem habeas inſtructionem ſcire oportet, quòd in Exercitio Fidei inter alios actus potiſſimùm duo conveniant; unus quo credere volumus res nobis revelatas; alter, quo illos actu credimus. Jam verò motivum, propter quod eas actu credimus, uti ſupra jam diximus, illud eſt, quòd à Deo fuerint

fuerint revelatæ, qui, cùm ex eſſentia ſua ſit Veritas ac Bonitas neceſſaria, neque ipſe falli, neque nos fallere poteſt. Motivum verò, propter quod volumus illas credere, ſunt omnia illa teſtimonia, quæ nobis Deus ſuppeditavit ad cognoſcendum, quòd ipſémet locutus fuerit, & quòd illa myſteria, quæ credimus, à ſeipſo ſint Eccleſiæ Sanctæ manifeſtata. Horum teſtimoniorum ſeptena præcipué numerantur, ſúntque pridem ſignificata per ſeptem illa ſigilla, ſive ſigna, quorum mentio fit in D. Joannis Apocalypſi capite quinto. Primum ſigillum, atque adeò teſtimonium eſt Prophetiarum, ſive Prædictionum conſumatio. Nam ex una parte prævidere futura, quæ à libertate vel humanæ vel Divinæ voluntatis unicè pendent, eáque ex propria virtute prævidere, ac prædicere cum omnibus ſuis circumſtantiis, antequam eveniant, aliunde, quàm à ſolo Deo, provenire non poteſt, ùt ad oculum patet. Ex altera verò parte prædicta ſingillatim invenitur Redemptoris noſtri vita & mors cum omnibus ſuis circumſtantiis, etiam minimis, ita, ut negari nequeat, Deum ipſum per Prophetarum linguas fuiſſe locutum; ac proinde, cùm locutus ipſémet fuerit, veram eſſe fidem illam, cujus plantandæ & conſervandæ gratiâ dignatus eſt loqui. Alterum ſigillum, ac veritatis teſtimonium eſt Sanctitas Chriſtianæ legis tam in præceptis, quæ imponit, & mediis, quæ ad illa ſervanda ſubminiſtrat; quàm

quàm in effectibus, quos producit in iis, qui præceptis perfectè plenéque ſatisfaciunt. Hæc omnia ſunt extra dubitationem poſita; ac proinde extra dubium pariter eſt, Chriſtianam Fidem provenire à Deo, qui ſolus eſt Sanctitatis omnis fons & origo. Si verò ſanctus eſt in omnibus operibus ſuis, ùt ait Propheta Regius, quantò magis debebit apparere ſanctus in erigenda Religione, quæ omnis veræ Sanctitatis eſt norma? Sanctus itaque vel unicus eſt inſuperabile veræ Fidei argumentum; judica jam, quale habeat veritatis argumentum Chriſtiana Fides; dum Sanctos numerat ſine numero. Sigillum ac veritatis teſtimonium tertium eſt Sapientia, quæ in ſublimi adeò gradu reperitur in tot tantisque Chriſtianæ Religionis Doctoribus, qui, quantò accuratiùs examinârunt Fidei noſtræ fundamenta, tantò illa invenerunt ſolidiora, ac tantò firmiùs illis inhæſerunt; id quod in quibuscunque Sectis aliis minimè deprehenditur; in his enim illud ſemper evenit, ut illi, qui plùs intelligunt, minùs credant. Quartum ſigillum ac teſtimonium eſt ſanctæ noſtræ Legis admirabilis propagatio; nam ut hæc in mundo ſtabiliretur, deſtruere cumprimis oportebat Idololatriam, ubique locorum adeò receptam, ac tot ſeculorum antiquitate ſtabilitam; oportebat inſuper deſtruere, evellere, ac ex hominum cordibus eradicare vitia, quæ tam profundas in illis radices egerant; tum dein oportebat plan-

plantare Fidem, humana ratione tantopere ſuperiorem in Myſteriis, quæ proponebat, & adeò ſenſibus contrariam in præceptis, quæ imponebat. Nihilominus intra tempus admodum breve deſtructa eſt Idololatria, & plantata Fides Chriſtiana, atque ita mundus ex omnium iniquitatum hara converſus eſt in amœnum virtutum omnium viridarium. Porro, quod evidentiùs adhuc Divinæ Dexteræ virtutem in hac mutatione demonſtrat, illud eſt, quòd hanc perfecerit paucorum, rudium, ignobilium, exterorum, atque omnium odiis expoſitorum Diſcipulorum operâ; idque contradicentibûs Philoſophîs, repugnantibûs Politicîs, atque adversùs illam armata manu, omníque virium ſuarum robore ſe opponentibûs universîs mundi Principibûs. Quintum ſigillum & teſtimonium ſunt miracula, quæ propriè vocantur ſigna Omnipotentis Dei; nam ſicut homo per voces loquitur, ita loquitur Deus per miracula. Hæc porro miracula ſunt pariter apud Chriſtianos innumera; ut proinde horum multitudo, & univerſale, quod Nationes omnes hac de re ferunt, teſtimonium; eorum præterea, qui hæc patrabant, pietas ac virtus; fructus inſuper, quem hæc in omnibus ubique populis producebant; horum denique miraculorum continuata per multa ſecula ſeries, ſint radii tam ſplendidi, atque ad reddendum veritati teſtimonium tam idonei, ut, qui illam videre nolue-

ıoluerit, non oculos ſolummodo claudere, ſed eos penitus eruere ſibi debeat. Sigillum ſextum eſt illud teſtimonium, quod ferunt omnes Sancti Martyres tum ſuô numerô, ſuáque dignitate, tum ſuîs, quæ pertulère, tormentîs, & ea perferendi modô, tum illîs denique fructibûs, qui ex eorum ſanguine procreverunt. Martyrum certè numerus eſt tantus, ut dici propemodum debeat, eum à ſolo Deo comprehendi poſſe. Perſonarum porro dignitas eſt ſumma, cùm inter Martyres fuerint plurimi tum ſanguine illuſtres, tum doctrinâ inſignes, tum ſanctitate conſpicui. Præterea fuerunt inter illos & ſenes & infantes, fæminæ ac puellæ, genus profectò hominum vel annîs, vel ſexu debile, & vitæ commoda honeſtati præferre aſſuetum. Et tamen etiam hi, uti & cæteri, tormenta pertulerunt immaniſſima, quæ ipſa crudelitas potuit unquam excogitare. Hæc autem pertulêre tantâ conſtantiâ, tanta hilaritate, tanta in Deum pietate, tanta in proximum caritate, ut omnino ſit impoſſibile, eos aliunde, quàm ab ipſo Deo tam invictum animi robur obtinere potuiſſe; maximè, cùm adeò frequentia fuerint miracula pro mitigando illorum ſupplicio, ac tam multiplices Idololatrarum converſiones, qui Fidem noſtram publicè profitendi animos capiebant ex ipſis Chriſtianorum cædibus, quibûs illam Perſecutores extinguendam ſperaverant. Ultimum denique ſigillum, eſt ejusdem Fidei

 con-

Digitized by Google

conſtantia inter tot fluctus undique exſurgentes, inter tot rebelliones, inter tot ac tantos tum inimicorum ſuorum externorum, tum Rebellium ſuorum internorum aſſultus. Omnes mortalium res ex ipſa ſua natura ita ſunt conſtitutæ, ut paulatim ſeipſis concidant; quantò magis collabentur, ſi impellantur ad caſum? Itaque, ſi ad breve ſolummodo tempus Chriſtianam Religionem ſua conſervâſſent miracula, haberent forſan aliquam dubitandi occaſionem increduli; ſiquidem & arborum folia ſuum aliquamdiu vigorem in aquis retinent, ſed nimium aquæ paulatim imbibendo, in profundum denique demerguntur. Verùm id etiamnum non evenit Religioni Chriſtianæ, quæ, licèt per univerſum orbem propagata, licèt ab omnium Nationum populis acceptata, licèt in Academiis omnibus ad examen revocata, ſemper tamen eadem per ſedecim omnino ſecula, eóque ampliùs, permanſit; eadem ſemper fidei dogmata tenuit, eosdem ſacros ritus adhibuit, neque à tot ac diverſis adeò ſectis, in illa impugnanda tam pertinacibus, unquam vel in minimo commoveri ſe paſſa eſt; atque adeò hac ſua conſtantia ſe opus æterni Dei manifeſtè comprobavit.

Atque hæc ſunt illa ſeptem ſigna, ſive ſigilla Evangelicæ doctrinæ, illius inquam libri, qui aliis omnibus erat clauſus, præterquam Agno Divino, cujus ſolius erat, illum è cœlo in noſtrum hunc mundum deferre. Cæterùm

G

ſi quodlibet horum ſigillorum maturè conſideratum, demonſtrare facilè poteſt, quòd Chriſtiana Fides non poſſit eſſe, niſi opus æterni Dei, quantò magis id demonſtrabunt ſimul omnia?

Certum eſt, horum cognitionem tanti eſſe roboris, ut dæmones ipſos & credere faciat, & contremiſcere, uti S. Jacobus loquitur *Cap. VII. v. 19. Dæmones credunt, & contremiſcunt;* non, quòd illorum mens ſit collustrata altiori ac divino lumine, uti noſtra; ſed quòd manifeſta ſigna, quæ Religionem Chriſtianam eſſe veram oſtendunt, Spirituum iſtorum intellectum ita convincant, ut eam omnino veram judicent, cùm apertè intelligant, quòd noſtra Myſteria nulla ratione ab humano ſpiritu, multò minùs à ſpiritu infernali potuerint excogitari, ſed unicè ſint Divini Spiritûs inſtitutiones. Nemo igitur in credenda noſtra Fide poterit eſſe tardus & languidus, quin unà ſit in judicando ſtultus, ac proinde mereatur Evangelicam illam reprehenſionem: *O ſtulti & tardi corde ad credendum! Luc. XXIV. v. 25.* Contrarium prorſus evenit in ſectis aliis, quæ in orbe ſunt; cùm enim nullum è cœlo teſtimonium habeant, quod ſibi faveat, ſi nihilominus ſunt à ſequacibus creditæ, ſtultè omnino ſunt creditæ; & in iis credendis firmitas non virtus eſt conſtantiæ, ſed vitium obſtinationis, ac pertinaciæ.

Talis itaque naturæ eſt ſancta noſtra Fides,

 cujus

cujus liberaliſſimum donum tibi Deus impertivit, dum illam primitus in ſacro tibi baptiſmate infudit, ac variîs deinceps modîs, cùm factus es adultior, illam reddidit perfectiorem, quamvis tu interim illi propterea neque gratias agere digneris. Et tamen quid eſſet, ſi vera Fide careres? Etſi millenis etiam mundis dominareris, quid illi tibi omnes ſine hac prodeſſent, cùm hæc primus ſit paſſus, quo ad Deum accedit anima, ſitque principium, quo fundari ac ſtabiliri debet divina illius amicitia: *Accedentem ad Deum oportet credere.* Et: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo. Hebr. 11.* Atque hinc provenit grande virtutis hujus meritum; ſiquidem illa cumprimis Deum honorat ſummopere, eum habendo, uti reipſa eſt, pro ſuprema & infallibili veritate, eique in ſacrificium offerendo nobiliſſimam noſtram potentiam, intellectum videlicet, parata, novi inſtar Abrahami, dilectum ſuum Primogenitum, proprium nempe judicium, illius honoribus immolare. Humiliat inſuper hominem egregiè profunda quadam demiſſione ac obedientia, dum ab eodem exigit, ut in Divinæ Majeſtatis obſequium, ſibimetipſi, & conſueto aliàs de rebus judicandi modo renuntiet. Inde eſt, quòd holocauſtum hoc tantopere Deus æſtimet, ut obſcuræ huic in terris fidei præmium in cœlis reſpondere faciat claram Dei viſionem, æternam nimirum Beatitudinem.

Hujus

Hujus Fidei obtinendæ Media.

SI Fides ante omnes alias eſt vera perfectáque virtus, & ſi eadem eſt omnium aliarum radix, maximè profectò conveniet, ut artem addiſcamus, hanc immortalitatis radicem excolendi. Ad obtinendum hunc finem tria præcipuè media plurimùm juvabunt. Primum eſt, magno cum fervore Deum rogare, ut vivaciùs identidem cœleſte hoc lumen accendat in anima tua, juxta Sanctorum Apoſtolorum exemplum: *Adauge nobis Fidem. Luc. XVII. v. 9.* Vel ad imitationem Patris illius miſeri: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam. Mar. IX. v. 23.* Idque tantò magìs, quia fides nobis infuſa, ùt initiô diximus, quatuor hîſce Spiritûs Sancti donîs perfectior redditur, donô videlicet Intellectûs, donô Sapientiæ, donô Scientiæ, & donô Conſilii. Nam donum Intellectûs docet nos, magna cum claritate divina penetrare Myſteria; donum Sapientiæ docet nos, eam de his ipſis exiſtimationem concipere, quæ illis convenit; donum Scientiæ docet nos, rectum de rebus creatis formare judicium, illásque veluti media ad conſequendum finem ultimum ordinare; donum Conſilii docet nos, judicium ſpeculativum, uti ſcholæ appellant, accommodare praxi: *Per Intellectum intuendo, per Sapientiam guſtando, per Scientiam ordinando, per Conſilium operando;* ùti loquitur S. Thomas. Quæ

Digitized by Google

itaque ratio augendæ fidei magìs erit idonea, quàm ad Divinum Spiritum frequenter ſe convertere, ab eóque petere quatuor iſta dona, quorum virtute aurora fidei commūnis creſcet uſq; ad perfectum diem fidei ſelectæ?

Quoniam verò fides partim in intellectu eſt, qui firmiter credit, partim in voluntate, quæ intellectui hanc in credendo firmitatem imperat, clarè conſequitur, quòd ad virtutem hanc roborandam tam hæc, quàm illa ſit roboranda potentia, tam voluntas videlicet, quàm intellectus. Alterum igitur virtutis hujus obtinendæ medium eſt, roborare intellectum, ſtudiosè expendendo allata ſuperiùs teſtimonia, & à Deo propterea nobis ſubminiſtrata, ut cognoſcamus, quòd Myſteria noſtra ab ipsómet ſint revelata. Teſtimonia hæc Propheta Regius dicit eſſe cum exceſſu gravia: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis. Pſ. XCII. v. 5.* quia nimirum longè ſunt clariora omni illo, quod prudenter exigere poſſemus, ut induci nos ſineremus ad credenda Myſteria nobis revelata. Hinc, etiamſi illa, quæ credimus, ſint obſcura, rationes tamen, quibus ad illa credenda movemur, ſunt evidentes. Neque verò meritum noſtrum imminuimus, ſed potiùs augemus, ſi in rationes iſtas inquiramus, eáſq; perpendamus, quia in illas inquirimus, eáſque perpendimus, ut perfectiùs credamus; & hæc ipſa noſtra diligentia provenit ex majori animi promptitudine erga ſanctam Fidem

dem, atque ex majori devotione, & amore erga ſancta fidei Myſteria: *Repleti omni gaudio, & pace in credendo. Rom. XV. v. 13.* Ipſa hæc major pax, majúsque gaudium in credendo acquiritur etiam, ſi in animo noſtro ſublimem Potentiæ ac Bonitatis Divinæ exiſtimationem foveamus; ſiquidem omne dubium, quod nobis contra fidem oboritur, potiorem partem provenit ex debilitate noſtri intellectûs, qui tam perfectè, uti deberet, non apprehendit immenſam illam Divinæ Potentiæ ſphæram, & illud imperceptum deſiderium, quo ſummum illud Bonum tenetur communicandi ſe creaturis ſuis, quod ut impleret, tam admirabiles vias invenit. Cæterùm quò profundiora ſunt Myſteria, quantóque magis anguſtos capacitatis noſtræ fines excedunt, tantò magis merentur credi, quia digniora ſunt Deo, & proprium illum veritatis characterem præſeferunt, qui eſt, operari juxta proportionem eſſentiæ. Ita S. Thereſia ſolebat dicere, quòd in illis Fidei veritatibus, in quibus ratio ipſius naturalis minus inveniſſet luminis, tantò plus pacis ac devotionis in credendo ſpiritus ipſius invenerit. Et profectò quid mirum eſt, quòd immenſum mare in unius nucis putamen colligi non poſſit? hæc nimirum eſt maris natura & eſſentia. Quid igitur mirum eſt, quòd Myſteria Divina ſint majora intellectu humano? hæc nimirum eſt eorum natura, & eſſentia, quia ſunt Divina.

Digitized by Google

Roborato ſatis intellectu, cogitandum de firmanda etiam voluntate, quæ in fide mirum in modum proficit per exercitium bonorum operum. Lampadis tuæ lumen ex oleo reipſa non naſcitur, ſed oleô tamen nutritur, & augetur; ita Fides ex operibus quidem naſci non poteſt, per opera tamen bona nutritur, ac promovetur. Eapropter munditia cordis conducit ad conſervandam & augendam divinam hanc virtutem, quia, licèt eodem in corde ſtare ſimul poſſit cum peccato mortali, in illo tamen manet, velut in ſtatu quodam violento, ac proinde non admodum diuturno. Unde nunquam contigit, ut veram Fidem quis abjecerit, quin priùs animi conſcientiam profligaverit; *Repellentes bonam conſcientiam circa fidem naufragaverunt:* ait Apoſtolus *I. Tim. 1.* Raró accidit, ut capitis vertigines ortum aliunde habeant, quàm ex oppleto nimiùm ſtomacho. Igitur ſi peccata magnô ſtudiô devites, & opera bona ſedulò exerceas, Fidem tuam augebis plurimùm, & inſtar Aquilæ obtutu ſimul & volatu primæ Veritatis Soli magis identidem propinquabis.

Præter hæc media, quæ ad confirmandam Fidem noſtram adhibere nos poſſumus, Deus interdum alio utitur medio, quod contrarium quidem videtur, mirô tamen modô ad eundem finem conſequendum juvat. Hoc verò medium eſt, quòd Deus optimas interdum animas, & ſtudio virtutis addictiſſimas vehemen-

hementibûs contra fidem tentationibûs exagitari permittat. Jam verò, ſicut munimentum ex ea parte, qua impugnatur ab hoſtibus, fortiùs defenditur, & magis redditur inexpugnabile, ita contingit pariter, ut anima hîſce dubiîs à dæmone impugnata, fortiùs contra illa ſe defendat, & contrarios hiſce ſophiſmatis, animo ſemper obverſantibus, actus identidem exercendo, in ſancta fide tantò firmiùs ſtabiliatur. Atque hic præcipuè finis eſt, ob quem Deus miſeriam iſthanc immittere ſolet animæ: Eapropter tentationum hujusmodi genus, quantò magis moleſtum eſt, tantò etiam minus habet periculi; quia, quæ hîc ſentitur moleſtia, ſignum eſt reſiſtentiæ, qua ſe anima impugnata defendit. Ut verò, ſi in hos aliquando conflictus incideris, ad obtinendam victoriam tantò meliùs ſis inſtructus, ſupponendum tibi eſt, quòd dubia contra fidem duobûs præcipuè modîs animum noſtrum occupare queant. Primus eſt, quando voluntas acceptat hæc dubia, & ob illa vel omnino falſam, vel ſaltem dubiam eſſe judicat Myſteriorum noſtrorum veritatem; cúmque firmare ſe potiùs deberet in fide, magis eligit vacillare, & intellectui titubanti adhærere, quem ipſa corrigere deberet. Alter dubiorum modus eſt, cùm illa naſcuntur in animo abſque voluntatis conſenſu, imò contra illius imperium, dum voluntas ægerrimè fert, quòd titubet intellectus; ſed quoniam hic volunta-

tis ipſius imperio perfectè non ſubjacet, hinc provenit, quòd intellectus, dum voluntati obtemperat, tantam experiatur anxietatem, inde natam, quòd res naturâ ſuâ ſuperiores firmiſſimè credat, & modo quodam credat, naturam ſuam pariter excedente, nimirum abſque perſpecta rerum, quas credit, evidentia. Primus ille modus dubiorum, quæ acceptantur à noſtra voluntate, graviſſimum continet peccatum, quia Deo graviſſimam infert injuriam, qualis eſt, illi non fidere; nam ſi homini docto & probo gravis irrogatur injuria, ſi verbis illius non creditur, qualis tandem erit injuria, quam facit infinitæ Sapientiæ ac Bonitati ipſius Dei, quisquis illius verba pro veris acceptare non vult? Ex una parte non poteſt anima cum ratione dubitare, quin Deus fuerit locutus, cùm hujus habeat tot ac adeò manifeſta ſigna; ex altera verò parte, ſi locutus eſt Deus, numquid hoc foret primam veritatem ſolemnis arguere mendacii, ſi ea traherentur in dubium, quæ illa nobis dignata eſt revelare? Alterum verò dubiorum, contra voluntatem inſurgentium, genus, quod noſtrum animum cum inſigni noſtra moleſtia pererrat, non ſolùm eſſe poteſt ſine omni noſtra culpa, ſed magni inſuper meriti ſolet eſſe occaſio; neque per illud deperditur fides, ſed confirmatur. Ad credendum enim, poſtquam in Baptiſmo habitus ſanctæ Fidei nobis infuſus eſt, aliud præter iſta duo non requiritur; primò quidem

auxi-

Digitized by Google

auxilium divinæ gratiæ, quod intellectum illuminet, & voluntatem noſtram moveat ad exercitium hujus virtutis; deinde, ut voluntas noſtra, divino hoc auxilio excitata, libere illi conſentiat, ſéque reſolvat, quòd velit credere. Itaque ſi iſta duo in animo tuo reperias, poteris cum dubiorum omnium, tibi occurentium, contemptu hunc actum fidei elicere; & hoc ipſum, quòd velis credere, jam actualis eſt fides. Ut igitur doctrinam modò propoſitam reducamus ad praxin, ſi moleſtias aliquando ab hoc tentationum genere patiaris, ad eas propulſandas unum è ſequentibus tribus modis adhibe. Primus eſt, id omne contemnere, quidquid in oppoſitum ſuggeſſerit dæmon, neque aliter ſe gerere, quàm ſe gerere quis ſoleat, cùm ſtultum loquentem audit, tergum videlicet illi obvertendo, & verbis illius non attendendo. Explicari ſanè non poteſt, quàm amarus accidat contemptus iſte diabolicæ tentatoris noſtri ſuperbiæ. Secundus modus eſt, auxilium Dei & illorum Sanctorum invocare, qui ob fidei virtutem magis inclaruêre, uti ſunt Sancti Martyres, qui Fidem ſuo ſanguine confirmârunt, eámque inter acerbiſſima tormenta conſervârunt. Tertius denique modus eſt, ſtrenuè proteſtari, & generosè ſe declarare, quòd credere quis velit, & mille potiùs mortes ſubire malit, quàm ſanctam Fidem amittere. Thomas de Kempis ad hanc rem appoſitè memorat, ſacerdotem quemdam

damReligioſum longo tempore hoc tentationum genere atrociter fuiſſe impugnatum à dæmone, eóq; demum redactum, ut vita ipſa magno illi ſupplicio fuerit. Die quadam, cùm hic Sacerdos Sacrum in Divæ Agnetis ara celebraret, hæc ipſa illum tentatio mirum in modum divexavit, & in magnas redegit anguſtias; unde miſer Sacerdos, ſolutus in lacrimas, ad Deum ſe convertit, ejúsque ſubſidium imploravit. Cùm ita oraret, vocem intelligit, in animo ſibi dicentem: Numquid ea ratione vis credere, qua credidit S. Agnes, & tot aliæ Sanctæ, Sanctíque Martyres, qui in fidei teſtimonium vitam ſuam poſuêre? Ad hanc ille vocem promptiſſimè reſpondit: Ita, Domine! volo firmiter credere, ſicuti crediderunt hæ animæ ſanctæ. Et en! eodem temporis puncto fumi inſtar evanuit infernalis illa tentatio; & Dei ſervus plùs, quàm aliàs unquam, in hac virtute ſe confirmatum ſenſit; ſubinde verò, ut eam augere pergeret, ſæpe ſæpius ſecum ipſo hæc verba repetebat: Credo, & volo credere, ſicuti credunt Sancti Martyres, & ſicuti credit univerſa Sancta Eccleſia. Eodem animo & tu in ſimilibus te gere conflictibus; è quibus denique fides tua prodibit, velut aurum è fornace, multò nimirum ſplendidior, & pretioſior.

Qui-

Quibûs actibûs exerceri poſſit hæc virtus?

JUſtus ex fide vivit, ùt iîſdem verbîs loquitur Apoſtolus *Hebr. X. v. 38. Juſtus autem meus ex fide vivit.* Peccatores aut vitam vivunt animalem, quia non cogitant, niſi præſentia, nec aliud æſtimant, niſi voluptatés; aut, ſi multum, vitam vivunt humanam, dum videlicet ratione duntaxat naturali reguntur. At qui verè juſtus eſt, *Juſtus autem meus*, ſolîs fidei principiîs regitur, & per fidem actualem, ac aſſiduè reſuſcitatam, conſervat vitam animæ, quæ conſiſtit in gratia, creſcítque in omni alia virtute, dum demum obtineat vitam gloriæ, quæ mortem non videbit in æternum. Igitur & tu omnes tuas actiones per fidem animabis, ut juſtæ ſint; potiſſimùm autem eam adhibebis in his quinque occaſionibus; nimirum in perſolvenda *Oratione* tua, in ſuſcipiendis ſanctiſſimis *Sacramentis*, in occurrentibus tibi *Dubiis*, in tuis *Tentationibus*, & in ingruentibus denique *Tribulationibus*.

In perſolvenda itaque *Oratione* tam vocali, quàm mentali ſummè eſt neceſſaria Fides de divina Præſentia. *Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis;* dicit S. Joannes ad Judæos *Jo. I. v. 26.* Sed quàm frequenter idipſum dici poſſet & nobis, quòd nimirum, licèt ùt Fideles credamus, Deum eſſe in omni loco,

loco, & maximè intra nos ipſos, nihilominus divinam hanc præſentiam negligentes, tam orationis tempore, quàm aliàs, cum illo agamus, veluti procul à nobis eſſet. Fidem igitur adhibe ad hanc veritatem vivaciter apprehendendam, & cogita, adſtare Deum attentiſſimum, ut audiat te, & oculo, ipſius ſolis radiîs infinitùm lucidiore, omnes animæ tuæ motus obſervet. Hac ratione facile tibi erit, voluntatem ad piiſſimos affectus & ferventiſſimas preces aptare.

Dum accedis ad ſuſcipienda Sanctiſſima *Sacramenta*, imaginare tibi, quòd pergas ad animam tuam, pretioſiſſimo Redemptoris tui Sanguine mergendam, ac proinde profitere, quòd in Perſona Sacerdotis, quem oculîs corporeîs vides, ipſius JEſu Chriſti Perſonam agnoſcas, quem fidei ſolum oculîs vides; dúmque abſolutionem excipis, cogita, quòd Sacerdos, qui te abſolvit, manum ſuam lateri Redemptoris immergat, & divini Sanguinis liquorem effundat in animam tuam, ut ab omnibus ſuis ſordibus illam emundet. Idipſum de Sacra Communione dicendum eſt, pro qua tam ante, quàm poſt illius ſuſceptionem melior diſpoſitio eſſe non poteſt, quàm viva fides de tremendi hujus Myſterii veritate. Beatum te, ſi illam ita exſuſcites, ut dici de te poſſit id, quod Apoſtolus de Moyſe dicit, nimirum quòd cum inviſibili Deo ita egerit, veluti ſi illum intueretur: *Inviſibilem tanquam videns ſuſtinuit. Heb. XI. v. 27.*

Tanta

Tanta videlicet illius erat in Deum reverentia tam interior, quàm exterior; tales erant inflammati cordis illius affectus. Paucæ ſunt admodum plantæ, quæ alibi ſuum fructum producant, quàm in medio ſui floris; & tibi pariter raro admodum eveniet, ut aliter fructum pietatis Deo gratum producas, quàm in medio actuum veræ Fidei.

Dubia, quæ in hiſce tenebris, in quibus vivimus, nobis occurrunt, non poterunt majori cum autoritate deponi, quàm ope fidei, agnoſcendo nimirum in Superiore, & in Arbitro conſcientiæ Perſonam ipſius Chriſti Domini, ac divinam ejus Providentiam, qua vult homines per homines regere. *Qui vos audit, me audit. Luc. X. v. 16.* Si verò occaſionem non habeas te reſolvendi per obedientiam, aliâ tibi viâ per fidem conſule: *In omnibus operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. VII. v. 40.* Audi, quàm ſecurum tibi modum ſubminiſtret S.Spiritus, ut in conſiliis tuis in æternum non erres! hic verò modus eſt, ſi deliberationes tuas concludas per memoriam Noviſſimorum, quæ nobis imminent. Satis igitur erit, ſi in his dubiis conſtitutus, ita tibimetipſi loquaris: Si moriendum tibi nunc eſſet, ecquam partem ſecutum te eſſe cuperes? quidnam ex duobus majus tibi præberet ſolatium, ſi jam nunc coram divino tribunali ſiſtereris ad judicium? Numquid inſignis hæc foret ſtultitia, ſi modò non eligeres

res id, quod elegiſſe tantopere tunc deſiderares? Quomodo ſub illud tempus metes, & colliges id, quod modò non ſeminâſti? *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Gal. VI. v. 8.*

Tentationibus, quæ te impugnant ſive blanditiîs, ſive terroribûs, per fidei fortitudinem illico reſiſtes juxta Divi Petri conſilium: *Reſiſtite fortes in fide. I. Pet. 1.* Excitando videlicet fidem de Bonis Malisque ſempiternis. Dic tentatori: Quid agam cum tuis voluptatibus? O Cœlum! ô Cœlum! an ero igitur adeò ſtultus, ut propter terrenas immunditias immensô marî cœleſtis Beatitudinis abdicare me velim? *Omnia arbitror ùt ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Phil. III. v. 7.* Quid me terres, infelix tentator, patiendi horrore? vera tormenta ſunt illa, quæ tecum patiuntur tot animæ deſperatæ, quæ, quoniam tuis ſuggeſtionibus præbuêre conſenſum, nunc pœnas luunt in ignito carcere, ex quo nulla in æternum eſt redemptio; hanc ſcio tuam eſſe domum; quæ mea quoque eſſe poterit, ſi voluntati tuæ conſentiam; id proinde non faciam in æternum. In hac eadem ſanctæ fidei officina cuduntur ſagittæ illæ, quæ contra dæmonem intorquentur, dum non modò illius tentationibus non ceditur, ſed magna inſuper cum animi generoſitate eliciuntur actus, illius tentationibus oppoſiti. Ita vidit aliquando ſervus quidam Dei nonnullos dæmones, qui Maurorum ſpecie

Digitized by Google

ſpecie ſagittas contra Fideles jaciebant. Hæ ſagittæ aliquos transfigebant penitus, eos nimirum, qui tentationibus aſſenſum præbebant; aliis ad pedes concidebant ſagittæ, iis videlicet, qui malignis tentationibus conſenſum non dabant; alii medio quidem pectore ſagittas excipiebant, ſed eas adeò dextre ac ſeliciter repellebant, ut in Mauros illos, à quibus provenerant, reverterentur, eóſque vulnerarent; quod inde accidebat, quia generoſæ illæ animæ non ſolùm tentationi conſenſum non præbebant, ſed contrariîs inſuper actibûs eam in dæmones rejiciebant.

Denique in *Tribulationibus* omnibus verum ſolatium obtineri nequit, niſi ope fidei. Cryſtallus in gemmam non ſolidatur, niſi expoſita ſit meridiano Soli. Certum habeto, quòd omnis illa conſtantia, quam humana tibi motiva ſuppeditare poſſunt, non ſit, niſi vitri conſtantia; ſi proinde deſideras, ut cor tuum, veluti Cryſtallus, induretur, diutiùs illud exponere debes radiis ſanctæ fidei in hunc fere modum: Duas ſemper expende veritates, unam, quæ ad tribulationum principium, alteram, quæ ad illarum finem pertinet. Res omnes, quæ te affligunt, ſemper tibi obveniunt à divinæ Providentiæ manibus, quæ in tuum illas commodum ab æterno deſtinavit; nunc verò paterno cum amore hunc tibi calicem offert, amarum quidem illum ex natura ſua, divina tamen ſua volun-

tate edulcatum; itaque & tu cum Redemptore tuo dic: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Joan. XVIII. v. 11.* Parî modô etiam finis, ad quem nos dirigunt tribulationes, eſt ipſe Deus; ſerviunt enim nobis, ut ſtrictiùs atque perfectiùs cum illo conjungamur in hac quidem vita per caritatem, in altera verò per gloriæ ſempiternæ meritum. *Mala, quæ nos hîc premunt, ad Deum ire compellunt;* uti loquitur S. Gregorius; quia pro Deo pati non ſolùm nos ad Deum ducit, ſed impellit etiam, & veluti cum violentia trahit, ut cum illo conjungamur. Si verò & tu inſtar ſanctorum illorum animalium, quæ vidit Ezechiel Propheta, ope fidei Paradiſi ſpeciem ſupra caput effingeres: *Similitudo ſuper capita animalium firmamenti. Ezech. I. v. 22.* facile tibi foret, ſimilem in operando fervorem concipere, & ſemper ulteriùs progredi: *Ibant in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Ibid. v. 14.* S. Franciſcus, qui magna cum attentione talem ſibi ideam in animo ſuo formaverat, in majoribus tribulationibus ita ſolebat cantillare: *Tam grande eſt bonum, quod ſpero, ut leve ſit omne, quod fero.* S. Thereſia verò etiam ipſa ſolebat geſtire præ gaudio, ac dicere: *Tam excelſam vitam ſpero, ut pene moriar, quia non morior.*

Hoc igitur actuum genere fides tua ſemper evadet robuſtior; quanto verò cum animæ tuæ commodo, quis ſatis explicabit?

Satis

Satis ſit dicere, quòd victoria, quæ vincit mundum, & omnes inimicos noſtros, ſit noſtra fides. *Hæc eſt victoria, quæ vincit mundum, fides noſtra. I. Joan. 5.* Atque ita, quantopere mundus ſenſuum operâ nos pertrahere conatur ad ſe, tantopere quoque Gratia ſtudet nos ad Deum attrahere ope fidei, quæ ſenſibus eſt contraria.

MEDITATIO SECUNDA.

Pro prima die Exercitiorum.

De Mediis ad conſequendum finem ultimum.

Reliqua verò, ſupra terram ſita, creata ſunt hominis ipſius causâ, ut eum ad finem creationis ſuæ proſequendum juvent; unde ſequitur, utendum illîs, vel abſtinendum eatenus eſſe, quatenus ad proſecutionem finis vel conferunt, vel obſunt. S. Ignat. in Princ. ſive Fundam.

I.

CONſidera ingentem Mediorum *Numerum*, quæ tibi ſuppeditavit Deus ad conſequendum tuum ultimum finem; quo pacto tibi demonſtravit, quantùm te deſideret beatum reddere in æternum. Media hæc ſunt primùm Bona fortunæ, & externa; divitiæ, honores, & proſperitates temporales. Deinde, Bona naturæ; ingenium, prudentia,

ſenſuum tuorum, atq; membrorum omnium integritas. Denique Bona Gratiæ, ſive ſupernaturalia; illuſtrationes intellectûs, boni motus voluntatis, gratia ſanctificans, dona Sancti Spiritûs, virtutes, Sacramenta, Verbi divini prædicationes, libri, & exempla Sanctorum, Confeſſariorum inſtructiones, pax & remorſus conſcientiæ, cuſtodia Sanctorum Angelorum, Deus ipſe, qui non contentus, ad conſequendum finem tuum creaturarum ſuarum operâ te adjuvare, ipſus in propria Perſona ad procurandam ſalutem tuam advenit, & humanam pro te naturam aſſumpſit; atque ita ex ultimo fine, qui ipſémet eſt, dignatus eſt fieri medium non verbîs tantùm & exemplîs, ſed ipſómet etiam ſanguine & vita ſua; nulla in re ſibímet parcens, ut liberam tibi apertámque viam ad Cœlum ſterneret. O quantum igitur tuâ intereſſe oportet, Deo in hac vita ſervire, & in altera æternùm illo frui, dum in hunc finem Deus non ſolùm creaturas ſuas omnes, etiam quæ in cœlo ſunt excelſiſſimæ, ſed & ſuámmet Perſonam divinam impendit, ſua itinera, ſuos ſudores, opprobria ſua, ſuam paupertatem, & mortem ſuam, unáque infinitum meritorum ſuorum theſaurum, cujus te hæredem inſtituit: *Omnia veſtra ſunt;* dicit Apoſtolus *I. Cor. III. v.22.* Omnia proin tua ſunt, ut tu totus Chriſti ſis: *Vos autem Chriſti. Ibid.* Itaque ſi in maximam tuam infelicitatem te aliquando perditum videris, cujus id culpâ fiet?

fiet? Sanè inexcuſabilis omnino eris, quia Deus manifeſtè tibi oſtendet, quòd omnia pro te fecerit: *Quid eſt, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? Iſa. V. v. 4.* Admirare igitur divinam erga te benignitatem, atque ex intimo corde illi gratias age; erubeſce, quòd minùs egeris pro obtinendo Deo tuo, quàm feceris pro obtinendis bonis creatis, & nullius valoris; pete gratiam à Domino, ut inſuperabiles hæ veritates ex animo tibi numquam excidant, ſed omnes tuas actiones dirigant.

II. Conſidera *Abuſum*, quo in hanc uſque diem hæc media perdidiſti. Quomodo enim hactenus impendiſti dona Gratiæ? Deus novit, annon ex luminibus, quibûs tibi fides Bonitatem ac Patientiam divinam in ſupportandis peccatoribus aperuit, occaſionem acceperis, Deum liberiùs offendendi; annon ſpes veniæ te induxerit ad multiplicandas injurias, non admodum illas curando propter obvium illarum remedium, quod nobis offertur in Pœnitentiæ Sacramento. Id ſaltem eſt certum, quòd incaſſum acceperis tot interna, & externa Gratiæ divinæ ſubſidia, quæ, ſi multis Infidelibus, multis Hæreticis, multis peccatoribus fuiſſent ſubminiſtrata, ſummô ab iisdem ſtudiô acceptata, fructum egregium protuliſſent. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent. Matth. XI. v. 25.* Multò adhuc

Digitized by Google

huc ampliùs abuſus es Bonîs naturæ ac fortunæ; nam creaturas, quæ ſervire tibi pro ſcala debuerant, qua elevari poſſes ad Deum, convertiſti tibi in murum diviſionis inter te & illum; imò in gladium, quo illum impeteres, dum unicè curabas, ut ſenſibus tuis etiam cum injuria ſummi Benefactoris tui ſatisfaceres. Hóccine eſt ſervire Deo? hoc potiùs eſt velle, ut ille tibi ſerviat etiam contra ſeipſum, tibiq; & vires & auxilia ſuppeditet, quibûs ad libitum tuum abuti queas: *Servire me feciſti in peccatis tuis. Iſa. XLIII. v. 24.* Et quamdiu tandem hoc bellum te inter ac Deum perdurabit? quamdiu Deus ſuppeditabit tibi ad ſalutem media; tu verò hæc ipſa contra illius honorem, & contra tuam ipſius ſalutem adhibebis? quamdiu Deus tibi tribuet bona, tu verò totidem illi reddes mala? O tè miſerum, ſi poſt breve tempus horum omnium rationem debebis reddere; ſi Deus ea, quæ tibi præſtitit, cum iis conferet, quæ tu illi reddidiſti! Nunc, ſi ſapis, rationes tuas cum Redemptore tuo compone, antequam Judex tuus idipſum faciat. Erubeſce ob ſummam ingrati in illum animi tui labem; obſtupeſce tuam in abjiciendis tot theſauris prodigentiam, quos plena manu tibi ſubminiſtravit Deus, ut æternùm te divitem redderet. Deteſtare vitam tuam, ad hoc uſque tempus tam infeliciter ac temere exactam, veluti ſi Deus non eſſet, cui ſervire deberes, & quem lucrari poſſes; ſed

Digitized by Google

ſed tu ſolus mundi Dominus fores. Propone, non aliud impoſterum quærere, quàm ut Deo placeas, & ſalutem tuam in tuto colloces; ac denique pete gratiam, tam grande hoc obtinendi ultimi finis tui negotium tanta cum animi applicatione, attentione, & efficacia tractandi, quantam id meretur.

III. Conſidera *Emendationem*, quæ abuſum hunc ſequi debet. Conſiſtit autem hæc in eo, ut media pro mediis, non pro fine habeas; id eſt, ut ea tantùm ames, quantùm tibi ad deſideratum finem ſunt proficua. Itaque in tres illa claſſes diſtribue: Quædam ſemper ad finem tuum te juvant, uti ſunt dona gratiæ, Sacramenta, & opera pietatis, Horum menſuram adhibere debes admodum abundantem, idque ſumma cum diligentia; hæc enim media ſunt adeò pretioſa, ut quævis anima damnata unicam bonarum illarum occaſionum, quas tu negligis, perlibenter emeret omnibûs ſimul inferni pœnîs ac tormentîs, per integrum ſeculorum millionem in ſe una patientiſſimè tolerandîs. Secundæ claſſis media ſunt illa, quæ obtinendo fini ſemper obſunt, quia ſemper conjuncta ſunt cum peccato, utpote prohibita per legem Dei. Atque hæc reſcindere penitus à te debes, & abhorrere ex intimo corde, velut oppoſita divinæ gloriæ, & inimica ſaluti tuæ, Tertii deniq; generis illa ſunt, quæ ad conſequendum tuum ultimũ finem interdum juvãt, interdum verò eidem obſunt, Circa horum

abuſum emendatio conſiſtit in eo, ut animum tuum in æquilibrio perfecto ſtatuas, ita, ut in neutram ille partem magis propendeat, niſi quæ magis minúsve te ad Deum dirigit. Adeoque, niſi omnium maximam admittere velis imprudentiam, ſanitatem invaletudini, divitias paupertati, honorem infamiæ, vitam morti præferre non debes, niſi magis illa te promoveant ad felicem tuam æternitatem. Quæ conſecutio magis eſt certa? Viator non inquirit in viam amœniorem, ſed in eam, quæ rectiùs breviúsque ducit ad Patriam; Nauta non deſiderat ventum leniorem, ſed eum, qui certiùs illum ac ſecuriùs deducit ad portum; infirmus non flagitat medicinam ſapidiorem, ſed illam, quæ pellendo malo magis eſt idonea. An ergo in ſolo ſalutis æternæ negotio tenendus eſt ordo inverſus, & amanda, veluti bonum, illa ſanitas, illa commoditas, illa dignitas, illa voluptas, quæ inimica eſt animæ? An adeò tu cæcuties impoſterum, ut bilance utaris tam fallaci; ut bonum tibi futurum judices id, quod te retardat, & impedit à conſequendo ſummo Bono? Hoc enimvero eſſet in extremam tuam perniciem alia rebus imponere nomina, bonum dicendo malum, & malum dicendo bonum: *Væ! qui dicitis malum bonum, & bonum malum! Iſa. V. v. 20.* Expergiſcere igitur aliquando tandem ab hoc letali ſomno, ac propone totîs animi tui viribûs ultimum tuum finem perſequi, obſtacula

quæ-

Digitized by Google

quæcunque vi perrumpere, nec priùs conquieſcere, quàm illum obtinueris; in morem nempe fluvii, qui nec riparum amænitanitate ſe allici, nec aggeribûs retrudi ſe ſinit, nec quieſcit unquam, donec ad mare ſuum pervenerit. Quid igitur in te ſibi volunt affectus illi erga creaturas immoderati? exſcinde illos penitus è corde tuo, etiamſi cariôres hactenus tibi fuerint ipsîs oculorum tuorum pupillîs: *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te. Matth. V. v. 49.* Quid ſibi volunt tot illi labores, quibus tempus, rebus ſpiritualibus debitum, inſumis, & perdis? reſcinde defectus omnes, etiamſi cariores tibi fuerint ipsâ tuâ dexterâ: *Si dextra manus tua ſcandalizat te, abſcide eam, & projice abs te. Ibid. v. 30.* Quid ſibi volunt tot ſolicitudines & curæ de aliorum factis, quæ ad te non pertinent? abſcinde hæc omnia, & projice abs te: *Si autem - - pes tuus ſcandalizat te, abſcide eum, & projice abs te. Matth. XVIII. v. 8.* An agi putas de parvi momenti negotio, dum agitur de perdenda vel obtinenda in æternum immenſa felicitate, & poſſeſſione infiniti Dei? Deteſtare igitur vias illas retortas, per quas hactenus inceſſiſti, & roga Deum, ut, quia te unicè propter ſe creavit, gratiam tibi donet, qua unicè propter illum vivas, & unicum tuum negotium ſit illud, quod eſt unicum tuum Bonum.

EXAMEN
Pro die prima.
De exteriorum Senſuum regimine.

I.

EXamina te, quomodo te geras circa Viſum. 1. An per viſum nil aliud quæras, quàm tuam delectationem, útque curioſitati ſatisfacias? 2. An oculos evagari ſinas ad objecta etiam periculoſa? 3. An eos ſaltem occupes rebûs vanîs, quæ orationis tempore animum tibi poſſunt imaginibûs inopportunîs implere? 4. An te aſſuefacias ad frænandam interdum eorundem oculorum tuorum libertatem, ut aliquam Deo ſatisfactionem offeras?. S. Joannes apparuit aliquando Sanctæ Gertrudi cum oculis lucidiſſimis, quos in præmium recepit, quòd eos toto illo tempore, quo cum Beatiſſima Virgine poſt Domini aſcenſionem eſt commoratus, nunquam in ejus vultu defixerit.

II. Circa auditum te examina. 1. An ames, intelligere nova mundana ſine cauſa & fructu? 2. An in Muſica, etiam ſacra, pro fine tantùm habeas voluptatem tuam, non verò ſpiritûs levamen, vel aliam aliquam virtutis rationem? 3. An laudes tuas, vel adulationes audias cum voluptate; aut facilè defectus tuos excuſes? 4. An identidem cuperes

peres ſermones ſolùm nugaces, & fallendo tempori tantùm idoneos audire? 5. An de aliorum factis loquentes libenter audias? 6. An aliorum, præſertim ſociorum, aut æmulorum tuorum laudes excipias cum indignatione, & majorem adhuc ſentias, ſi corrigi te audias ob defectus tuos? 7. An in audiendis rebus ſacris & ſpiritualibus tædium advertas? 8. An Verbum Dei ſtomachum tibi moveat, niſi ſit conditum ad tuum guſtum?

III. Examina ſenſum guſtûs. 1. An abſtinere te noveris ab omnibus illis irritamentis gulæ, quæ in ciborum uſu neceſſaria non ſunt? 2. An in comedendo non alium habeas finem, quàm ſolam delectationem, vel, ut famem exſaties; non verò, ut vires ad Dei obſequium conſerves, vel ut Religioni pareas, quæ ad corpus refocillandum te vocat? 3. An extra conſuetum tempus comedas, vel cum aviditate nimia, vel cum indecoro, & ſine attentione ad lectionem, quæ ſub id tempus audiri ſolet? 4. An conquueraris aliquando, ſiquid ad menſam tibi defuerit, vel ſi malè præparata fuerint obſonia? vel an hac de re cogites ſive ante, ſive poſt menſæ tempus? 5. An à menſa diſcedas, quin aliqua ſaltem in re genium tuum defraudaveris, & aliquid illi obtuleris, qui tibi dedit omnia? Hæc ſui victoria primus eſt paſſus, ad quem incipientes etiam perveniunt, éſtque ſummopere neceſſarius ad imminuendam magnam illam neceſſitatem, qua expenſas facere debemus ad

ad nutriendum maximum noſtrum inimicum, qui eſt corpus noſtrum.

IV. Examina ſenſum odoratûs. Eſſe forſan poterit, quòd hic ſenſus minùs, quàm cæteri, à te obtineat, ut illi blandiaris; ſed neceſſarium inſuper eſt, ut illi vim inferas, tum præcipuè, quando ſerviendum eſt infirmis, & natura tale obſequium horret, & nauſeabunda ſubterfugit.

V. Examina, quomodo te geras circa ſenſum Tactûs. 1. An veſtium elegantiam & nitorem nimiùm quæras? 2. An lecti mollitiem tibi procures? 3. An juſtô plus temporis ſomno tribuas? 4. An otio te nimiùm dedas, & labores conſuetos negligas? 5. An ad affligendum corpus tuum aliquod pœnitentiæ inſtrumentum adhibeas, uti Sanctis omnibus in uſu fuit? 6. An pœnalia hujusmodi exercitia quædam adhibeas pro tuómet arbitrio, ſine obedientiæ directione? 7. An intermittas pœnitentias, à regula tua præſcriptas, ſub fallaci ſanitatis prætextu? 8. An magis ames auſteritates, quæ ipſe tibi eligis, quàm eas, quæ tibi imponuntur? 9. Denique an tui ſenſus in genere tibi præbeant occaſionem, frequentiùs teipſum vincendi; an verò ſolùm ſerviant inimico tuo pro exploratoribus ac proditoribus, qui illum admittant in animum tuum? Senſus tui ſunt portæ tuæ. Væ illi civitati, quæ portas ſuas ſine cuſtodia relinquit! quis enim inimicus, quantumcunque debilis, eam non poterit in ſuam redi-

redigere poteſtatem? Agnoſce defcctus tuos, hactenus admiſſos, qui forſan erunt ſine numero; humilia te propterea coram Deo; perpende, quas cauſas habeas, hoc in genere te devincendi, & roga Deum, ut gratiam tibi largiatur, deinceps non aliter utendi ſenſibûs tuîs, quàm juxta voluntatem illius, qui illos tibi dedit; ita ut iîs utendo non ampliùs pecces ſive in modo, ſive in fine & intentione.

MEDITATIO TERTIA.

Pro prima Exercitiorum die.

De Gravitate peccati mortalis.

I.

CONſidera, quòd injuriæ gravitas ex tribus his capitibus deſumi debeat; ex qualitate nimirum Offenſi, Offendentis, & Offenſæ. Perpende igitur, quòd Offenſus per peccatum mortale ſit ipſe Deus, id eſt, Dominus infinitè bonus erga te, & infinitè bonus in ſeipſo. Quid, oro, ſine Deo habuiſſes unquam, cùm ſine illo ne poſſibilis quidem fuiſſes? Peccando igitur offendiſti Creatorem tuum, ſine quo nunquam in hunc mundum veniſſes; offendiſti Conſervatorem tuum, ſine quo in hoc ipſo mundo nec momentô vel unicô perſtitiſſes; offendiſti Redemptorem tuum, ſine quo æternùm periiſſes,

ſes, qui morte ſua, ignominiîs & doloribûs plena, æternam Paradiſi beatitudinem tibi comparavit. Offendiſti prætereaDominum, adeò bonum in ſeipſo, ut, ſi Dæmones, qui tantopere illum oderunt in inferno, revelata illum facie poſſent intueri, eorum quilibet eum longè plùs ac vehementiùs amaret, quàm illum ſimul omnes in hunc uſque diem oderunt. Et licèt hunc amorem ipſum novâ inferni pœnâ comparare ſibi deberent, eorum tamen quilibet novum hunc infernum hilariter ſubiret, ut magis illum poſſet amare, & nullam illi vel in minimo moleſtiam facere; pleno ſimul ore profiterentur omnes, quòd omnia hæc amoris teſtimonia nihil omnino ſint, ſi comparentur merito, quo infinitum hoc Bonum amari meretur. Hic igitur ille Dominus eſt, quem offendiſti; vel, ut meliùs dicam, non eſt hic ille Dominus, quem offendiſti; ſed eſt aliquid infinitè perfectius, & elevatum ſupra omnes cogitationes tuas, imò ſupra omnes cogitationes omnium, etiam ſupremorum cœli Spirituum. An potes hæc omnia credere fide divina, & tamen præ dolore non emori, dum recordaris, quòd immenſum hoc Bonum non modò non amaveris, ſed habueris veluti inimicum, quando peccatîs tuîs illud offendiſti; & quòd æternùm ab illo te ſeparaveris, cùm in tua poteſtate nullo modo jam eſſet, ut divinam inſtaurares amicitiam, & deſtrueres peccatum tuum? Nunc ſaltem, quando ſuâ te gra-

tiâ prævenit Deus, deteſtare peccata tua, veluti malorum omnium ſummum; utpote malum, quod Deum ipſum attingit. Gratias illi age pro patientia tam diuturna, quam in te perferendo exhibuit; fatere coram univerſa cœli curia crudelem proditionem tuam, quam contra Deum molitus es, quáque in alium Dæmonem, reliquîs longè pejorem, & culpâ quidem ſimilem, ſed naturâ multò inferiorem, evaſiſti. Confirma denuo propoſita tua, potiùs moriendi millies, quàm contra magnum hunc Dominum iterum inſurgendi; precare ſimul Deum, ut ſuam tibi bonitatem demonſtret, cor tuum tibi penitus im̃utet, ac totum te ſuum faciat.

II. Conſidera qualitatem *Offenſæ*, quæ per peccatum mortale infertur ipſi Deo. Eſt enim injuria horridiſſima, quæ ſummum Dei contemptum, & ſupremam quamdam crudelitatem continet. Et ſummum quidem contemptum continet, quia ex parte una divina voluntas, ac ſupremæ illius Majeſtatis beneplacitum, ex altera verò parte voluntas tua, & beneplacitum brutalis appetitûs ac indomitæ paſſionis tuæ conveniunt; dum autem peccâſti, voluntati divinæ tuámmet prætuliſti voluntatem, & iniquiſſimam hanc in animo tuo tuliſti ſententiam, utilius tibi eſſe, obedientiam negare Creatori, ut tibimet ipſi ſatisfacias; & quamvis tibi Deus cum omni ſua poteſtate præceperit, quamvis cum univerſa ſua omnipotentia commi-

natus

natus tibi fuerit, quamvis cum omni ſua bonitate tibi fuerit blanditus, hîs tamen omnibûs nihil motus, pluris reipſa feciſti voluptatis tùæ guſtum, quàm ipſum Deum. *Me autem projeciſti poſt corpus tuum. III. Reg. XIV. v. 9.* Similî modô peccatum tuum ſupremam quamdam in Deum crudelitatem continet, quia rectà tendit ad illum offendendum, quin adeò ad illum deſtruendum, & redigendum in nihilum, ſi modò id foret poſſibile; conturbando videlicet immenſam illam felicitatem, ſine qua Deus eſſe ac manere non poſſet. Unde ſicut hic eſt amoris genius, ut, ſi Deus bonum illud non poſſideret, quod tamen poſſidet, id amor illi donaret; ita peccatum, quod amori undequaque opponitur, tantæ eſt malitiæ, ut, ſi Deus bonum illud perdere poſſet, quod habet, id illi peccatum auferret. Vide igitur, quid peccando feceris; omne id malum intuliſti Deo, quod inferre illi poteſt creatura; éſtque non obedire Deo, illúmque contemnere; amplius verò illud eſt: quòd ad nihilum redactus non fuerit, non illi tua pepercit malitia, ſed divina ipſius obſtitit perfectio, quæ interni alicujus mali capax non eſt. Tu interim, quantùm in te fuit, tuam ad horribile hoc facinus contuliſti operam, ac proinde in ejusmodi teipſum ſtatu conſtituiſti, quem Deus æternùm abominabitur, quin poſſit illum aliquando vel non intueri, vel non abominari, vel cum omnibus ſuis infinitis perfectionibus ſe illi

non

non opponere. Quod verò ſupplicium ille merebitur, qui tantum facinus eſt auſus? Et tu quid odio tandem habes, niſi maximo habeas peccatum tuum? Deus illud abominatur adeò neceſſariò, ut, ſi illud abominari deſineret, Deus ſimul eſſe deſineret. Tu verò id adeò non curas, ut illud nec admiſiſſe horreas, neque te periculum, denuo in abyſſum hanc decidendi, terreat. *Numquid parva eſt fornicatio tua? Ezech. XVI. v. 20.* Deprime te igitur in abyſſum uſque iniquitatum tuarum, & deſidera mare lacrymarum, quibûs dignè defleas tuas adversùs Deum molitiones; millies ab eo veniam pete, & ſupplex illum roga, ut dignetur ei bene facere, qui tantum ipſi intulit mali; ac proinde vitam tibi priùs eripiat, quàm ad illum offendendum redeas.

III. Conſidera qualitatem *Offendentis*, quæ denique ſupremum injuriæ complementum affert. Offendens tu ipſe es; atque ut vilitatem tuam intelligas, conſidera te primùm quoad corpus, quod modò vas eſt immunditiæ, & paulò poſt minus erit, quàm formica, quia redigetur in nihilum. Conſidera te deinde quoad animam: plenus es ignorantiâ, fragilitate, malitiâ, imprudentiâ, & iniquitate; foris circumdatus es inimicîs innumerîs, tam corporeîs, quàm incorporeîs; ad lapſum impelleris tot tantîsque tentationibûs, in profundum abriperis tot inordinatîs affectibûs, ſuſpenſus es ſupra pecca-

 torum

torum & pœnarum omnium abyſſum, in quam omnî momentô decideres, niſi is ipſe Deus, quem offendiſti, ſuâ te gratiâ ſuſtineret. Quid igitur ſentire de teipſo debes, cùm ex teipſo nil poſſis aliud, quàm peccare, & perire? *Perditio tua, Iſrael; in me tantummodo auxilium tuum. Oſe. XIII. v. 9.* Totum id, quod vel nihil, vel peccatum, vel infernus non eſt, tuum non eſt, ſed Dei. Si nihilominus cum his omnibus juſtam tibi tuæ vilitatis ideam efformare nequeas, cum aliis teipſum compara: Quid enim es tu, ſi compareris cum hominibus omnibus, qui ad hanc uſque diem extiterunt, & qui ad finem uſque mundi in orbe ſunt extituri? quid es, ſi compareris cum omnibus Angelis, cum Sanctis omnibus, qui in cœlo ſunt? quis in tanta te multitudine inveniet? quis ullam hîc tui rationem habebit? & quid immenſæ huic multitudini deerit, ſi deſis tu? deerit illi nimirum atomus eſſentiæ, quæ tamen tua non eſt, ſed Dei. Judica jam, quid, te abſente, ſit defuturum univerſæ creaturarum omnium poſſibilium multitudini? Et tamen tota hæc creaturarum omnium, non actu tantùm exiſtentium, ſed & poſſibilium maſſa, ſi Deo comparetur, infinities minor eſt, quàm pulveris granum, univerſo mundo comparatum: *Quaſi pulvis exiguus. Iſa. XL. v. 15.* Tu itaque, cùm punctulô ſis minor, & modicum illud, quod habes, per ſolam Dei gratiam poſſideas, & in hoc pulveris grano, quale

quale eſt mundus univerſus, locum illum, quem inter omnes creaturas habes, per ſolam Dei gratiam occupes, tu, inquam, auſus es divinæ te voluntati opponere, ut pro tuómet viveres genio? tu, qui ante modicum temporis ſpatium eras omnino nihil, auſus es irritare Deum æternum, qui ſemper fuit? tu, qui propriîs tuîs viribûs neque paleam tollere de terra potes, auſus es congredi cum omnipotenti Deo? tu, rerum omnium ad uſque halitum, quem ſpiras, indignus, erexiſti te contra totius univerſi Dominum? tu, qui totus quantus non es, niſi Miſerationum Divinarum Compoſitum, nuntium ultro remiſiſti amicitiæ altiſſimi Dei! Itáne agitur cum infinito Deo, & quidem à creatura tam miſerabili, & tot affecta beneficiîs? Quomodo fieri potuit, ut tanta patrares mala? *Feciſti mala; & potuiſti? Jer. III. v. 5.* Sed quid tandem ad facienda tanta mala te impulit? magna forſan aliqua neceſſitas? fors ingens aliquod lucrum? Imò verò inſtruxiſti, ac perfeciſti horribilem proditionem tuam ob res nihili, quæ non ampliùs ſunt; & felicem te, ſi nec fuiſſent unquam! Et nihilominus hoc putridum ſtercus prætuliſti immenſo Perfectionum omnium Oceano, qui Deus eſt! Quid Angeli, quæſo, dixerint de hac permutatione tua? quantùm exultaverint dæmones, cùm te peccati ſui ſocium viderent? Jam verò, quæ profunda ſat erit abyſſus pro tanta tua vilitate? Agnoſce tan-

dem, quid ſis per tua peccata; deteſtare illa millies; & propone, potiùs mori millies, quàm vel ſemel in ea relabi; ſimul Deum ferventiſſimè roga, ut, cùm ipſe ſuómet Sanguine peccatum delere, ac deſtruere voluerit, non permittat unquam ampliùs, ut illi tu locum in corde tuo præbeas.

MEDITATIO QUARTA.

Pro prima Exercitiorum die.

De Pœnis peccati.

I.

COnſidera, quòd, ſicuti ex umbra colligi poteſt menſura corporis, ita ex pœna, peccatis inflicta, deſumi aliquo modo poſſit ipſius peccati malitia. Itaque conſidera primò *Angelorum rebellium pænam*, in eáque perpende, quomodo cum illis egerit Deus, antequam peccarent; quomodo verò deinde, ubi peccatum admiſerant. Creati proin fuêre in Cœlo empyreo, veluti divinorum Operum primitiæ; pleni ſapientiâ, ornati donîs omnibûs naturæ & gratiæ, ſpiritus puriſſimi, ſummô dotati ingeniô, maximâ inſtructi potentiâ, ſumma conſpicui pulchritudine, ſancti per caritatem, cæteráſque virtutes omnes, & jamjam futuri ſummè beati per totam æternitatem. Sed quomodo tantæ Creatoris ſui beneficentiæ reſponderunt? Magnus illorum numerus detrectavit obedi-

re

re Deo, & contra illius voluntatem impendit arbitrii ſui voluntatem, ideo duntaxat illis conceſſam, ut cum ſuo merito Deo ſervirent, eíque ſe ſubjicerent. Jam attende, quàm grave ſit malum, ab ultimo ſuo fine deflectere, & graviter peccare. Deus, hoc ingratæ mentis, & negatæ ſibi obedientiæ crimine irritatus, eos ſimul omnes præcipites in abyſſum dedit. Supplicium hoc tres habuit maximi horroris circumſtantias; fuit enim repentinum, fuit univerſale, & fuit maximum. Fuit, inquam, repentinum, quia repentè illos obruit, etiamnum arma tenentes in manibus, in ipſa videlicet ſuperbia ſua, quin illis vel tempus, vel gratia pœnitendi relinqueretur, majoríque cum impetu, quàm ruant fulgura, illos è cœlo in ignem æternum ruere fecit. Fuit univerſale, quia in tanto rebellium numero, qui vel arborum excedebat folia, nec unico pepercit. Si unum Deus caſtigâſſet Luciferum, vel decimi cujusque ſuppliciô, uti fieri interdum ſolet in plectendis ſeditioſis militibus, placari ſaltem ſe permiſiſſet, tantus tam ſublimium ſpirituum exercitus ſatis etiamnum ad perterrendos omnes homines, naturâ longè inferiores, divinam juſtitiam demonſtrâſſet. Quomodo jam illam demonſtrabit omnium omnino condemnatio, ſine ullo ſive nobilitatis, ſive ſapientiæ, ſive numeri, ſive bonorum, quæ poſt pœnitentiam egiſſent, ſive malorum, quæ in ſua pertinacia patraturi erant,

Digitized by Google

intuitu? Maximum denique fuit hoc ſupplicium, quia perdiderunt omnia dona gratiæ, atque per ſuam damnationem in infinitam inciderunt miſeriam, abſque omni ſpe inde unquam evadendi. O grande igitur odium, quod adversùs peccatum Deus noſter gerit! Infecta hoc veneno videre pulcherrima manuum ſuarum opera, illáque non jam ſuæ reddere puritati, ſed ea ſimul omnia ſine ullo remedio in æternam projicere fornacem! Quis magnum hunc Deum non timeat? quis illum ſibi velit inimicum? quis illum rurſus audeat offendere? *Quis non timebit te? ô Rex gentium! Jer. X. v. 7.* Compara jam peccata tua cum infelicium iſtorum peccato, & mirare diverſam adeò rationem, qua Deus tecũ egit. Dæmones non niſi ſemel peccavêre, tu verò toties ac toties; illi cogitatione duntaxat peccaverunt, tu verò tuas in Deũ machinationes etiam opere complevisti; illi peccando non ſe demisêre infra creaturas, ſe minores ac viliores; tu verò peccando ipsîs beſtiîs te viliorem reddidiſti; illi nunquam obtinuerunt reſurgendi gratiam, tu verò, poſtquam illam ſæpius obtinuiſti, toties illâ iterum es abuſus; illi nullam intulerunt injuriam Jeſu Chriſti Sanguini, qui pro illis effuſus non eſt, tu verò illum toties conculcâſti; & tamen illis vel momentaneum reſipiſcendi tempus conceſſum non eſt, tibi verò conceſſi ſunt anni & anni; & idem ille Dominus, qui ab illis exorari non potuit, pro te non ſolùm eſt mortuus,

tuus, ſed primus ipſe pacem à te petit, téque ad petendam veniam invitat. O bonitatem incomprehenſibilem! Tu tamen contra illam arma iterum voles corripere? Deteſtare millies omnia peccata; propone, illa, quæ tu commiſiſti, omni pœnitentiarum genere in teipſo vindicare; extimeſce periculum, in quo verſaris, redeundi ad peccata præterita; & roga Deum, ut, quoniam ſe tibi non Deum vindictæ, ſed Deum miſericordiarum exhibuit, immutabile tibi conſervet in corde tuo illum non ampliùs offendendi propoſitum.

II. Conſidera in *Adami pœna* immenſam peccati malitiam, & perpende hîc ſolummodo bona, quæ Adamus recepit à Deo, malum, quod illi reddidit, & pœnam, quam inde retulit. Fuit itaque primus homo creatus in Paradiſo ad imaginem Dei, ditatus gratiâ, & originalî juſtitiâ, vî cujus erat paſſionum ſuarum, & omnium creaturarum Dominus, immunis à morte, liber ab omni miſeria, conſtitutus in deliciis, à quibus tranſire dein poterat in cœlum, ut æternùm ibi ac perfectiſſimè beatus eſſet. Sed homo, à ſocia ſeduci ſe paſſus, Creatori non obedivit, & tantilla re divinam illius amicitiam perdidit. Et en! peccatum hoc, dum intravit in mundum noſtrum, malorum omnium exercitum unà ſecum invexit; mala enim omnia, & bella, & fames, & peſtilentiæ, & terræ motus, & tempeſtates, & inundationes, & mortes, &, quod eſt maximum, ipſius Juſtitiæ originalis

jactura, naturæ corruptio, virtutum omnium horror, ad omnia vitia proclivitas, omnes injuſtitiæ, omnes iniquitates, tot innocentium infantum interitus, tot animarum peccantium æterna damnatio, non ſunt, niſi infelix comitatus & famulitium primi illius peccati, ab Adamo commiſſi. Et quamvis ille nongentîs annîs pœnitentiam egerit, & quamvis ipſe Chriſtus JEſus, ut culpæ huic mederetur, ex ipſo ſuo Sanguine medicinam paraverit, nihilominus peccati illius toxicum, radici, quæ Adamus erat, inſitum, vim ſuam venenatam exſerere pergit etiam in ramos, qui ſunt Adami poſteri, & exſerere æternùm pergeret, ſi mundus æternùm perduraret. An hæc omnia nondum ſufficient, ut manibûs palpare te faciant, quàm grave ſit malum, Deo non obedire? Fieríne poteſt, ut hoc fide teneas, & peccâſſe te non exhorreſcas, quin etiam ad peccandum denuo redeas? Etiam hîc agnoſcere potes malitiam tuam in comparatione peccati ab Adamo comiſſi, & illius pœnæ. Intermiſſa illius obedientia fuit materiæ de ſeipſa perlevis; illius peccatum fuit duntaxat unicum; eo, quo peccavit, tempore necdum ulla divinæ Juſtitiæ viderat exempla; necdum viderat Deum, idcirco mortuum, ut nemo peccet. Quàm juſtum igitur fuiſſet, ut punitus eſſes & tu, qui peccatorum numero, materia, & tempore primum Adami lapſum longè ſuperâſti, & poſtquam ſæpius obtinuiſti veniam, ad offendendum

dendum iterum Creatorem millies redîiſti, quin tamen de agenda cogitares pœnitentia, veluti peccata tua ne tua quidem eſſent. Quandónam igitur tandem in tuum commodum aperies oculos? Sit jam modò; ſit hoc ipſo temporis puncto; jam nunc execrare peccata tua ſuper omnia mala, téque offer ad illa perlibenter exſolvenda, ac tantò majori cum amore, parique in divino ſervitio diligentiâ reparanda. Gratias age infinitæ illi Bonitati, quæ tamdiu te pertulit, & roga, ut te inter & illam talis ſtabiliatur amicitia, quæ per omnia æternitatis ſecula non diſſolvatur.

III. Conſidera *pœnam de JEſu Chriſto ſumptam* à divina Juſtitia; in cujus comparatione omnis alia pœna, peccato irrogata, ſive in cœlo, ſive in terra, ſive in inferno, pro nihilo haberi poteſt. Expende igitur Perſonam, quæ patitur; tormenta, quæ ſuſtinet; & culpam, qua movetur ad patiendum. Culpa, ob quam patitur Chriſtus, non eſt propria Chriſti culpa; nam ille eſt ipſa innocentia, & vadem ſe duntaxat pro culpa conſtituit. Tormenta ſunt integrum mare dolorum, non externorum modò, quos intulerunt inimici, ſed internorum etiam, quos amor genuit; neque pœnæ ſunt tantùm, nunquam hactenus auditæ, ſed & contemptus & opprobria tanta, quanta in terris adhuc viſa non ſunt. Perſona, quæ patitur, eſt infinitæ dignitatis, Homo ſimul & Deus. Unde unicum Cor-

poris ſui ſacratiſſimi vulnus meritò majus cenſendum eſt malum, quàm omnia damnatorum ſupplicia, & omnium creaturarum mala. Nihilominus, quamvis ſupremus hic Dominus pro hominibus ſe demittat, & in oratione æterno Patri ſuo proponat horrorem, quem corpus ſuum in perferenda morte tam crudeli & tantîs ignominiîs referta perſentiſcit, conſtitutum tamen eſt, ut moriatur; & licèt unica Sanguinis illius gutta ſit abundantiſſima delictorum noſtrorum ſolutio, exigitur tamen, ut ad explendam divinam JuſtitiamSanguinem omnem profundat, & quod unicâ fieri poſſet lacrymulâ, integrô dolorum diluviô fiat. Si hoc odium, quod contra peccatum oſtendit Deus, iſtáque ſeveritas, qua illud in Sacroſancta Filii ſui Humanitate caſtigat, necdum ſufficit, ut immenſam ipſius peccati malitiam agnoſcas, dicere ſanè oportebit, vel intellectu te carere, vel fide. Et verò fierine poteſt, ut bonum nobis videri queat, noſtrámque voluntatem ad ſui amplexum allicere poſſit malum illud, quod æterna Chriſti ſapientia majus eſſe malum judicavit, quàm in dolorum & opprobriorum abyſſo vitam divinam perdere? Admirare cæcitatem tuam, qua in hunc uſque diem tam exiguam habuiſti rationem tuorum illorum vulnerum, pro quibus neceſſarium & opportunum remedium omnis omnino Domini tui Sanguis fuit. Condiſce hinc, quo zelo pœnitentiæ vindicare in te-

ipſo

ipſo debeas ignominias illas, quas ipſi Deo peccatis tuîs irrogâſti. Erubeſce, quòd tam infami Majeſtatis divinæ proditori, qualis eſt corpus tuum, tantopere blanditus fueris. Offer Jeſu Chriſto & ſanctiſſimæ illius Matri tuum cor, ut illi non ſinant hoc monſtrum peccati unquam ampliùs in illud ingredi; & eos ambos hanc gratiam, aliarum omnium gratiarum maximam, impensè roga.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES SECUNDA.

MEDITATIO PRIMA.

De Peccatis propriis.

I.

CONſidera magnum & formidandum peccatorum tuorum *Numerum*, cujus fortè pars minima illa eſt, quam memoriâ tenes. Verùm ut eorum nonnihil reminiſcaris, percurre ſaltem obiter loca omnia, in quibus es commoratus, omnia officia, quæ geſſiſti, omnes ætates, quas emenſus es. Heu! quàm longa eſt illa peccatorum catena, quam ad hanc uſque diem contexuiſti, dum nullam non vitæ tuæ partem commaculâſti, & iniquitatibûs tuîs profanâſti. Senſus tui num aliud adhuc fuêre, quàm toti-

totidem portæ, per quas in animum tuum intravit mors? Internæ tuæ potentiæ quid fuêre frequentiùs, quàm inſtrumenta vitiorum omnium, quæ ſtatus tuus vel capere potuit? nam ſolum id malum fortè non commiſiſti, cujus nulla te invaſit tentatio, vel cujus committendi tibi defuit occaſio. Voluntas tua præ cæteris, quæ ad amandum ſummum Bonum eſt creata, æquè abominabilis eſt reddita, ac erant indignæ illæ res, quas amplexari tibi lubebat, Deóque interim tergum obvertere, ídque cum incredibili adeò facilitate, veluti nec legem, nec Dominum, te ſuperiorem, haberes. Itaque, niſi ſtudiosè velis obcæcari, fatendum tibi eſt, quòd anima tua ſit talis, qualis erat in ſuo corpore Sanctus Job, plena videlicet ulceribûs, & undique putreſcens, ac veluti purulentum carcinoma coram oculis Dei. Si peccatum vel unicum, ſi veniale ſit, meretur mortem; infernum verò, ſi ſit mortale, quoties tu meritus es, ut tollereris è vita? quoties, ut præceps agereris in infernum? Num ergo negare poteris, ingentem erga te fuiſſe Dei miſericordiam, cùm te, tot licèt peccatîs oneratum, non modò toleravit, ſed & inſuper tot tibi tantáque bona contulit? Sed quamdiu perges, hîs omnibûs abuti? Da victas tandem aliquando divinæ Benignitati manus; fatere malitiam tuam, eámque meliorî, quo potes, modô deteſtare; propone, tantò dehinc ferventiùs amare Deum, quantò illum impudentiùs

hacte-

hactenus offendiſti; pete ab illo dolorem, peccatis tuis æqualem, ut æternùm ad illa non redeas.

II. Conſidera præter peccatorum tuorum numerum, illorum etiam *Gravitatem*. Si loquamur de peccatis venialib⁹, eorum quodlibet eſt maximum mundi malũ, ſolo excepto mortali peccato. Si verò loquamur de mortalibus, eorum quodlibet, quia malum eſt, quod ad Deum pertinet, reliqua mala omnia, quæ ſolùm pertinent ad creaturas, infinitùm excedit. Pari ratione, ſiquis creaturas omnes poſſibiles ſummîs injuriîs laceſſeret, hæ tamen injuriæ, quia perfectiones tantùm finitas ac limitatas impeterent, comparari nullo modo poſſent unico peccato mortali, quod laceſſit ac impetit omnes, eáſque infinitas Dei perfectiones. Unde debitum, quod peccatrix anima peccatîs ſuîs contrahit, eſt adeò magnum, ut omnia Sanctorum, & ipſius etiam Sacratiſſimæ Virginis opera bona, millies licèt conduplicata, ſatisfacere pro illo nequeant. Nec quidquam aliud ſupereſt, quod in Juſtitiæ divinæ bilance vel unius peccati gravitati poſſit opponi, quàm Sancta Redemptoris noſtri Crux. Itaque peccatum eſt malorum omnium ſummum, eſt malum unicum, & verum malum; cætera verò omnia, quæ nos appellamus mala, ſunt umbra duntaxat mali, ſi cum illo comparentur, quod ſolum eſt verum malum. Hinc, ſi ad certamen convenire poſſent omnes ſimul alte-

alterius mundi pœnæ ſe ſolîs cum unico peccato, minùs infelix ille foret, qui illas ſimul omnes pateretur, quàm is, qui grave peccatum admiſiſſet. *Eſt utilis potiùs infernus, quàm illa. Eccli. XXVIII. v. 25.* Et hæc eſt gravitas unius duntaxat è peccatis illis mortalibus, quibûs divinam prætergredimur voluntatem; quisquis igitur non inhorreſcit, quòd tot tantáque commiſerit, quòd tam audacter illa commiſerit, veluti pictum ſolummodo Deum offenderet, cor ſanè ſaxeum habet. Quid igitur tibi ſupereſt, quàm ut deplores hanc tuam audaciam, & hanc duritiem tuam; & habere cupias dolorem, dolorum omnium maximum, ut infinitæ illi Majeſtati, quam adeò deſpexiſti, ac offendiſti, reddere honorem poſſis? Hunc igitur dolorem ex animo pete, quia tam es miſerabilis, ut peccare quidem poſſis, ſed dignè de peccato dolere nequeas ſine gratiæ illius auxilio, qua toties privari meruiſti.

III. Conſidera præter peccatorum tuorum Numerum, & Gravitatem, illorum quoque *Menſuram*. Hæc menſura eſt illa compenſatio, qua tam confertæ divinorum in te beneficiorum menſuræ reſpondes. Attentiùs aliquantò perpende multitudinem & excellentiam bonorum illorum, quæ tibi conceſſit Deus,; non eorum ſolùm, quæ ſunt omnibus communia, ſed illorum etiam, quæ tibi ſunt peculiaria, & quibûs te præ cæteris creaturis ornavit Deus. Expende dein,

ſummam tuam indignitatem, quæ tantos favores meretur minimè; infinitam deinde præcellentiam Benefactoris tui, qui eſt ipſe Deus, quæ omni vel minimo ipſius dono ſummum tribuit jure merito pretium; immenſum denique amorem, quo Deus pro te ſeipſum impendit, téque ab æterno elegit, ut bene tibi faceret. Si pro te ſolo Deus è cœlis in terram deſcendiſſet, ſi pro te ſolo tam indignè habitus, pro te ſolo paſſus eſſet, ac mortuus, quid tum Angeli & homines dicerent, ſi adeò te beneficiorum immemorem, & erga Deum tam ingratum viderent? Et tamen non illi minùs obſtrictus es; nam etiam pro te tanto cum amore ſua tormenta ſuſtinuit, mortémque ſubîit, acſi tu ſolus ad reportandum inde fructum in mundo fuiſſes. Hoc igitur poſito, dum tot tantísque beneficiis cumulatum te vides, impoſſibile tibi meritò videri deberet, ut Deum, adeò in te bonum, non ſolùm velis, ſed & poſſis offendere, nec immeritò dicere deberes & tu: *Quomodo poſſum hoc malum facere? Gen. XXXIX. v. 9.* Quomodo poſſit fieri, ut adeò graviter ſummum Benefactorem meum offendam? Nihilominus non ſolùm potuiſti, & voluiſti illum offendere, poſtquam tot tantáque ab illo recepiſti bona, ſed illo ipſo præterea tempore, quo ſua ille dona in te plena manu effudit, eum offendiſti; quin & hæc ipſa illius dona convertiſti in arma; quæ in illum vibrares. O rem horrendam, quòd Deus è nihilo

te

te produxerit, & tu pro nihilo illum adeò contempſeris! quòd Deus tot ac tantis te prætulerit, ut tibi benefaceret, tu verò illum poſthabueris tuómet corpori, quod non eſt, niſi maſſa putrida! quòd mortuus ſit Deus, ut vitam tibi daret, tu verò non modò vitam illi non dederis, qui pro te mortuus eſt, ſed inſuper ſua illi vulnera refricaveris, & addideris nova! quòd non modò illum non amaveris plùs, quàm teipſum, utì meretur, ſed minùs illum amaveris, quàm vel umbram boni, quæ jam diſparuit! Tu jam aliquantùm inter ſe compara duas iſtas menſuras, illam videlicet, quam beneficiîs plenam Deus in te congeſſit, & illam, quam peccatîs refertam tu Deo reddidiſti; & erubeſce coram Deo, coram Angelis, & omnibus cœleſtis curiæ Sanctis, qui tam fideliter illi ſervîerunt. Renova coram illis Religionis tuæ vota; obſtupeſce, quòd tam illi, quàm reliquæ omnes creaturæ tamdiu te toleraverint, & adverſùm te non inſurrexerint, ut injuriam Domini vindicarent. Fatere, te promeritum, ut dehiſcens ſub pedibus terra te abſorberet, ut aër te ſuffocaret, ut ſuîs te radiîs ſol conficeret, útque peculiaris pro te conderetur infernus. Quoniam verò conceſſum tibi eſt tempus, præteritam emendandi perfidiam, novam in poſterum promitte vitam, & abundantem pete gratiam, ut ſanctum hoc tuum propoſitum exequaris.

LECTIO

LECTIO
Pro die ſecunda Exercitiorum.
De Virtute Spei.
I.

SPes eſt maximum vitæ noſtræ mortalis, tot undique malîs circumvallatæ, bonum; illa omnes in vultu noſtro lacrymas exſiccat; illa labores omnes leviores reddit, illa vires debilitatas reficit, & ſanat noſtra vulnera; hinc nemo eſt adeò miſer, ut bonum illud, quod ſua illi ſpes promittit in futurum, quocunque pretio venderet. Sed quantò pretioſius eſt hoc ſpei balſamum, tantò nos oportet magis eſſe ſolicitos, ut ſincera illa ſit, non adultera; nam alioquin ſpes Peccatorum in divina Scriptura non modò deridentur, ùt inanes & vanæ, ſed rejiciuntur etiam, ùt abominandæ, quia velut pro cuſtodia & ſecuritate peccatis ſerviunt: *Spes illorum abominatio. Job XI. v. 20.*

Spes igitur Chriſtiana, de qua nobis hîc agendum eſt, Virtus eſt Theologica, quæ in noſtra voluntate firmam æternæ felicitatis, ac neceſſariorum & congruorum mediorum, quæ ad illam nos obtinendam juvant, expectationem progenerat. Quid rei ſit Virtus Theologica, in heſterna lectione fuit explicatum; id jam ulteriùs intelligendum tibi eſt, quòd, quemadmodum Sol luci calorem jun-

git, ita Deus, poſtquam animum noſtrum illuſtravit, dum fidei operâ Bonum infinitum, quod ipſúsmet eſt, quódque cum divino ipſius auxilio, quanquam non abſque difficultate, à nobis obtineri poteſt, illi cognoſcendum propoſuit, deinceps voluntatem quoque inflammet, & ſupra vires ſuas naturales evehat ad Bonum hoc deſiderandum, & expectandum tum ob datum à ſe promiſſum, tum ob ſerium voluntatis noſtræ propoſitum, conditiones, à Deo pro Bono hoc conſequendo poſitas, adimplendi, noſtrámque operam cum divina gratia fideliter conjungendi. Nobile igitur hoc deſiderium poſſidendi Deum in omnia futura ſecula, & hoc animi noſtri eò pertingendi ſtudium, Spes eſt Chriſtiana. Verùm ſicuti Fides non ſolùm movet intellectum ad credendum Deum, tanquam obiectum ſuum primarium, ſed ad credendas etiam alias extra Deum veritates, quia ſunt ab ipſo revelatæ, tamquam objectum ſecundarium; ita pariter Spes non ſolùm movet voluntatem ad deſiderandam & expectandam ſummi Boni poſſeſſionem, ſed ad deſideranda & expectanda etiam alia extra Deum bona, quæ tamen à Deo proveniunt, & homini ad conſequendum ſublimem adeò finem pro mediis ſerviunt. Vide igitur, quàm amplam habeat Spes noſtra ſphæram, & quantopere cor noſtrum dilatet, dum illud erigit ac roborat ad expectandum omne bonum, quod eſt in Deo, & inſuper illud omne,

quod

quod extra Deum eſt, quantùm videlicet id nobis utile vel neceſſarium eſt, ad obtinendum Deum. Neque verò iſtud eſt volare ſine alis, nec majores moliri paſſus, quàm pedes ſinant. Spes enim noſtra ipſimet innititur Deo: *Innixa ſuper Dilectum ſuum. Cant. VIII. v. 5.* ac proinde divinam quamdam fortitudinem acquirit: *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem. Iſa. XL. v. 31.* Eſt equidem verum, quòd non tantùm ac unicè innitatur Deo, ſed & ſecundùm aliquam partem propriis noſtris meritis, quantùm illa videlicet ex ejusdem Dei gratia proveniunt, & ab illo requiruntur, ut majori cum honore noſtro æternam nobis coronam imponere queat. Hinc, qui bene rectéque ſperat, ſimilis eſt illi Angelo in Apocalypſi, qui pedem unum in terra, alterum ponebat in mari; nam ex illa parte, qua promiſſo divinæ Bonitatis innititur, ſatis eſt firmus, & immobilis; ex altera verò parte, qua ſuis innititur operibus, cum divina ſimul gratia laborantibus, vacillare ſine peccato poteſt, dum videlicet timet homo, ut ne ex ſua parte ſalutis impedimentum ponat; etiamſi timere nihil poſſit ex ea parte, quæ ad auxilium Dei pertinet. Sed videri tibi forſitan hîc poſſet, quòd, ſi nonnullam in tuiſmet meritis fiduciam ponas, magnum poſſis humilitatis virtuti præjudicium afferre, ejúsque meritîs te privare. Verum hoc eſſet, ſi in operibus tuis eam poneres fiduciam, ut

illa tibimet ipſi tribueres, uti ſuperbus ille Phariſæus factitabat; ſi verò illa intuearis, ùt effectus divinæ gratiæ, quæ illa progenuit, & conſervavit; quæ illis dedit incrementum, & libero tuo arbitrio vires ſuppeditavit, ut ad divinum hunc partum ſuam conferret operam; ſi, inquam, illa ſic intuearis, & aliquid in illis fiduciæ colloces, id aliud non erit, quàm inniti Deo ſoli, qui ſua dona remunerari ſolet, ùt noſtra merita. Hîs itaque virtutis hujus natura eſt affatim explicata, quæ licèt unà cum Fide in ſacro Baptiſmate nobis infundatur, illius tamen habitum poſſidere non ſufficit, ſed oportet inſuper, illius actus frequentiùs elicere; neque ſatis nobis eſſe debet, quemcunque illius gradum obtinere, ſed neceſſe eſt, ad ſublimiorem illius apicem eniti, ita, ut non ſolùm divina promiſſa ſperemus adimplenda, ſed magis adhuc & ampliùs ſperemus, ùt ait Propheta: *In verba tua ſuperſperavi. Pſ. CXVIII. v. 74.* Jam verò, ut ad excelſum adeò gradum pertingamus, tria iſthæc media plurimùm nos juvabunt.

Media pro acquirenda Virtute Spei.

PRimum medium conſequendi tantum bonum, quantum nobis promittit hæc Virtus (promittit autem omne bonum) in eo conſiſtit, ut illam magno cum fervore po-

poſtulemus à Deo, uti ſupra de Fide jam diximus. *Credo, Domine! adjuva incredulitatem meam. Mar. IX.* dicebat afflictus ille Pater ad Dominum in Evangelio; neque volebat ſolùm intelligi de Fide, qua jam erat inſtructus, in Chriſti potentiam, ſed de hujusmodi fiducia, quæ ex ejusdem fidei applicatione in voluntate naſcitur. Ad Parentis iſtius exemplum oportet, frequentiùs rogare Deum, ut dilatet cor noſtrum, & hanc nobis fiduciam impertiatur, quæ reliquorum donorum omnium ſolet eſſe menſura; hinc & eodem greſſu, quo progreditur ſpes, conſequitur Miſericordia: *Fiat miſericordia tua, Domine, ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te. Pſ. XXXII. v. 22.*

Alterum medium eſt conſiderare ſtudiosè, ac profundè pro viribus omnibus perſcrutari cauſas ſperandi in Deum. Voluit olim in Lege antiqua Deus, ut Reis quinque refugii civitates paterent; nobis verò non niſi unam indulget, ſpem videlicet, quæ cæteris omnibus æquivalet: *Civitas in quadro poſita eſt. Apoc. XXI. v. 16.* ex quatuor enim partibus ad aſylum in ea quærendum nos invitat, idque nobis promittit Omnipotentia, Miſericordia, Fidelitas, & Juſtitia Dei.

Quid igitur animô caditis? puſillæ animæ! cur ſpem deponitis? forſitan, quia inimici veſtri ſunt innumeri? quia ſemper & ubique vobis inſidiantur? quia in anguſto mortis tranſitu vos expectant, ut ſummo cum furore

ibi vos obruant? Verùm omnes inferni vires cum Omnipotentia divina comparatæ, ſunt omnino nihil. Si bene nobis facere voluerit Deus, quis malè nobis facere poterit? *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Rom. VIII. v. 31.* Hac ex parte ſpes noſtra penitus eſt inexpugnabilis; nam ſi innitaris Omnipotentiæ divinæ, tam parum eſt poſſibile, ut Spes tua ſit ex hac parte malè fundata, quàm parum eſt poſſibile, ut Omnipotentia divina deficiat.

Enimvero conſiderem, inquies, ſi certus eſſem, quòd divini brachii ſui potentiam in mei tutelam Deus adhibere velit. Sed quis eſt, qui certum me faciat, quòd Deus id præſtare pro me velit? Hujus te ex altera parte ſecurum conſtituit Miſericordia Dei. Neque tu, neque ulla alia creata mens comprehendere poteſt inexplicabile deſiderium, quo Summum Bonum creaturas ſuas, quantùm quidem capere illæ poſſunt, ſui participes reddere cupit, & immenſam divini Cordis teneritudinem, qua illis condolet, & omnibus illarum miſeriis mederi deſiderat. Potéſtne, dicit Dominus per Iſaiam, potéſtne mater infantis ſui, etiamnum lactentis, oblivíſci, ejúsque non miſereri? Certè, etiamſi mater tam immitis inveniretur: *Ego tamen non oblivíſcar tui. Iſa. XLIX. v. 15.* Perpende, quid hactenus pro te fecerit Deus: Pro te factus eſt homo in Incarnatione; pro te factus eſt veluti Reus in Paſſionè; pro te factus eſt cibus

in

Digitized by Google

in Sacra Euchariſtia; quàm juſtam igitur ſperandi cauſam habes, quòd addere id etiam velit, quod adhuc tibi deeſt, nimirum, quòd fieri velit & prœmium tuum in Paradiſo? *Per ea, quæ cognoſcis præſtita, diſce ſperare promiſſa;* ſapienter dicit S. Auguſtinus *Serm. CLXXIX. de temp.* Quàm magnum inde nos commodum habemus, quia negotium nobis eſt cum tali Domino, qui avarus eſſe non poteſt, quia non poteſt unquam fieri pauper! Omnis, quam homines habent, divitias in alios congerendi difficultas in eo duntaxat eſt, quòd ſibímet ſubtrahant, quod impertiuntur aliis; indéque metuant, ut ne ipſi denique ad incitas redigantur. Sed finge tibi aliquantiſper hominem, cæteroquin jam pronum ad largiendam pauperibus ſtipem, illo ſimul donatum privilegio, ut omnem illam pecuniam, quam præcedente die erogavit in pauperes, inſequenti luce, ſua rurſum in arca reperiat; an ille cum hoc tali ſuo privilegio aliquid unquam cuicunque pauperi negare poſſet, niſi forſan prævideret, quòd egenus in malum aliquem finem ſit abuſurus eleemoſynâ? Jam verò non audiſti ex Apoſtoli ore, quòd Deus ſit dives in Miſericordia? Vult dicere, quòd Deus, quantumcunque largiatur, nihil tamen unquam de illo deperdat, quia manet etiamnum, ut antè, dominus illius, quod elargitus eſt; vult inſuper dicere, quòd divitiæ Dei, ſi augeri poſſent, elargiendo creſcerent; nam producendo novum

illud bonum, quod in nobis efficit, non ſolùm de ſuo nil perdit, ſed ſuum præterea dominium extendit; dum videlicet novum etiam bonum illud poſſidet, quod priùs, niſi in ipſo ſolo, non erat, nunc verò & in te, & in illo ſimul eſt.

Vide igitur, quantum ſecuritatis ex iſthac parte, à divina nempe Miſericordia, Chriſtiana Spes obtineat. Interim tamen Deus, quia tantopere illi placet, quòd nos ſibi firmiter inniti videat, Miſericordiæ ſuæ novum robur adjicit Fidelitate ſua. Deus elargiendo nihil omnino perdit, imò, ut paulò antè diximus, aliquo inſuper modo lucratur; verùm etſi quid inde perderet, quod tamen poſſibile non eſt, oporteret illum hac ſua jactura contentum eſſe, ut ſatisfaceret promiſſioni ſuæ, in Scripturis divinis toties repetitæ, ſuccurrendi videlicet nobis in noſtris afflictionibus, & exaudiendi preces noſtras. Omnino, inquam, oporteret, ſuam hanc jacturam minorem æquanimiter ferre Deum, ut infinitè majorem divinæ gloriæ jacturam evitet, quam faceret, ſi evenire poſſet, quòd falſa, vel ſaltem non infallibilis fuerit ipſius promiſſio. Et quo pacto ſufferre poterit Deus, ut jactitent homines, quòd majorem de illius Miſericordia & Fidelitate habuerint opinionem, quàm illa reipſa fuerit? An imaginari nobis poſſumus, id facere Deum, quod de illo vel cogitare ingens foret blaſphemia? an credere, quòd Omnipotens Deus gloriæ ſibi ducat,

Digitized by Google

ducat, ſi divina ſua verba ac promiſſa non impleat, cùm tamen nullam unquam rationem habere queat, quæ ſuam hanc infidelitatem excuſet, dum interea vel Latronum Dux ignominiæ ſibi duceret, ſi fidem falleret? Quid ad æternæ Vocis ſuæ gloriam conferret, quòd terram ac mundum univerſum immobilem ſuſtentet in nihilo, ſi objici illi cum veritate poſſet, quòd animum timidum, qui divinis illius promiſſis innitebatur, non ſuſtentaverit?

Advertis itaque, quòd ex hac etiam parte ſit impoſſibile, ut ſpes noſtra vacillet, quæ huic innititur fundamento. Hoc ipſum nihilominus Deo ſatis non fuit; ſed, cùm videret, quantam adhuc perfectæ fiduciæ in ſe collocandæ difficultatem habituræ ſint puſillæ animæ, voluit ipſémet cum ſuis meritis in cauſæ noſtræ partem venire, ut illa in nobis remunerari, atque ex Juſtitia ſua divina bene nobis facere poſſet. Quid igitur times, ne tua peccata divinæ ſe opponant Miſericordiæ, divinæ Potentiæ, ac divinæ Fidelitati, quam ſuas non ſinant promiſſiones implere? Macte animîs! Chriſtus JEſus tuæ ſuccurrit ſpei: *Factus eſt mihi Dominus in refugium, & Deus meus in adjutorium ſpei meæ. Pſal. XCIII. v. 22.* Ille, velut Advocatus, cauſam noſtram defendendam ſuſcipit, veluti ſi ſua ipſius eſſet, ac petit, ut, quæ debentur ſibi, ſolvantur nobis, quia in ſuum nos locum ſubſtituit. Itaque verum non eſt, quòd coram

Domino exaudiri non mereamur; meremur id enimvero quàm maximè, quia poſſidemus omnia Redemptoris noſtri merita, quæ noſtra jam ſunt; cùm ipſe in Cruce liberrimè nobis illa ceſſerit, & hanc ſuam ceſſionem in Sancto Miſſæ Sacrificio quotidie confirmet, ac renovet. Atque hinc, dum illa divino Patri offerimus, petere ab illo ſine timore poſſumus, ut nos ab omni malo liberet propter ipſam ſuam divinam Juſtitiam: *In Juſtitia tua libera me. Pſal. XXX. v. 1.* Cùm enim ille ſuam nobis exhibet Miſericordiam, eodem ſimul tempore ſolvit JEſu Chriſto debita, quæ tamen exſolvi penitus nunquam poſſunt, quia ſunt infinita. Sit igitur, quòd inſtar Servi illius Evangelici Deo debeas ejusmodi ſummam, quæ vires tuas plurimùm ſuperet; at non ideo metuere debes auctionem; Tribunali divino te omnia ſoluturum ſignifica: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Matth. XVIII. v. 26.* Pretium Sanguinis Redemptoris tui, ſatisfactio Paſſionis ejus, merita vitæ illius, tantorum ſunt redituum fundus, ut, ſi illos per actum vivæ ſpei tibimet applices, nulla omnino fulmina timere debeas; JEſus Chriſtus divinîs ſuîs humerîs adversùs illa te proteget: *Scapulîs ſuîs obumbrabit tibi. Pſal. XC. v. 4.* O verè igitur *Deus Spei! Rom. XV. v. 13.* Quàm bene tibi convenit pulcher hic titulus, cùm ex omni parte Spes adeò ſit immobilis, quæ collocatur in te! Cauſam omnino juſtiſſimam

mam habes, illum ſeverè puniendi, quisquis in te ſperare non vult, cùm debitum tibi honorem neget, & pulcherrimam tibi gloriæ coronam, quam divinæ tuæ Perfectiones tibi imponunt, è capite detrahere velit.

Tertium hanc Spei Chriſtianæ Virtutem acquirendi medium eſt, cogitationes illas, quæ fiduciam nobis imminuunt, tentationem ſummè noxiam credere. Solebat anima quædam ſancta dicere: Servet me Deus ab iis tentationibus, quas eſſe tentationes non agnoſco; quia nimis eſt pronum, ut, dum illis cordis mei portas occludere deberem, easdem illis aperiam. In regionibus, Septentrioni propinquioribus, in quibus ob continuas nives, quæ toto propemodum anni tempore terram obtegunt, albi ſunt urſi, majorem hi ſtragem paſſim inferunt, quàm alibi, quia vix advertuntur, donec homines obruant, & enecent. Ita fere accidit in illo tentationum genere, quæ virtutis larvam induunt; & talis eſt illa diffidentia, quam multæ animæ, vehementer deceptæ, veluti virtutem humilitatis, admittunt, ac fovent. Ut igitur hanc fraudem bene intelligas, pro fundamento ponendum tibi eſt, quòd ſpes timorem non excludat, imò illum in anima generet. Si timorem excluderet, minùs ſecura foret, quia ſimilis eſſet navi, quæ magna haberet carbaſa, ſed ſine debito ſaburræ pondere; huic enim navi quò ventus afflaret ſecundior, tantò certius impenderet

nau-

naufragium. Præterea nec Deo redderetur honor ille, qui ipſi debetur eo titulo, quia terribilis eſt in ſuis operibus, in ſuis conſiliis, & in ſuppliciis ſuis, qualis in divinis Scripturis ſæpenumero proponitur. Dicitur deinde, quòd Spes timorem hunc in anima generet; nam duas poſſumus timoris boni ſpecies diſtinguere; unus quidem ſervilis dicitur, filialis alter. Servilis timor facit nos timere pœnam æternam vel temporalem, tanquam bono creaturæ oppoſitam; Filialis verò timor facit nos timere peccatum, tanquam bono Creatoris contrarium; ac proinde ſicut Caritas eſt mater timoris filialis, ita ſpes eſt mater timoris ſervilis; eodem enim paſſu, quo ad bonum ſuum accedit, etiam à ſuo malo recedit. Verum nihilominus eſt, quòd, ſicuti ſaburræ pondus in navi, de quo paulò antè diximus, non debet eſſe nimium, ſed moderatum, ut navis curſum promoveat; ita in animo noſtro timoris iſtius admitti non debeat exceſſus, qui ex effectibus quamprimum adverti poteſt. Si timor iſte magis te ſemper ſolicitum faciat in comparanda ſalutis tuæ ſecuritate, ſi te exſtimulet ad ferventiores ad Deum preces, ad removenda generoſiùs obſtacula, quæ in via tibi perfectionis occurrunt, fovere illum perge, & ùt amicum excipe. Verùm ſi duntaxat tibi pacem auferat, ſi conſcientiæ tuæ quietem turbet, ſi animum tibi ad proſequenda bene cœpta eripiat, advertes utique, timorem hunc onus eſſe,

eſſe, quod te opprimat, & frigus illius non frigus eſſe naturale, ſed febrile? Oportet igitur in magno ſalutis noſtræ negotio haud dubiè timere; ſed longè magìs oportet etiam ſperare, & ſpe multùm abundare, utì vult Apoſtolus *Rom. XV. v. 13. Ut abundetis in ſpe, & virtute Spiritûs Sancti.* Nam timor denique non adeò multùm nos ad agendum impellit; & quis unquam ſuum devinceret inimicum, ſi ſolùm pro curandis ſuis vulneribus eſſet ſolicitus, ſuóque gladiô non ad inferendos, ſed ad declinandos tantùm & avertendos ictus uteretur? Ex altera verò parte Spes ad agendum vehementer exſtimulat; illa enim, utì S. Thomas obſervat, eſt principium fortitudinis. Nec animæ bonæ, dum multùm ſperant, timere ſuperbiam debent, quia Dei ſolius auxiliô unicè nituntur; nec etiam eſt, quòd negligentiam timeant, quia ſatis intelligunt, quòd divina gratia requirat, ut noſtram quoque operam conferamus, atque ex parte noſtra ea nos applicemus media, quæ ad conſequendos fines ſuos ſunt conſtituta; hinc illarum ſpes ac fiducia ſemper illas ſanctiores reddit, utì loquitur S. Joannes Apoſtolus: *Qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe. I. Joan. III. v. 3.* longè nimirum aliter, ac Spes peccatorum, quæ ſemper vana eſt, & mala, quia vel ſalutem ſperat ſine meritis, vel nititur aliquo, quod illis nunquam promiſit Deus, nimirum, quòd in futurum aliquando velint agere bene, & pœnitere in

ex-

extremis, ubi malè jam ampliùs facere non poterunt. Itaque ut in negotio noſtro finem inveniam?, an omnis verus Chriſtianus plùs ſperare, an plùs timere debeat, dicendum, animas illas, quæ ex naturà ſua magis ſunt timidæ, uti plerumque ſunt fœminæ, ad Spei partes magis adjungere ſe debere, & ſummè noxiam tentationem credere diffidentiam illam, quæ non tantùm illas ad Deum non attrahit, ſed potiùs ab illo longiùs removet, dum eas in amore Dei languidas, & in agendo pigras ac tetricas reddit. Hoc Spiritu S. Franciſcus Xaverius reſpondit illis omnibus, qui eum amicitiæ titulô retrahere conabantur à difficili aliquo & generoſo facinore ſive ob timorem naufragii, & Pyratarum pericula in mari, ſive ob extrema regionum incommoda, & incolarum crudelitatem ac barbariem in terra; nam Sanctus iſte, ubi pro benigno in ſe affectu grates egerat, reſpondebat, ſe in omnibus illis periculis, quæ ob oculos ſibi proponerent, aliud nihil timere, quàm ut in auxilio divino minùs, quàm par eſſet, confidat; unde, ſi hoc unum non incurrat periculum, à cæteris omnibus ſecurum ſe fore. S. Petrus, cùm aquîs mergi inciperet, ventum incuſavit: *Videns ventum validum, timuit. Matth. XIV. v. 30.* Sed JEſus Chriſtus non niſi modicam Petri fidem incuſavit: *Modicæ fidei, quare dubitâſti? ibid. v. 31.* Quod nos ſubmergit, non pondus eſt adverſitatis, ſed animus in ſperando, & implorando Deo nimiùm puſillus.

Actus

Actus, quibûs exercetur Spes.

TAm ampla eſt ſphæra Virtutis iſtius, ut liberationem à malis omnibus, & bonorum omnium adeptionem contineat; unde Propheta Regius in pauculis duorum verſiculorum verbis tertiùm nos commonet Spei: *In te ſperaverunt Patres noſtri; ſperaverunt, & liberâſti eos; -- ſperaverunt, & non ſunt confuſi. Pſal. XXI. v. 5. & 6.* Atque ita veluti digitô nobis oſtendit, quòd à Deo ſperare debeamus *liberationem ab omnibus malis culpæ, liberationem ab omnibus malis pœnæ, & adeptionem bonorum omnium in Cœlis*, unà cum omnibus illis auxiliis, quæ neceſſaria vel utilia nobis ſunt, ut eò pertingamus.

Juxta hanc itaque normam primùm te exercebis in magnis actibus Spei de obtenta peccatorum præteritorum venia, ac proteſtaberis, quòd, licèt prodideris Dominum tuum, velut alius Judas, illum offendendo, non tamen illum ampliùs ſis proditurus, diffidendo de illius miſericordia, & deſperando de venia; & quòd illa patientia, quam tecum habuit, tuam expectando pœnitentiam, cùm tamen illico punire te potuiſſet, illáque gratia, quam tibi dedit ad illa ſæpius deteſtanda, atque per Sacramentum Pœnitentiæ coram Sacerdote exponenda, certa tibi ſit arrha jam indultæ veniæ; unde, licèt nimis quàm ma-

gna

gna fuerint tua debita, animum tamen habeas credendi, quòd omnia tibi condonata jam ſint: *Propitiaberis peccato meo, multum eſt enim. Pſal. XXIV. v. 11.* Parî modô, quod præſentes tuos defectus, malas conſuetudines, ac vitioſas propenſiones attingit, etiam iſtæ occaſionem præbere tibi debent, ſpem tuam in Deum exercendi; nunquam verò tuas ob infirmitates animô concide, ſed tantò majori cum ſecuritate ad Medicum tuum recurre, quantò majorem habes ab experientia certitudinem, quòd per teipſum ſanari nequeas: *Fili, in tua infirmitate ne deſpicias teipſum; ſed ora Dominum, & ipſe curabit te. Eccli. XXXVIII. v. 9.* Dic ergo ad Dominum: Numquid tu es Dominus Omnipotens? numquid tu es, qui de morte ad vitam me revocâſti? an ergo non poteris tandem aliquando penitus conſanare mea vulnera? Ita, mi Deus! ita equidem ſpero; & quemadmodum ex parte mea vires omnes ad id conſequendum conferre volo, ita penitus confundi non timeo.

Quod autem ad liberationem à malis pœnæ pertinet, ingens ille, qui te obſidet, ſive tentationum à dæmone, ſive tribulationum à creaturis, ſive anguſtiarum, à tuómet animo provenientium, exercitus adeò te perterrefacere non debet, ut potiùs inde majores animi accreſcere tibi debeant: *Si conſiſtant adversùm me caſtra, non timebit cor meum; ſi exurgat adversùm me prælium, in hoc*

hoc ego ſperabo. Pſal. XXVI. v. 3. Nam quò periculoſius demum eſt bellum, tantò erit major Liberatoris tui gloria. Proteſtare itáque coram illo, quòd in creaturis aliter non confidas, quàm prout ab ipſo adhibentur tanquam te liberandi media; in ipſo verò ita confidas, ut, licèt admotô tibi ad fauces divinæ Juſtitiæ gladiô transfodere te pararet, in illo tamen ſperare velles: *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo; - - & ipſe erit Salvator meus. Job. XIII. v. 15. & 16.* O nobile cor, quod Chriſtiana Spe inſtructum eſt, cui vel pericula vires ac animos addunt, & negatum etiam auxilium fiduciam auget! Contemplare mulierem Cananæam; ùt exemplum illa heroicum pulcherrimæ hujus virtutis tibi præbet! Vocem illa primùm coram Salvatore extollit, ut ab eo miſericordiam impetret; at ille tergum obvertit mulieri, eámque non audire ſe, ſimulat; ſuas deinde preces pro illa interponunt Apoſtoli; Dominus verò tantis etiam Patronis gratiam petitam negat; illa nihilominus non deſpondet animum, ſed denique, ad pedes Domini proſtrata, ſuas repetit preces; & JEſus Chriſtus non ſolùm ſe illam exauditurum negat, ſed inſuper ſat durîs illam verbîs, qualia à tenero illius corde nunquam aliàs prodîerunt, etiam cani comparat: *Non eſt bonum, ſumere panem filiorum, & mittere canibus. Matth. XV v. 26.* Et tamen generoſa hæc mulier ex relata toties repulſa fortiùs ſpe-

randi anſam arripit; hinc denique id omne, quod magnanimiter adeò deſiderat, ſine menſura, ſine ullo termino conſequitur: *Fiat tibi, ſicut vis. Ibid. v. 28.* Hac ratione & tibi cum Deo in precibus tuis agendum eſt. Siquid ab eo petis, quod neceſſarium vel utile tibi eſt ad ſalutem ac perfectionem tuam, quamvis ille ſurdum ſe ſimulet; quamvis petitas gratias concedat aliis, non verò tibi; quamvis poſt tuas preces duriùs tecum agat, quàm antè; non intermitte propterea preces tuas, ſed eas gemina, & dic: O Domine! perbene mihi negare potes, quod à te peto; ſcio tamen, quòd aliquando tandem expugnare te queam; tantùm retine conſtrictas in pugno gratias tuas; ſcio, manum aliquando aperies, & tantò majori copia in ſinum meum illas effundes; tamdiu te rogabo, ut, ſi non aliter, mea certè importunitate te ad impertiendum mihi ſolatium moveam. Supremus hic jam gradus eſt, ad quem generoſa hæc Virtus aſcendit, quæ ingentis in flammæ morem ad ventorum flatum magis augetur. Septemdecim annîs ploravit S. Monica, & oravit pro Auguſtino, filio ſuo; ac demum non modò Chriſtianum illum, ſed & Sanctum habuit. Abrahamo, cùm quadraginta eſſet annorum, promiſſus eſt filius, & poſt ſexaginta primùm annos, ſuæ nimirum ætatis centeſimô, conceſſus eſt, quin tamen ille ob longam adeò moram ſpem ſuam aliquando amiſerit, vel augere neglexerit: *Contra ſpem in*

in ſpem credidit. Rom. IV. v. 18. Sancta Gertrudis etiam ipſa tam erat generoſa in augenda ſua fiducia inter diuturnas licèt, quas in illa exaudienda Deus nectebat, moras, ut tandem illi ſignificaverit Deus, quòd ex hac ipſa cauſa quidquam illi negare nequeat, & quòd illius in ſe fiducia ſemper ipſi futura ſit clavis ad divinos ſuos theſauros. *Lib. I. Vit. Cap. 18.*

Denique plùs quàm in aliis omnibus ſinum ſuum explicat Spes in deſideranda & expectanda in cœlis perfecta Summi Boni poſſeſſione. Etiamſi Deus ad excitandam noſtram diligentiam, nóſque in animi demiſſione conſervandos, Prædeſtinationis noſtræ Myſterium occultum nobis eſſe voluerit, nihilominus tamen nobis præcipit, ut hoc in negotio ſimus bonô animô, &, de præſtando illi fideli ſervitio ſoliciti, ſperemus, nos illum aliquando unà cum Beatis æternùm poſſeſſuros. Hæc porro fiducia tam in adverſis, quàm in proſperis hujus mundi caſibus nos adeò generoſos efficit, ut nec æſtimemus illius bona, nec illius mala timeamus. Anima profectò, quæ cum nonnulla ſecuritate dicere ſibimet poteſt: Pauculos poſt annos ero cum Sanctis in Paradiſo, ut æternùm fruar tam immensô Bonô, quo ſi frui vel momentô poſſent dæmones, & omnes in inferno damnati, geminatas in abyſſo ſuo pœnas mille ſeculîs magno cum gaudio tolerarent: & iſthæc gloria me expectat, ſi Deo meo ſim fide-

lis: & hujus habeo tot pignora, quot numero beneficia, ab illo mihi collata. quia hæc omnia mihi contulit, ut ipſo æternùm fruar. Anima, inquam, quæ ſublimi adeò Spe animos ſibi addere poteſt, quî fieri poſſit, ut ſupra omnia terrena deſideria, ſupra omnes mundi timores non evehatur? Primogenitus Imperatoris Japoniæ, utpote deſtinatus Imperio, poſt obitum Parentis obtinendo, ea cum ſolicitudine & cura educatur, ut terram pedibûs ſuîs non attingat unquam. Quomodo jam animus Chriſtianus, qui deſtinatur Regno, cum ipſo Deo æternùm poſſidendo, affectibûs ſuîs non modò terram attingere, ſed illi etiam im̃ergere ſe poſſit cum periculo, perdendi regnum ſuum immortale? Totum id inde provenit, quia Cœlum non multùm cogitatur, & minùs adhuc deſideratur; veluti apud imperitas illas Tribus, quæ Terram promiſſam non curabant, illectæ nimirum apparente Regionum vicinarum amœnitate. Tam grande eſt Bonum, quod ſpero, ut leve ſit omne, quod fero, dicebat S. Franciſcus Seraphicus; & S. Thereſia: Tam excelſam vitam ſpero, ut moriar, quia non morior. Et S. Philippus Nerius: O cœlum! ô cœlum! exclamare ſolebat, cùm terrenum aliquod bonum occurreret. Ita dic etiam tu, & hac cœli memoria te obarma adversùs omnes tentationes; hac te in adverſis caſibus robora, téque ſupra teipſum, ac ſupra creaturas omnes

omnes evehe, ac Deum tuum ita compella: Dummodo videre te aliquando, & æternùm te frui queam, age de me, quod tibi placet; *Hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas!* Hæc eſt illa gratia, quam à promiſſis tuis, ô mi Deus! expecto; & quoniam illius conſecutio magis à tua pendet Bonitate, quàm à conjunctis meis cum tua gratia conatibus, idcirco tantò ſum ſecurior, & tranquilliùs in tuo ſinu conquieſco, tuis nempe promiſſis, & divini mei Redemptoris meritis confiſus.

Si per hujusmodi affectus in virtute Spei te exerceas, experieris, quantùm illa ſit animum tuum ad currendam præceptorum divinorum viam extenſura; quàm ſolicitum te redditura, ut non offendas Dominum, qui tanta tibi bona promittit; quantum tibi ſolatium ſuppeditatura ſit in morte, ubi anticipatum tibi beatitudinis tuæ guſtum præbebit, quemadmodum illis in mari vectoribus contingit, qui ex aſpirante ſibi frigidiore vento conjiciunt, ſe terræ propinquiores jam eſſe: *Beatus homo, qui ſperat in te. Pſal. LXXXIII. v. 13.*

MEDITATIO SECUNDA.

Pro ſecunda Exercitiorum die.

De malis, quæ continet, & progignit peccatum.

I.

COnſidera *malum, quod peccatum in ſeipſo continet.* Unum eſt Summum Bonum, propter quod amanda ſunt omnia bona, & quod amari debet propter ſeipſum; hoc Bonum eſt Deus. Unum pariter eſt ſummum malum, propter quod fugienda ſunt omnia mala, quódque fugiendum eſt propter ſe ſolum; & hoc malum eſt peccatum. Major oppoſitio inveniri non poteſt, quàm illa ſit, quæ Deum inter ac peccatum intercedit; atque adeò maximum malum neceſſariò id eſſe debet, quod maximo Bono tantopere eſt oppoſitum. Itaque ſi Deus eſt immenſum Perfectionis mare, peccatum eſt inſcrutabilis malitiæ abyſſus; ſi Deus eſt bonum infinitè majus bonîs omnibûs, peccatum eſt malum infinitè majus malîs omnibûs; ſi Deus eſt tale quid, ut in ejus comparatione reliqua omnia ſint nihil, peccatum eſt talis abominatio, ut in ejus comparatione omnia mala non poſſint nominari mala. Peccatum igitur eſt maximum hujus & alterius vitæ monſtrum; nec Deus ipſe monſtrum aliud majus, ac

ac divinæ ſuæ Majeſtati magis contrarium excogitare poteſt. Hinc ſi auferri peccatum ex inferno poſſet, infernus non foret ampliùs infernus, & ſi peccatum cœlo inferri poſſet, cœlum non foret ampliùs cœlum. Vide igitur, quid peccando feceris: in lucem produxiſti tam abominabile monſtrum, quod omni omnino Dei Bono contrarium eſt, quod juratus eſt hoſtis omnium divinarum Perfectionum; tu verò, dum hoc ipſum monſtrum amâſti, & in animum tuum admiſiſti, quodam modo tam evaſiſti malus, ac bonus eſt Deus. Agnoſce jam miſeriæ tuæ ſtatum, & in abyſſum uſque te deprime; gratias age Bonitati Dei tui, quæ manum tibi porrexit, ut te liberaret; & quia malo, quod commiſiſti, non aliud ſupereſt remedium, quàm illius deteſtatio, pete à Domino duos oculis tuis lacrymarum fontes, ut illud dignè defleas: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodîerunt legem tuam. Pſal. CXVIII. v. 136.*

II. Conſidera *malum, quod in præſenti progignit peccatum.* Nam primùm deſtruit virtutum ſupernaturalium, ſeu divinarum habitus, ac dona Spiritûs Sancti, & relinquit in anima non niſi cadaver mortuæ fidei, & mortuæ Spei. Deinde privat animam immensîs bonîs, quæ in ſe continet gratia, cujus gradus vel unicus majoris eſt pretii, quàm mundus reliquus univerſus. Denique expoliat animam omnibûs bonorum operum

meritîs, expoliat illam titulô ac privilegiô Filiæ Dei, amicitiâ divinâ, omníque, quod antè habuit, jure ad hæreditatem Patris cœleſtis in Paradiſo. Poſtquam verò expoliavit animam bonîs omnibûs, complet illam omni miſeriarum genere: intellectui infundit tenebras & errores, voluntati duritiem, & odium ſummi Boni; Appetitum concupiſcibilem replet effrænibûs deſideriîs, iraſcibilem verò bonorum omnium nauſeâ; corpus maculat impuritatibûs, ſenſus licentiîs; & animam illam, quæ paulò antè vivum erat Divinitatis templum, in dæmonum ſpeluncam vertit. Quonam igitur modo fieri poterit, ut creatura ratione prædita tam grande malum ſibímet inferat? & poſtquam peccavit, quî fieri poterit, ut in hoc ſtatu hilariter vivat, ſi peccatum ob iniquitatem ſuam per ſeriam conſiderationem dentibûs minutim commolat? Verùm iniquitatem ſuam minutim non commolit, ſed integram devorat: *Os impiorum devorat iniquitatem. Prov. XIX. v. 25.* Pudore temetipſum affice, & propone, corpus tuum, quod te ſeduxit, ita deinceps habere, utî meretur; ſimul precare Deum, ut illum tibi pœnitentiæ ſpiritum impertiatur, quo pro meritis in teipſo vindicare poſſis injurias, quas irrogâſti divinæ ipſius Majeſtati.

III. Conſidera *malum, quod minatur peccatum in futurum;* hoc verò eſt æterna damnatio. Expende paulò maturiùs, quid

rei

rei ſit, ſecundùm corpus & animam habitare in igne adeò terribili, qui vel rupes liquefaceret; & in eo habitare omnibûs futurîs ſeculîs; cùm interim ſcintilla vel unica noſtratis flammæ, ignis, inquam, propemodum picti, ſi cum illo avernali igne comparetur, etiam breviſſimô temporis ſpatiô perferri cum patientia nequeat. Expende, quid rei ſit, æternùm perdere Deum Miſericordiæ, qui cum omnibus ſuis divinis Perfectionibus totum ſe impendit in id, ut animam in cœlis æternùm beatam efficiat: & ejus locô invenire Deum Juſtitiæ, qui ſe totum impendat in id, ut animam rebellem in inferis æternùm puniat, eíque tam graves infligat ictus, ut ſemper agnoſcat, ab Omnipotente ſe percuti. Poſtquam nonnihil apprehenderis, quid ſit æterna damnatio, adverte, quòd tam ſevera caſtigatio animæ, paulò priùs Deo tam dilectæ, ſit actus divinæ Juſtitiæ, id eſt, actus infinitæ rectitudinis & æquitatis, quæ nec falli unquam, nec excedere limites poteſt; & quòd illa, poſtquam in ſua bilance ex una parte peccatum, ex altera verò illam malorum omnium abyſſum poſuit, ac trutinavit, omnino judicaverit, peccatum eſſe malum adeò grande, ut ad illud emendandum, ac reddendum ſuæ Majeſtati honorem, quem actus ille peccaminoſus eidem abſtulit, ſit neceſſaria pœna, doloribûs quidem immenſa, duratione verò infinita. Atque hoc eſt judicium, quod de peccato tulit Deus; an audebis tu illius

ſententiæ te opponere, tibique perſuadere, divinam illius Sapientiam in hoc erráſſe? At, ſi illa neque in hoc, neque in alio errare unquam poteſt, cur non inhorreſcis, quòd vel ſemel peccatum admiſeris? Et quî tantopere blandiri tibi poteſt hic tuus proditor, ut novîs iterum rationibûs indigeas, ad eum non ampliùs in animum tuum admittendum? Forſitan hæc Juſtitiæ divinæ ſententia ob admiſſum unicum peccatum in tot ac tantis executioni data non eſt? Et ſi peccatum unicum ſufficit ad accendendum infelicibus illis æternum incendium, an tu animum habebis, ut per nova peccata nova ligna ſubminiſtres huic incendio, quod jure merito, imò majori cum ratione, metuere tibímet potes? Propone igitur, omnis generis tentationibus ſumma cum generoſitate reſiſtere, etiamſi mille vitas perdere te oporteret; pete veniam, quòd Deum tuum adeò graviter offenderis, & illum peccando adegeris ad pronuntiandam adversùs te formidandam adeò ſententiam; roga Deum per Miſericordiam illam, quæ, licèt tu eam non merearis, ipſi tamen eſt propria, ut impertiatur tibi gratiam, qua priùs omnem venarum tùarum ſanguinem profundas, quàm iterum illum offendas.

EXA-

EXAMEN
Pro ſecunda die.

De Regimine Paſſionum.

I.

EXamina, quomodo te habeas in edomandis Paſſionibus tuis, per quas hîc intelligimus indomitos motus appetitûs ſenſitivi. Vide igitur 1. Quales ſint Paſſiones tuæ, & quas vires habeant ad turbandam pacem animi tui, & impediendum tuum in virtute progreſſum? 2. Num inter illas ſit aliqua, quæ plùs cæterîs tibi dominetur, & quantùm? 3. An te impugnet ſolummodo, an verò etiam poſt ſe te abripiat? 4. An ſolùm per accidens & raró tibi ſit moleſta, an verò ſæpius, & ex conſuetudine? 5. An tam hæc dominans paſſio, quàm reliquæ te ſolùm interiùs occupent, an verò etiam foras prodeant? 6. Ad qualia te peccata pertrahant; & an cum tuo ſolius damno, an verò cum aliorum etiam ſcandalo, & malo exemplo?

II. Examina, quomodo his Paſſionum tuarum motibus reſiſtas. 1. An ſemper vincaris, an verò interdum etiam vincas? 2. An animum habeas, cum auxilio divinæ gratiæ illas virtuti denique ſubjiciendi? 3. An timeas mala, quæ inde tibi progigni poſſunt? cùm unica paſſio non ſatis domita facilè te poſſit,

poſſit non ſolùm ab omni tuo profectu impedire, ſed in magnum etiam æternæ ſalutis tuæ periculum conjicere. 4. An ſoleas ſemper invigilare, quandónam exurgant hi motus inordinati; ſicut qui in ſpecula obſervat omnes hoſtium motus? & quódnam mediorum genus adhibeas ad eos ſupprimendos? 5. An Deo te paulò ferventiùs commendes? an interdum te obarmes conſideratione veritatum, quas tibi fides revelavit, lectione librorum utilium, frequentiori viſitatione SS. Sacramenti, & ſimilibûs? 6. An hujusmodi arma tantùm adhibere ſoleas tempore devotionis ac fervoris, an verò etiam in ariditate animi?

III. Examina tuas paſſiones paulò peculiariùs, & quantùm ad paſſiones Appetitûs iraſcibilis, adverte 1. An nullo te Zelo commoveri ſentias ob injurias, Deo irrogatas? 2. An ſub prætextu zeli iram tuam exſaties, odium & averſionem gerendo non ſolùm adversùs defectum, ſed etiam adversùs perſonam, quæ illum admiſit? 3. An illico in furorem abeas? 4. An ob cauſas etiam perleves? An etiam in animo turberis, & quantum? 6. An ejus ſigna etiam exteriùs adverti ſinas? 7. An temere peccandi periculo te exponas? 8. An ob levem quamlibet adverſitatem animum deſpondeas? 9. An hominum reſpectus, & tepidè loquentium linguas nimiùm timeas?

IV. Exa-

IV. Examina te pariter circa paſſiones Appetitûs concupiſcibilis 1. An aliquam creaturam inordinatè ames? 2. An averſio aliqua à Fratrum tuorum nonnemine animum tuum inquietum reddat? 3. Qualia ſint tua deſideria? an multa ſint numerô, an valde vehementia? 4. In quæ potiſſimùm lætitiam vel triſtitiam tuam, cæteróſque animi tui affectus impendas? an fortè in res, animæ tuæ bono contrarias? 5. An forſan in res vanas & ſuperfluas; an verò in res, verè quidem neceſſarias, ſed non ex alia cauſa, quàm quia ſunt inclinationibus tuis conformes?

Hos & alios ſimiles Appetitûs ſui motus devincere ac ſubigere debent homines Deo devoti, ſéque ab illis actionibus, quæ jucundæ ac voluptuoſæ ſunt, cohibere, quod appellatur abnegare ſeipſum; vel etiam ad actiones, genio ſuo contrarias, ac doloriferas incumbere, quod dicitur ſeipſum odiſſe; vel denique, ſi agere ſecundùm hos motus oportet, in hujusmodi caſu ex aliquo virtutis impulſu agere, non verò, ut ſuo tantum genio, vel amori proprio ſatisfaciant. Aliter ſi agatur, id foret, ſe demittere ad prudentiam carnis, quæ penitus eſt oppoſita Sapientiæ Crucis JEſu Chriſti. Tu interim hîc adverte defectuum tuorum numerum, ùt ſupra monui, & hoc exercitium ita conclude, ùt in aliis Examinibus notatum eſt.

MEDI-

Digitized by Google

MEDITATIO TERTIA.

Pro ſecunda Exercitiorum die.

De Morte.

I.

COnſidera, quòd Ezechiel Propheta, cùm mortem nobis deſcribere vellet, tertiò illam nominet finem: *Finis venit, finis; nunc finis ſuper te. Ezech. VII. v. 2.* idque propterea, quia mors trium rerum eſt finis; eſt enim finis omnium ſenſibilium, finis omnium deceptionum, finis denique omnis temporis. Itaque mors eſt *finis omnium ſenſibilium.* Non noviſti alium aliquem Religioſum, ſocium tuum, vivum olim, nunc verò mortuum? Jam vide, ùt finitæ ſunt apud illum omnes commoditates, & omnes cum Secularibus amicitiæ, omnes converſationes cum familiaribus, omnia negotiorum ſuorum lucra, veſtium vanitates, eloquentiæ exiſtimatio, & ea demum omnia, quæcunque in ſuum ille commodum fortè quæſivit, ut ſenſibus ſuis cum injuria ac præjudicio Religioſæ Diſciplinæ ſatisfaceret. Ita paulò pòſt & tibi finita erunt omnia, tuúmque corpus brevì tam fœtidum erit, ut, licèt in fimeti vicinia diutiùs habitare quis poſſit, nemo tamen inveniri queat, qui ponè corpus tuum in terra aliquantò diutiùs habitare aut velit, aut poſſit.

Digitized by Google

poſſit. Quem in finem igitur tantæ pro rebus temporalibus ſolicitudines? quem in finem tanta cura pro iſthoc ſacco putrido, qui eſt caro tua? Si pauculos poſt annos totus hic mundus redigendus eſſet in cineres, non aliter tu illum reſpiceres, quàm veluti jam nunc aliud non eſſet, ac cinis. Jam verò ſi mortuus tu aliquando fueris, tibi mundus redactus erit in cineres, quia tu illum aliter, quàm in cineres redactum, in extremo nempe Judicii die, non ampliùs unquam videbis. Et nihilominus tanto amore in bona hæc tranſitoria raperis, ac ſi illa nunquam deſerere moriendo deberes; cum tantis periculis, cum tantis laboribus ſtudes onerare navem, quæ diſſolvi jam incipit, ac in profundum mergi; in hac arena tam mobili domum laboras exſtruere, quæ jam vacillat, & in te propediem corruet, ſuáque ruinâ te opprimet. Quotidie imminentem hanc à ſenſibilibus omnibus ſeparationem tibímet ipſi magis difficilem reddis, dum iis cor tuum magis identidem agglutinas. Et quamdiu tandem adeò perditè boni umbram inſequi voles, quæ te fugit? *Uſquequo gravi corde -- diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Pſ. IV. v. 3.* Demirare imprudentiam tuam, & propone, quòd omnia, quæ in mundo ſunt, quia paucos intra dies illa relinquere cogéris ex neceſſitate, jam nunc relinquere velis cum magno tuo merito, & ab illis affectum omnem reſcindere, eúmque transferre ad ea,

quæ

quæ ab infami hoc fure, morte videlicet, auferri tibi nunquam poterunt, ſed te in alteram quoque vitam comitabuntur, ac ſemper tecum permanebunt. Gratias age Deo, quòd tempus tibi indulſerit ad corrigendos hos errores tuos, eúmque roga demiſſiſſimè, ut, ſi vixiſti hactenus, acſi moriendum tibi non eſſet, vivas impoſterum, acſi mortuus jam fores.

II. Conſidera, quòd mors ſit *finis omnium deceptionum.* Communiſſima miſeræ hujus vitæ deceptio eſt, quòd terrena, utpote ſenſibus noſtris vicina, nobis videantur magna; cœleſtia verò, utpote longiùs à nobis remota, parva nobis videantur. Similiter tribulationes & pœnitentiæ videntur graves, & peccata videntur nobis levia: *Dicitis bonum malum, & malum bonum. Iſa. III. v. 20.* Sumus hîc velut in hypocauſto, quod plenum eſt fumô, nec videre nos ſinit ſive id, quod intus eſt, ſive ea, quæ foris ſunt. Verùm in hora mortis hic fumus evaneſcit, hæ tenebræ diſſipantur, & anima, quæ talpæ inſtar clauſos ſemper oculos tenuit, eos incipit aperire; tum verò temporalia omnia, uti revera ſunt, videntur illi eſſe nihil, & æterna illi unicè apparent eſſe grandia: *Quod æternum non eſt, nihil eſt.* Et quoniam peccata noſtra in dubium vocant ſalutem noſtram, incipiunt illa nos immodicè gravare ac premere, non aliter ac navis in terram extracta, quæ, quamdiu natabat in aquis, ponderis ſui

nullum

nullum faciebat indicium. Quid igitur faciet Religioſus ille, qui ſub ultimam illam horam deceptiones ſuas intelliget? quam ibi rationem habebit reſpectuum illorum humanorum, quorum cauſâ bonorum operum divitias accumulare neglexit, plùs hominum curando dicteria, quàm Dei voluntatem? quantopere illum gravabunt ea ſcandala, quibûs in præjudicium religioſæ Diſciplinæ alios ſe minores per malum ſuum exemplum poſt ſe attraxit? Diſce, jam opportunum à morte conſilium petere, & illius judicium ſequere, quod rectum ſemper & juſtum eſt: *O mors! bonum eſt judicium tuum. Eccli. XLI. v. 3.* Jam nunc, dum tempus habes, id age, quod ſub id tempus actum voles; id nunc in tempore fuge, quod tunc fugiſſe te, deſiderabis, ſed deſiderabis fruſtra, niſi proponas, priùs tibi providere, quàm neceſſitas ingruat, oleum videlicet ac lampadem, prudentis inſtar Virginis, apparando, priusquam Sponſus veniat. Erubeſce, quòd tanto jam tempore ſis in Religione, ut mori condiſcas; in hac tamen ſchola tam parùm adhuc profeceris, ac pene finis illius oblitus fueris, ob quem veniſti; roga ſimul Deum, ut gratiam tibi ad emendandum te largiatur.

III Conſidera, quòd mors ſit *finis omnis temporis.* Magnum eſt beneficium, quod nobis confert Deus; quia, dum Angelis pauca ſolùm temporis momenta conceſſit, quibûs coronam ſuam mereri poſſent, nobis longum

gum adeò plurium annorum ſpatium indulget. Verùm quid nobis prodeſt hoc beneficium, ſi tempus adeò pretioſum, quod bene deberet collocari, perdatur inutiliter, vel etiam in animæ detrimentum impendatur? Agedum, favor hic ſingularis finietur brevì: *Tempus non erit ampliùs. Apoc. X. v. 6.* Et reipſa jam nunc, hac ipſa hora, qua mortem meditaris, quot homines tempus ſuum finiunt, qui, ſi redire poſſent ad inchoandam denuo vitam, & meliùs componenda animi ſui negotia, quid non impenderent? Teipſum pauliſper interroga, ſi hoc ipſo momento moriendum tibi foret, quid non dares pro longiori nonnihil temporis ſpatio, ad agendam pœnitentiam, & ſalutem tuam in meliori ſtatu collocandam? Quomodo igitur tot bonorum operum occaſiones hilariter prælabi ſinis, & majoribus identidem periculis per nova peccata te exponere non dubitas? An fortè, ſi malè mortuus ſemel fueris, redeundi tempus habebis ad emendandum errorem? *Statutum eſt hominibus ſemel mori. Hebr. IX. v. 27.* id jam noviſti; & nihilominus etiamnum differs te parare ad infinitæ conſequentiæ negotium, cujus gravitas Angelorum omnium linguîs ſatis explicari non poſſet? Momentô unicô rebus omnibus temporalibus vivere deſines; momentô unicô Judicem tuum videbis; momentô unicô omnia ingratæ mentis tuæ facinora tibi objicientur in faciem; momentô unicô ſententiam

tiam tuam audies, quæ vel ad Electorum, vel ad Reproborum te partem ſtatuet, & revocari non poterit. An in omni tuo tempore habere poteris momentum, quod majoris ſit momenti? Tu tamen illius immemor adeò vivis, veluti ſi longè id etiamnum abeſſet. Si in Indias uſque migrandum tibi foret, quanta ſolicitudine & cura ad iter adeò longinquum parares neceſſaria? nunc verò, dum unico ſaltu immenſam illam viam, quæ tempus inter & æternitatem interjacet, emetiri deberes, animum habes, magnum hunc ſaltum ex improviſo tentandi, quin priùs aliquantum retrocedas, ut opportunè te præpares? Numquid tua tibímet vecordia videtur prodigioſa, ſi, dum agitur de tam magno tuo commodo, tu tamen dormitare pergas? Eja! cogitationes tuas excita, & propone, omnia reliqua negotia habere pro ſomnio in comparatione graviſſimi hujus negotii, quod tibi incumbit, procurandæ videlicet beatæ mortis. Nulla diligentia poteſt eſſe nimia, dum æternæ felicitatis ſpem locô meliorî collocare poſſis: *Magìs ſatagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. II. Pet. I. v. 10.* Erubeſce igitur de præterita negligentia tua; deteſtare illam ex animo, & roga Dominum illum, qui eſt Rex ſeculorum, ut ſuum tibi largiatur auxilium, quo adjutus, tempore tibi conceſſo bene utaris, & ſtrenuè ſalutem tuam opereris, priusquam ingruat nox: *Venit nox, quando nemo poteſt operari. Joan. IX. v. 4.*

MEDITATIO QUARTA.

Pro ſecunda Exercitiorum die.

De Diſcrimine inter mortem Religioſi tepidi, & Religioſi ferventis.

I.

COnſidera, quòd, licèt mors omnes æquales faciat, Nobiles & plebejos, doctos & indoctos, non tamen in omnibus eos faciat æquales, ſed magnum in multis diſcrimen ſtatuat. Diſcrimen hoc obſerva inter mortem Religioſi tepidi, & Religioſi ferventis; & imprimis quidem *in iis, quæ mortem præcedunt.* Religioſus itaque, qui promiſſorum ſuorum, quæ in votis ſuis Deo dedit, immemor, pro ſuómet genio vixit, ſi denique ad extrema deducatur, deſeratur à Medicis, & ab Arbitro conſcientiæ de imminente morte admoneatur, retro ſe convertet, ac videbit, unico ictu omne ſuum gaudium concidiſſe; evanuiſſe libertatem, quam ſibi præter obedientiam paraverat; proſtratam eſſe valetudinem, qua pro ſuis cupiditatibus fuerat abuſus; in auras abîiſſe plauſus, quos ob violatas leges à Sodalibus ſuis obtinuit; finîiſſe delicias, quas corpori ſuo indulſit; diſparuiſſe lucra, quibus aucupandis omne ſuum tempus, ac totum inſuper animum impendit; *Aperiet oculos ſuos, & nihil inveniet. Job. XXVII.*

Digitized by Google

XXVII. v. 19. Ex præteritis omnibus adeò jucundis non remanſit, niſi amara exprobratio, quòd iîs aliquando ſit fruitus; & fatebitur miſer in animo ſuo, quòd erraverit; ſed fatebitur id multò ſeriùs, quàm oporteret. At è contrario Religioſus fervidus in morte nil perdit, niſi quod jam antè contempſit, ac Deo pridem obtulit; ſuum videlicet corpus, ſuam paupertatem, ſuam obedientiam, ſuam pœnitentiam; quæ omnia converſa jam ſunt in meritorum theſaurum, ut ex eo reddatur æternùm dives: *Opera enim illorum ſequuntur illos. Apoc. XIV. v. 13.* Quid tibi jam videtur de duobus hiſce mortis tam diverſæ generibus? Quænam eſt illa, quam tibimet eligis? Id enim in tua manu ſitum eſt, adjuvante gratia, quam tibi Deus ſuppeditat. Si mori velis cum Religioſo ferventi, ferventer debes vivere; nam aliàs tempus in extremis non erit ſe præparandi; quia tunc paratum jam eſſe oportet; neque tempus ibi eſt quærendi Deum, ſed illum inveniendi. Obſtupeſce, quòd tam raró hucusque de hac veritate cogitaveris, & tam parùm te paraveris ad id, quod unicè tamen omnium intereſt, ad bene videlicet moriendum; Deum verò precare, ut quoniam ipſe dicitur *Adjutor in opportunitatibus. Pſ. IX. 10.* in hac tanta tua neceſſitate ita te dignetur adjuvare, ut pro illa ſis rite comparatus, ex eàque feliciter evadere queas.

Digitized by Google

II. Conſidera hoc ipſum diſcrimen *in iis, quæ mortem comitantur.* Religioſus habitu duntaxat, non item virtute, deductus ad extrema, horrendum in modum cruciatur tam corpore, quàm anima tenus. Nam corpore tenus, cujus ſenſibus conſueverat in rebus omnibus ſatisfacere, per medicinas, vigilias, & morbi dolores vehementer gravatur, & ipſa etiam ſolatia illi per impatientiam convertuntur in dolores, dum illi videtur, Medicos in ſe curando parùm eſſe ſolicitos, Infirmorum miniſtros nimis eſſe negligentes, Superiores ſibi non aſſiſtere, Sodales non ſatis ſibi compati. Animâ tenus recordatur ſuorum peccatorum, illiſque circum undique obſeptus ſibi eſſe videtur. Dæmon verò, qui nunquam dormit, confuſionem illi ſuggeſtionibûs ſuîs auget, eúmque novis adhuc peccandi periculis exponit. Quocunque miſer convertit oculos, omnia timorem ſpirant; ſive intra ſe, ob turbatam animi conſcientiam; ſive ſupra ſe, ob expectationem Judicis jam vicini; ſive infra ſe, ob ſupplicium, quod ille minatur; ſuper omnia verò ad mortis nuntium inhorreſcet illius anima, non aliter, ac infida & inobediens ſponſa contremiſcit, ſi de propinquo jam ſponſo nuntium audiat. E contrario Religioſus fervidus, ſibique mortuus, veluti Amicus fidelis magno cum deſiderio expectat, dum ſuum denique amicum invenire, eíque intimè conjungi queat. Et quamvis ſecundùm hominem inferiorem, ſi-

ve

ve animalem, timeat ſeparationem animæ à corpore, per fidem nihilominus ſeipſum animat, ſperátque, ſe liberandum è regione plena laqueîs, periculîs, ac tentationibûs, & perventurum in eum locum, in quo æternùm amare ſummum Bonum, & frui liceat Deô ſuô; inſtar hirundinis, quæ alas concutit, ſeſéque parat, ut è regione frigida ad clima temperatum commigret. Non illum morbus nimiùm affligit, quia in virtute patientiæ probè exercitatus, ſuos dolores Deo didicit offerre, atque è divinis ejus manibus amarum acceptare pro dulci; non illum cruciat peccatorum ſuorum memoria, quia ſæpius illa jam deploravit, & multo tempore diverſîs virtutum actibûs illa ſtuduit operire; multò adhuc minùs illum affligit, qùòd deſerere hunc mundum debeat, & quidquid in illo haberi poterat; quia ſpinæ, quæ adeò te pungunt, ſi compreſſa illas manu conſtringas, minimè te lædent, ſi manu illas aperta teneas. Quid jam dicis, dum meſſem adeò pulchram conſideras? Tota erit & tua, ſi velis & tu in tempore ſementem ſpargere per actus pœnitentiæ, manſuetudinis, humilitatis, obedientiæ, & cæterarum omnium virtutum, quæ ſtatui tuo ſunt propriæ: *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet. Gal. VI. v. 8.* Noli igitur tempus deinceps perdere; & illa mortis incertitudo, quæ Religioſos tepidos facit negligentes, magis te ſolicitum reddat. In quantam hoc tibi cederet ignominiam, ſi velles

les obtinere finem, & idonea ad obtinendum finem media nolles adhibere? Deteſtare præteritam hanc tuam negligentiam, & poſt excitatum deſiderium beatæ ſanctæque mortis, ad illam etiam obtinendam te converte, ſanctè nimirum vivendo, & jam nunc ex animo tuo illa reſcindendo, quæ in hora mortis in eo inveniri nolles; unáque roga Deum, qui tibi nunc tempus indulget, ut gratiam tibi donet, qua tunc in commodum tuum uti queas.

III. Conſidera hoc idem diſcrimen *in iis, quæ mortem conſequuntur.* Verum eſt, quòd non ſolùm corpus Religioſi in moribus ſuis tepidi, ſed etiam corpus Religioſi ferventis eodem modo deſtitutum ſenſibûs, colore pallidum, deforme ac frigidum remaneat; quòd utriusque veſtes ſint totius domûs viliſſimæ, & ſepulchri locus obſcuriſſimus, ubi illud ex omnium memoria deletum, ab omnibus derelictum, vermibus in prædam datum, ita manebit, ut numquam ampliùs ſit rediturum ad vitam, niſi ſub ultimum mundi diem. Sed ô quantum erit diſcrimen inter amborum animas! Anima Religioſi ferventis ſiſtetur Deo, & veluti triumphans ob relatam à mundo, carne, ac diabolo victoriam, excipietur cum magnis Angelorum applauſibus. At quomodo excipietur anima Religioſi tepidi? Non imaginabimur nobis, quòd eò devenerit, ut extra Dei gratiam ac amicitiam deceſſerit; tunc enim illius mors alium non meretur titulum, quàm mortis peſſimæ: *Mors*

pec-

peccatorum peſſima. Pſ. XXXIII. v. 22. & foret principium infinitæ miſeriæ. Negari nihilominus non poteſt, quin etiam absque hoc magna ſecum debita ferat hujusmodi Religioſus, pro quibus, ad ultimum quadrantem uſque ſolvendis, conjicietur in carcerem igneum, ejusdémque generis flammâ ſuccenſum, quæ animas damnatas urit, quanquam alia hîc ratione cruciari debebit. Hîc itaque ipſius pœnæ abſque comparatione majores erunt, quàm id omne fuerit, quod unquam in hac vita expertus eſt ullus mortalium; quia pœnæ ſupernaturales erunt, & ignis operabitur, tanquam inſtrumentum divinæ Juſtitiæ. Verumtamen & hoc parùm erit in comparatione magnæ illius violentiæ, quam experietur miſer, quòd eo tempore aſpectu ſummi ſui Boni, quod Deus eſt, privatus eſſe debeat, & quòd hoc ipſum tempus, quo in ſtatu hoc violento debebit permanere, in præteritæ ſuæ negligentiæ pœnam incertum illi futurum ſit; quin tamen interea omnibûs illîs doloribûs, quos ibi ſuſtinet, ullum unquam meriti vel gloriæ gradum comparare ſibi queat. Hoc porro diſcrimen inter utriusque conditionem an ſufficere tibi non debeat ad animum tuum in fervoris amplioris ſtatu reponendum? Túne igitur pruinam metues, & horrendam adeò nivem, quæ cadere in te parat, non timebis? *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix. Job. VI. v. 16.* An timebis ſcintillam ignis, qualis eſt hujus vitæ

pœnitentia, & non timebis incendium tam diuturnum, & ſtatum adeò violentum, qualis eſt ille, in quo Deus omnipotens conſtituere vult animam, ut ab omni præteritarum negligentiarum ſcoria purgetur? Obſtupeſce comutationem hanc tam inæqualem, quam clausîs oculîs admittis; diſce cum Sancto Jobo vereri omnia opera tua, & propone, in tempore debitum tuum ſolvere, vincendo difficultates, quas obſervantia Religioſa in ſe continet, antequam adveniat hora, quæ te illud exſolvere tantô ſuppliciô cogat.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES TERTIA.

MEDITATIO PRIMA.

De Judicio Particulari.

I.

COnſidera *Examen*, quod inſtituetur de Religioſo, quamprimum obîerit, eodem ipſo in loco, ubi anima ſeparabitur à corpore. Eodem in loco, in quo forſan aliàs liberiùs transgreſſus eſt mandata Domini ſui, erectum videbit horribile tribunal, & mox intelliget, præſentem adeſſe Deum, ac ideo huc adveniſſe, ut illum dijudicet. In hoc judicio clariſſimè ſtatim videbit mala omnia, quæ à primo rationis uſu

ad

Digitized by Google

ad extremum uſque vitæ ſuæ momentum perpetravit; neque ullus omnino defectus, neque verbum otioſum, neque aſpectus inconſideratus, neque cogitatio paulò liberior manebit in occulto. In lucem prodibunt omnia bona, quæ agere per negligentiam omiſit; tempus omne, quod malè eſt perditum; inſpirationes omnes, quas rejecit. Palam præterea fient omnia bona, quæ malè perfecit; Sacramenta ex conſuetudine tantùm frequentata; preces ſine reſpectu ac memoria divinæ præſentiæ perſolutæ; Verbum Dei ſive lectum, ſive auditum ſine attentione, & abſque fructu; peccata inſuper occulta, uti & aliena, commiſſa quidem ab aliis, ipſi tamen imputanda, quia vel pravô exemplô, vel linguâ ſuâ occaſionem ad illa præbuit, aut opem contulit; aut ea, ùt muneris ſui ratio poſtulabat, non impedivit. Hæc omnia uno ſimul intuitu videbit illius anima, ſola, ac tremebunda, quin aliquis pro ipſa loquatur, vel eam excuſet. Et, quod ampliùs eſt, videbit hæc omnia magno cum lumine, quod in illum à Jeſu Chriſti Sapientia derivabitur; unde aliter longè de peccato ſentire incipiet, quàm modò ſentiat; non illud, rem eſſe levem, tunc judicabit, ſed, uti Deus judicat, prorſus horribilem; adeò, ut anima, dum ſeipſam intuebitur, majorem longè horrorem ſit habitura, quàm ſi omnium ſimul dæmonum fœditatem aſpiceret. Quid itaque tunc dicet miſer, cùm adeò leve bonorum operum ſuo-

ſuorum pondus, illarum verò culparum, quas pro ſua cæcitate priùs tam parùm curabat, & olim adeò facilè committebat, pondus tam grave, & numerum adeò magnum viderit? O! quàm libenter tunc rediret ad retexendam vitæ ſuæ telam! O! quomodo tunc aperiet oculos, quos uſque adhuc tenuerat clauſos! O! quàm aliud longè judicium feret de pœnitentia, de ſolitudine, de caſtigatione corporis? Itaque, ſi ſapis, in tempore tuis commodis invigila, & hoc adeò rigidum ac univerſale, quod te manet, examen præveni; imaginare tibi, illud jam eſſe proximum, quia fieri poteſt, ut proximô abhinc annô, hac ipſa hora judicatus jam ſis. Admirare præteritam tuam ſocordiam, qua parùm adeò timebas, quod maximi quique Eccleſiæ Sancti tantopere timuerunt; mox ad Judicem tuum te converte, qui nihilominus eſt Advocatus tuus, eúmque roga, ut omnia tua peccata tibi remittat, virésque tribuat, ut ea per voluntariam pœnitentiam exſolvas, antequam tempus ingruat, quo ipſi reddenda de illis erit ratio.

II. Conſidera *Sententiam* hujus judicii, quæ definitiva, juſtiſſima, & immutabilis erit, ac pronuntiabitur ab ipſo Salvatoris ore per vocem quamdam internam in corde animæ. Unde ſi Religioſus eo temporis momento deprehenſus fuerit, quaſi ſervus infidelis, tono quodam terrifico Servator illi dicet: Recede à me, Maledicte! quia non mereris, ut in con-

conſpectu meo ſtes, neque ut admittaris in Gloriæ meæ partem; recede in ignem æternum, quò te pertrahit peccatorum tuorum pondus, in conſortio dæmonum illorum, quibus potiùs obtemperare voluiſti, quàm mihi. Hæc eſt tua ſors, quam elegiſti; hanc tibi æternùm habe, meóque jam Sanguine in tuam utere damnationem, quia in ſalutis tuæ remedium illo uti noluiſti. O vocem terribilem! Et quid, obſecro, dicet peccator Religioſus, dum illam audiet? Quàm erit conturbatus! quàm fiet deſperatus, dum videbit, appellationi contra ſententiam iſtam non ſupereſſe locum! dum videbit, quàm juſtè ſuîs illam peccatîs fuerit promeritus! Quis proinde ſibi poterit imaginari, quanta cum rabie ſuas tunc voluptates ſit execraturus? quantum illi horrorem injecturæ ſint transgreſſiones illæ, quæ ipſi modò videntur adeò leves? ùt ſeipſum millies ſit ſtultum appellaturus, quòd Cuſtodi Angelo, ac internis Dei monitionibus aures occluſerit? Ex adverſo Religioſus, qui vitam ad Inſtituti ſui regulas exegit, cùm ſententiam audiet, qua inter Benedictos & Electos ad cœlum invitabitur à Chriſto, quantopere dilaudabit pœnitentiam, humilitatem, obedientiam, & caritatem! Eſtne poſſibile, exclamabit, ut exigua hæc opera mea tantîs mihi præmiîs compenſari debeant? an ergo labor tam modicus in tantam converſus eſt gloriam? luctus tam brevis in æternam abîit lætitiam? Sors harum

rum duarum una te quoque aliquando tanget, & tamen id adeò parùm te habet ſolicitum? O cæcitatem incredibilem, hæc omnia per fidem nôſſe, adeò tamen ſtupidè vivere, veluti ſi neſcirentur! ſcire, quòd pœnitentia tunc ſervitura non ſit ad evitandam, ſed ad augendam ſolummodo pœnam, pœnitentiam tamen in illud uſque tempus differre! Gratias age Deo, quòd tempus tibi indulgeat, ac propone, illud impendere negotio, quod unum eſt momenti maximi & infiniti, nimirum promerendæ in ultimo illo die felici ſententiæ. Erubeſce, quòd in hanc uſque diem periculo te expoſueris, ut à Deo penitus projicereris; ſimul eundem roga, ut pretioſum illum Sanguinem, quo animam tuam redimere dignatus eſt, admittere modò dignetur ad exſolvenda tua debita, & elargiendam tibi gratiam, ne nova deinceps contrahas per nova peccata.

III. Conſidera *Executionem hujus ſententiæ.* Sponſæ infideli auferuntur ornamenta omnia, priùs illi à Sponſo donata; ita omnino eveniet animæ Religioſi peccatoris; auferentur illi omnia bona, quæ adhucdum ipſi remanſerant; fides nimirum, ac ſpes, omnéſque virtutes morales, &, qui priùs illum exornaverat, character baptiſmatis ad majus illi opprobrium, graviúſque ſupplicium ſerviet, quia in inferni abyſſo Infideles, ac dæmones perpetuò illi propterea inſultabunt. Sic igitur ſpoliatus miſer, è gradu ſuo dejectus,

ctus, derelictus ab Angelis, tradetur in manus hoſtium infernalium, qui eodem illo momento illum abripient in profundum, ubi vivere ſemper debebit ſine morte, in malorum omnium intemperie, in igneo carcere, quem ſibi elegit infelix, dum ejus causâ Paradisô ſe abdicavit. Unicô ſolùm momentô illic vivere, dolor eſſet intolerabilis; quantus igitur non erit, æternam ibi manſionem habere! Quantam non pœnitentiam perlibenter iſthîc in ſe ſuſciperet infelicium illorum quilibet in peccati ſui remedium! quantùm ſe non deprimi ac humiliari pateretur! quibûs ſe voluptatibûs cum voluptate & gaudio non privaret? Magnum ſibi favorem fieri crederet, ſi centum annîs ad Monaſterii limen proſtratus, reliquorum Fratrum omnium pedibûs calcari juberetur; acceptaret auſteritates omnes, quas unquam Sancti ſimul omnes in corpus ſuum exercuêre; omníſque cumulus tormentorum, quibûs ſancti Martyres à Tyrannis fuêre diſcruciati, jucundus ei ludus videretur. Nunc itaque, cùm multò leviora media ab ingenti adeò malo immunem te reddere queant, nimirum paulò accuratior regularum tuarum obſervantia, votorum tuorum aliquantò diligentior cuſtodia, ſincerior nonnihil cum animi tui arbitro agendi ratio, paulò generoſior cum tentationibus conflictus, non adeò tenera corporis tui cura; an adeò modicum facere gravaberis, cùm interea certò noveris, brevi adfuturum

eſſe

eſſe tempus, quo ſine ulla comparatione majora pro animæ tuæ ſalute feciſſe deſideraturus ſis, at incaſſum? Jam nunc advénit hora, jam tempus eſt, quo reſolvere te debes ad emendandam vitam tuam, quin audias ampliùs, quid opponat ſenſuum tuorum appetitus; quomodo enim aliàs vita tua reſpondebit fidei tuæ? tuus in agendo languor gravitati periculi, cui animam tuam apertîs oculîs exponis? In quantam tibi cedet ignominiam, ſi videas, fratres tuos, tuos in Religione, tuos in Cœnobio ſodales, qui tecum, ſed non juxta tuam vivendi methodum, vixêre, quia Domino ſuo fideles extiterunt, vocari ad coronam & regnum, Angelorum manibûs ſublevari in cœlum, atque in Paradiſum triumphali pompa deduci, cùm tu interea infeliciſſimus in dæmonum poteſtate relinquaris, nullo ampliùs bono per totam æternitatem fruiturus? Porro ſi ſola horum imaginatio tantum tibi horrorem incutit, quid tum demum fiet, cùm hæc omnia reipſa tibi evenient? Deo proinde gratias age, qui tempus tibi ad emendationem vitæ concedit; deteſtare præteritam harum veritatum, quæ tanti ſunt ponderis, oblivionem; confuge ad Redemptoris vulnera, eúmque roga, ut perire te non ſinat, poſtquam tanti Sanguinis pretiô te redemit: *Tantus labor non ſit caſſus.*

LEC-

Digitized by Google

LECTIO
Pro die tertia Exercitiorum.
De Virtute Pœnitentiæ.

MAgnam Terræ Palæſtinæ injuriam intulerunt Exploratores illi, qui eam populo Hebræo deſcripsêre veluti tam barbaram, ut habitatores ſuos non modò non alat, ſed etiam devoret: *Terra, quam luſtravimus, devorat habitatores ſuos. Num. XIII. v. 33.* Et tamen illa abundans adeò fuit, ut dici de illa potuerit, quòd lacte & melle circumfluat. Similem omnino injuriam mundani homines irrogant Pœnitentiæ, dum ita de illa loquuntur, acſi virtutis hujus exercitiis ſe impendere, non aliud propemodum eſſet, quàm morti ſe tradere, cùm tamen Pœnitentium lacrymæ ſint dulciores theatrorum gaudiîs; neque ſolùm viri fortes & robuſti, ſed Virgines etiam teneræ hauriant ab illa vires & robur, magno cum rigore tractandi corpus ſuum, & in medio rigoris hujus percipiendi voluptatem, qualem numquam expertus eſt Mundus. Ut ne igitur & tu in horum nimis quàm timidorum ac deceptorum numerum venias, oportet, ut de virtutis iſtius natura, atque de illius obtinendæ, ac faciliùs exercendæ modo perbene ſis inſtructus.

Eſt itaque Pœnitentia Virtutum moralium una, cujus officium ac munus eſt, deſtruere

peccatum, & ſatisfacere divinæ Juſtitiæ pro offenſis Deo irrogatis. Proinde, ùt ait S. Thomas, hæc virtus eſt quædam ſpecies Juſtitiæ vindicativæ, quia, dum intelligit anima, quòd adeò magna ſit Dei Sanctitas, ut peccatum vel unum diſſimulare nequeat, illúdque neceſſariò debeat infinitè odiſſe, ac perſequi, velut inimicum divinæ ſuæ gloriæ, etiam ipſa ſimiles ſibi ſenſus efformat, Deo ſe conjungit, & omnia ſua peccata ſummè incipit horrere, & illatas Creatori ſuo injurias in ſemetipſa vindicare. Eapropter hæc Pœnitentiæ virtus divinam Perfectionem & Sanctitatem multùm omnino participat, & inter virtutes cæteras locum oppidò honorificum obtinet, cùm, uti S. Thomas loquitur, ſit virtus optima, ſi non abſolutè, certè in illa ſaltem Sanctitatis parte, quæ conſiſtit in fuga peccati, & declinat à malo. Dividitur pariter Pœnitentia in duas partes, ùt idem hic Sanctus teſtatur; earum enim una eſt Pœnitentia interior, nimirum animi contritio; altera eſt Pœnitentia exterior, quæ ſatisfactionem imperat pro peccatis, ac differt à patientia, quia illa res duras, voluntariè ſibímet impoſitas, tolerat; patientia verò res duras, ab aliis contra noſtram nobis voluntatem illatas, perfert. Atque hæc Pœnitentiæ virtus cum reliquis omnibus virtutibus moralibus ita incedit inter duo extrema, ut difficile ſit tenere medium, & in alterutram partem non declinare. Quidam omnem ſuam diligentiam,

to-

Digitized by Google

totámque ſuam perfectionem collocant in exteriori pœnitentia, parùm ſoliciti, ut aliîs eam virtutibûs animent; quaſi verò ad extruendum magnum aliquod ædificium ſufficeret, ſi unicus duntaxat murus erigatur, & in hanc ædificii partem ſumptus omnes impendantur. Verùm hi tales ſunt denique admodum pauci, ſi comparentur cum reliquis mortalibus, qui ad ſolum Pœnitentiæ nomen inhorreſcunt. Hinc videtur, quòd, ſicut olim apud Romanos, ut regi ſe ſinerent, opus erat, ut eorum Rectores Regum Appellationi Conſulum nomen ſubſtituerent, ita omnino, ut hi delicatuli ſancto affligendi ſui corporis exercitio aliquantulùm ſe impendant, oporteat, nova minúsque inviſa nomina invenire ad inculcandam illis Pœnitentiæ virtutem; nam alioquin illico virium ſuarum debilitatem & infirmam valetudinem obtendunt; quíque ſat virium ac valetudinis habent ad inquirendas per mille incommoda voluptates liberiorum Bacchanalium, eas ſimul omnes repentè amittunt ad ſuſtinenda leviora longè Quadrageſimæ incommoda; atque ita in maligno quodam ſenſu renovant miraculum antiqui manna, quod, licèt ignis ardorem ſuſtineret, ad primum tamen ſolis radium colliqueſcebat.

Itaque ne in alterutrum ex duobus his extremis incidamus, néve ex una parte ita nos armîs oneremus, ut confligere non poſſimus, ex altera verò parte non omnino inermes &

pene nudi aggrediamur bellum, quod inferendum eſt ſenſibus noſtris, omnium optimum erit, ſi Patrem ac Directorem ſpiritûs eligamus, ejúsque judiciô ſtemus. Si aliqua inſtrumenti muſici chorda non ſatis intenditur, raucum oppidò ſonum edit; ſi verò nimiùm intenditur, ſtridet; ad artis proin muſicæ magiſtrum pertinet, vel magis illam tendere, vel aliquantùm remittere. Eodem igitur modo ad Spiritûs Directorem pertinebit, ut ipſe dijudicet, quod nobis afflictationis genus conveniat, & quæ illius menſura tum ſpiritûs, tum corporis noſtri viribus congruat. Quemadmodum enim nonnullæ pœnitentiæ, uti ſunt jejunia & vigiliæ, interiùs nos affligunt, aliæ verò, ùt veſtis cilicinæ ac flagelli aſperitas, nos tantùm affligunt exteriùs, ita Directoris eſt, non ſolum certam aſperitatum ejusmodi menſuram aſſignare, ſed & eas ſeligere, quæ magis ſunt opportunæ. Cæterùm velle hoc in genere, ùt & in aliis, quæ ad ſpiritum pertinent, ſemetipſum pro libitu ſuo dirigere, aliud non eſt, quàm ex diſcipulo fieri magiſtrum, eúmque planè ſtultum, uti S. Bernardus loquitur: *Qui ſe ſibi magiſtrum conſtituit, ſtulto ſe diſcipulum ſubdit. Epiſt. 87.* Interim licèt legitima cauſa ſubeſſe poſſit, particularem aliquam pœnitentiæ ſpeciem non aſſumendi, nulla tamen ſubeſſe poterit, omnem prorſus ac ſemper omittendi pœnitentiam, & eam non deſiderandi, & non petendi majorem pœnitentiæ

tiæ menſuram, quàm nobis adhuc conceſſa fuerit; quia ſpiritus, qui ad exercendas auſteritates nos impellit, manifeſtum ſemper animarum electarum, & Jeſu Chriſto dilectarum indicium fuit, uti nos docet Apoſtolus *Gal. V. v. 24. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Hinc apud antiquos Eremi Patres tritum hoc erat proverbium: *Da mihi ſanguinem, & dabo tibi ſpiritum;* quo innuere volebant, quòd eodem paſſu, quo progreditur pœnitentia, progrediatur etiam virtutis acquiſitio.

Media pro acquirendo Pœnitentiæ Spiritu.

QUerebatur apud parentem ſuum Calebi filia, quòd terram nimis aridam in dotem accepiſſet; pater verò, ut illi ſatisfaceret, aliam illi dedit, dupliciter irrigatam, ac duplô fœcundiorem: *Dedit ei Caleb irriguum ſuperius, & irriguum inferius. Judic. I. v. 15.* Parî modô, ſiquis cor & corpus ſuum ad exercitia Pœnitentiæ minùs diſpoſitum deprehendat, debebit is hunc à Deo ſpiritum, ſenſuum noſtrorum appetitui tantopere contrarium, poſtulare; & Deus, ùt Pater amantiſſimus, dabit illi aquas ſuperiores Pœnitentiæ internæ, *Irriguum ſuperius;* & aquas inferiores externæ quoque Pœnitentiæ, *Irriguum inferius.* Unde anima dupli-

citer fœcundata magis abundantes in omni virtutum genere fructus progerminabit. Hæc profectò eſt prima Lectio, quam animæ cuidam divinus Spiritus impertivit. Surius narrat, quòd olim in Maximiani Imperatoris palatio puella quædam fuerit, *Donna* nomine, quæ magnô ſuô commodô in librum incidit Epiſtolarum S. Pauli, & Actuum Apoſtolorum, in iiſque tantam veritatis lucem invenit, ut Legem Chriſtianam amplecti conſtituerit. Quanquam verò admodum arctè fuerit cuſtodita, ita ſedulò tamen in occulto rem ſuam egit, ut baptiſmum feliciter obtinuerit. Verùm ſacrô baptiſmatis lavacrô vixdum fuerat abluta, cùm in aliam prorſus evaſit; mox enim ſua cymelia, veſtéſque pretioſas vendidit, ut redactum inde pretium pauperibus diſtribueret, rigidis vacavit jejuniis, ſomnum in dura captavit humo, hominum ſubterfugit conſortia, omnéſque alias à ſe voluptates abdicavit, præter eam unicam, quam ex oratione captabat, cui coram Crucifixi imagine, ſuiſmet manibus fabrefacta, horas integras tribuebat. Hic vivendi modus, ſenſui tantopere contrarius, eam eſſe Chriſtianam illico palam docuit, illíque viam ad illuſtre martyrium paravit. Itaque Spiritum Sanctum in corde tuo frequenter invoca, &, ubi ille ad te inviſere dignatus fuerit, ne dubita, quin illico tibi magnum Pœnitentiæ ſit amorem elargiturus. Alterum Pœnitentiæ obtinendæ medium eſt, ſi coneris

eas

eas rite penetrare cauſas, quæ ad Virtutem iſtam perſuadendam faciunt. S. Thomas aſſerit, Fidem eſſe principium Pœnitentiæ; Fidem igitur excita in corde, & in animo tuo, & illa quamprimum dignos Pœnitentiæ fructus, uti Servator noſter deſiderat, in te producet. Viva proinde rerum futurarum fides in Pœnitentia tibi mox deteget omnia bona, *Honeſtum* videlicet, *Utile*, ac *Delectabile.*

Pœnitentiam quidem internam quod attinet, quid magis honeſtum, quid magis æquum, quàm divinæ ſe Juſtitiæ ſociare, &, cùm illa jure optimo poſtulet, ut peccatum puniatur, vel à Deo, qui fuit offenſus, vel à Peccatore, qui illum offendit, potiùs eligere, ut manu propria per voluntariam ſatisfactionem puniatur, id eſt, modo quodam, qui tantò nobis eſt facilior, quantò temporaria pœna eſt minor æternâ; modo quodam, qui tantò glorioſior eſt Deo, quantò ille per voluntariam virtutem ampliùs honoratur, quàm per violentam neceſſitatem. Hæc ipſa conſideratio ſatis oſtendit, quàm juſta pariter & honeſta ſit exterior quoque ſatisfactio. Quid enim honeſto frugíque viro magis congruit, quàm ſolvere ſua debita? Antiqui Perſæ grandem eſſe credebant infamiam, debitîs oneratum mori; meliori longè jure erubeſcere deberet anima, quæ ex mundo decederet, antequam ſuis nominibus, & contractis apud divinum Tribunal debitis ſatisfeciſſet, illud

Digitized by Google

Pœnitentiæ genus Deo non offerendo, quod, Myrrhæ inſtar, majoris eſt pretii, ſi ferrum non expectet, ſed ſponte ſua Domino porrigatur. Alioquin nolle ſolvere, niſi per vim, aliud non eſt, quàm ſua apud Deum debita magis augere, ùt ait S. Cyprianus *De Lapſu: Ecce, major a delicta! peccâſſe, nec ſatisfacere; deliquiſſe, nec delicta deflere.* Magnum ſemper amicitiæ perfectæ fuit obſtaculum, aliud apud amicum contraxiſſe debitum, quàm debitum ardentiùs illum amandi: *Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis. Rom. XIII. v. 8.* Hinc animæ ſanctæ pro omnibus ſuis delictis abundanter ſatisfacere ſatagunt, idque tantò magis, quia hæc ipſa ſatisfactio caritati illorum dat incrementum ob majorem ſimilitudinem, quam acquirunt cum divino ſuo Servatore, qui totus erat livore ac vulneribus plenus: *Nolo vivere ſine vulnere, cùm te video vulneratum;* inquiebat S. Bernardus.

Difficilius nonnihil erit, Pœnitentiam tibi delectabilem ac jucundam oſtendere, & adornatam hac ex parte à ſenſibus noſtris proditionem ſupprimere. Interim veri Pœnitentes ſemper affirmant, quòd tantam voluptatem experti nunquam fuerint, paſſionibus ſuis obſecundando, quantam poſtmodum easdem ſubigendo, & peccata ſua deplorando perceperunt. Duo lachrymarum genera diſtinguunt Medici, alterum frigidarum, quæ ab infirmitate proveniunt; calidarum alterum,

rum, quæ ab interno animi affectu, vel per ſui ipſius, vel per alterius alicujus amorem concitato, generantur. Poſterioris hujus generis, ſed majoris longè pretii, ſunt lachrymæ Pœnitentiæ; unde & cordi pro cibi ac potûs refectione deſerviunt: *Cibabis nos pane lachrymarum, & potum dabis nobis in lachrymis. Pſ. LXXIX. v. 6.* dicebat S. Propheta David, propriô doctus experimentô. Per hæc tamen nolo dicere, quòd in auſteritatum exercitio id eveniat, quod de Muſica ſomniabant Pythagorici, qùòd nimirum illa ſuô duntaxat ſonô ac harmoniâ morbis omnibus mederi queat. Scio, quòd, ſi dulce fuit animæ peccare, conveniat omnino, ut amarum illi ſit pro peccato ſatisfacere; nihilominus, quemadmodum in turture vidua idipſum, quod eſt gemitus, ſimul & cantus eſt, ita pariter in corde contrito ac pœnitente idipſum, quod dolor & auſteritas eſt, fit adeò dulce & gratum, ut, quisquis illud deguſtat, id pro omnibus mundi deliciis non permutaret. Et verò cur animam non penitus exſatient, ſi tamen fidem non omnino perdidit, ſpes illa obtentæ à Deo veniæ, tam ſolidô nixa fundamentô, indicia illa jucundiſſima redintegratæ cum Deo amicitiæ?

Verùm altiùs aſcendamus. Sit Pœnitentia quantumcunque difficilis, ſit vultu auſtera, ſit moribûs ruſtica, quid deinde, ſi unà ſit tam utilis, tam neceſſaria, ut illi etiam Sancti, qui, ut ita dicam, eâ non indigebant, ſuæ tamen

men illam innocentiæ ſociare voluerint; &, licèt eorum vita ſimilis fuerit antiquis illis Pyramidibus, quæ nullam extra ſe umbram projiciebant, nihilominus Divi Auguſtini conſilio ſint obſecuti, qui neminem, etiamſi vixerit innocenter, ex hoc mundo vult decedere, quin priùs pulchram hanc, noſtróque exilio tantopere congruam virtutem exercuerit? Tuum nunc judicium eſto, an illa non abſolutè neceſſaria ſit ei, qui aliquando peccavit, imò qui peccavit non ſemel. Sed ad perſuadendam ſibi neceſſitatem iſtam plerumque haud adeò facilè mortales inducuntur, quia in Deo vel ſolam Miſericordiam ſine comite Juſtitia, vel etiam Miſericordiam ipſimet Juſtitiæ adverſantem, ejúsque munus veluti retardantem (non aliter, ac Mater interdum Patrem impedit, ut ne filium immorigerum caſtiget) ſibi repræſentant. At profectò non ita ſe res habet, quia hæc Attributa Dei ſunt æqualiter infinita, & licèt illorum effectus ſint inter ſe contrarii, divinæ tamen perfectiones iſtæ ſunt eadem omnino res. Unde ſequitur, quòd Deus utramque ſimul, & neutram ſine altera velit exercere, ut tantò digniùs, ſuæque Sapientiæ conformiùs operetur; ac proinde, dum remittit culpam per Miſericordiam, non ideo vult remittere pœnam per Juſtitiam, vel certè non vult totam remittere. *Verebar omnia opera mea, ſciens, quòd non parceres delinquenti;* dicebat S. Job *Cap. IX. v. 28.* quo innuitur, quòd Deus

Deus delinquentibus non ita impertiatur veniam, ut nullam pro illorum defectibus ſatisfactionem exigat. Hoc poſito, invigilare oportet,ne apud Deum contrahantur debita; at ſi debita contracta jam ſint, maxima foret in ſemetipſum crudelitas,non eſſe de agenda pœnitentia ſolicitum; quod enim modò ſatisfactione perlevi poſſet exſolvi, exſolvi olim debebit inexplicabili tormentorum pondere. Contingit interdum, ut ægrotus aliquis ulcus putreſcens habeat,& chirurgus, ut infirmi doloribus parcat, illum ſinat ſuîs id manibûs premere, ac expurgare; at ſi chirurgus animadvertat poſtea, quòd infirmus illud non ſatis premat, ac perpurget, ſuas ipſe manus admovet, & ægrotum clamare ac frendere ſinit abſque miſericordia, quia denique curandum eſt ulcus. Eodem modo divina Juſtitia cum animabus nimiùm delicatis agit; unde verum denique deprehendetur, quòd is, qui pauxillum pruinæ, qualis foret auſteritas aliqua voluntaria, nimiùm timet, ſit poſtmodum obruendus horribili nive, rigore nimirum diviniTribunalis: *Qui timent pruinam, irruet ſuper eos nix. Job. VI. v. 16.*

Neque ſolùm utilis & neceſſaria eſt Pœnitentia ad reſarcienda præterita, verùm etiam ad prohibenda præſentia, & præcavenda futura mala. Faſſus eſt aliquando diabolus, quòd nil aliud magis extimeſcat, quàm brachium,flagellô armatum. Quid ergo juvat, tentatum ſe conqueri, ſi modicum illud negli-

gligatur, quod ad vincendum requiritur? quid juvat conqueri, quòd contumax evadat ſervus ille, corpus videlicet, qui tam delicatè nutritur, veluti ſi foret dominus? Si duriùs tractetur corpus, tantò fortior in futurum evadet anima, dum videlicet contrariorum habituum minuetur violentia, & majus obtinebitur à Deo ſubſidium ad ſubigendas rebelles paſſiones. Hinc Abbas Moyſes perbene reſpondit iis, qui illum hortabantur ad omittendas auſteritates ſuas, monens, ut efficerent, ne ſuæ ſibi paſſiones bellum deinceps minarentur, tum ſe quoque corpori ſuo pacem illico conceſſurum: *Quieſcant paſſiones, quieſcam & ego.*

Ex hac Doctrina, & exemplo Sanctorum omnium, qui ſemper in illa exercenda celebres ſe reddiderunt, facilè poteris deprehendere, quàm ineptè contemnatur omnino exterior Pœnitentia à certis aliquibus Perſonis, nimiùm delicatis, quæ ſibi pro ſuómet genio devotionem effingunt, dicúntque, perfectionem non conſiſtere in Pœnitentia, ſed in Caritate. Id quidem eſt veriſſimum; at verò vineæ quoque fructus non utique conſiſtit in ejusdem ſepe, cùm uvas non ſpinæ & ſentes, ſed vites progenerent. Interim tamen ſepes hunc ipſum fructum cuſtodiunt, & abſque ſepium ſpinis inanes forent omnes labores cæteri: *Ubi non eſt ſepes, diripietur poſſeſſio. Eccli. XXXVI. v. 27.* Sanctum vel unum mihi ſiſte, qui non ſemper ac multùm æſtimaverit pœ-

pœnitentiam exteriorem, quíque cum eadem non inceperit, ac proſecutus fuerit ſemitam ſuam; tum verò patiar, ut exigua illius ratio in via ſpiritûs habeatur. Sed, ut revertamur ad nos ipſos, ſi viva fides tuæ conſiderationis oculos aperiat ad expendendas ſuperiùs allatas rationes, prorſus non dubito, quin tuum cor illico ſit acquiſiturum ſanctæ cujusdam adversùs témetipſum duritiæ temperiem. Corallium illud, quod ſub maris undis inſtar plantæ molle eſt, ac flexile, ſi foras inde protrahatur ad cœli conſpectum, in gemmam indureſcit. S. Maria Magdalena quamprimum has pœnitentiæ utilitates intellexit, mox agere pœnitentiam inſtitit, & in ea deinceps etiam exercere ſe perrexit, non ſolùm poſtquam de obtenta venia certitudinem habuit, ſed etiam tunc, quando diebûs ſingulîs in cœlum eſt ab Angelis ſublevata; veluti ſi certo quodam modo ſuas lachrymas, ſuúmque vivendi rigorem ipſi quin adeò Paradiſo cuperet inferre.

Actus, quibûs exercetur Pœnitentia.

ETſi complures ſint actus, quos huic momenti maximi Virtuti Doctores tribuunt, in praxi tamen illos poſſumus ad quaternos reducere; eorum duo pertinent ad Pœnitentiam interiorem, ſúntque *Attritio*, & *Contritio*; alii verò duo ad Pœnitentiam ex-

exteriorem, ſuntque *Rerum aſperarum indagatio*, et *Earundem Acceptatio*, *dum occurrunt*, ut Deo ſatisfiat.

Quod *Attritionem* attinet, jam noviſti, quòd ea ſit dolor animi, quo deteſtamur peccata commiſſa, tamquam animæ noſtræ malum. Ut proinde dolorem hunc vivaciùs exerceas, adduces cor tuum ad inſpiciendam horrendam illam inferni fornacem, & attentè conſiderabis carcerem illum, in quo omnia ſunt merus ignis, & ipſi captivi omnes ab igne ſunt penetrati; tum ita teipſum alloquêris: *Aut pœnitendum, aut ardendum.* Vel ſincero corde deteſtari debeo peccata mea, vel ſine fine, ſine ullo ſolatio, in hac flammarum abyſſo ardere. Atque ita facilè tibi erit, ſalutarem hunc de admiſſis contra Deum peccatis dolorem, & *Attritionem* concipere; & longè adhuc facilius erit, ab hoc dolore, qui eſt veluti Aurora quædam, tranſire ad clariorem diem Caritatis & *Contritionis*, peccatum ſummopere deteſtando, non jam uti malum, quod ad creaturam pertinet, ſed veluti malum, quod ipſúmmet Creatorem attingit; monſtrum hoc, plùs quàm infernale, conſiderando tamquam mortiferum Dei hoſtem, qui infinitæ Illius Bonitati ſe opponit è diametro, Illius Immenſitatem, Illius Juſtitiam, Illius Miſericordiam, & Illius Amorem contemnit, Illius Præcepta transgreditur, Illius Conſilia diſturbat; ac proinde ab eadem hac infinita Bonitate tanto habetur odio,

quan-

quanto Illa ſeipſam amore complectitur. Quis igitur animus, vel modica fide colluſtratus, malum hoc, quod ſummo Bono penitus & in omnibus eſt contrarium, ex omnibus ſuis viribus deteſtari non volet? & quis non peroptabit, potiùs in hanc lucem veniſſe numquam, quàm huic Dei ſui proditori vel ſemel cum voluntate præbuiſſe receptaculum? In hoc actuum genere diutiùs ac frequentiùs exercitare ſe animam oportet, non aliter ac ille, qui ſerpentem iteratò, ac ſæpius ferit ſive ex odio, quo in illum fertur, ſive ex timore, ne is adhuc penitus confectus non ſit.

Quia verò non ſufficit inſtituere Judicium, ſed oportet etiam exequi Juſtitiam: *Fecit Judicium & Juſtitiam. Pſ. CXVIII. v. 121.* neque ſatis eſt reum condemnare, ſed oportet illum etiam punire; idcirco ab internis actibus Pœnitentiæ ad externos etiam procedendum eſt, eáque amplectenda, quæ in corporis tractatione ſenſuum tuorum appetitui ſunt magis contraria, quantum quidem per obedientiam tibi licuerit; eúmque in finem ob oculos te habere decet injurias Deo irrogatas, ut eas hoc obſequii genere compenſes, & ſanctam quandam iram accendas adversùs tuúmmet corpus, tanquam autorem mali tam abominandi, quale illud eſt, quod Deum infinitum attingit. Profectò indulgentem ſibímet eſſe in hac parte, magna omnino eſt cauſa exigui noſtri profectûs in via ſpiritûs, cùm id animæ noſtræ facilè conti-

tin-

Digitized by Google

tingat, quod vitibus uſúvenit, quæ non aliam ob cauſam citiùs ſterileſcunt, quàm ſi putentur cultrô nimis indulgentî, ſive, ut ait Plinius *Lib. VII. cap. 24. Si præcidantur ferrô hebetiorî.* De cætero non ſolùm exercetur hæc virtus adhibendo varias auſteritates, verùm etiam diversîs, licèt innocentibûs, ſe voluptatibûs privando; dum enim reminiſcitur Pœnitens, quòd ea ſibi indulſerit, quæ indulgere ſibi licitè non poterat, iîs nunc libenter ſe privat, quæ licita ſibi forent, ut hac ratione Juſtitiæ divinæ ſatisfaciat: *Conſideravit, quod fecit, & voluit moderari, quod faceret;* poſſumus dicere cum S. Gregorio.

Sed quoniam magna eſt mollities tua, & vix obtineri poterit, ut audeas in temetipſum immitis eſſe, & cruces inquirere; ſaltem adeò languidus eſſe noli in acceptandis illis, quæ ipſæ obviàm tibi veniunt, ac te inquirunt; nam utriusque generis tribulationibûs via ſpiritûs eſt conſita; unde alicubi exclamat David: *Tribulationem & dolorem inveni. Pſal. CXIV. v. 4.* Alibi verò: *Tribulatio & anguſtia invenerunt me. Pſal. CXVIII. v. 143.* Itaque in id incumbe, ut de manu Dei illud omne libenter acceptes, quod in dies tibi accidet incommodi, ſive ob anni tempora, ſive ob adverſam tuo temperamento tempeſtatem, ſive ob aliorum mores, genio tuo contrarios, ſive ob teipſum, vel propter afflictam corporis valetudinem, vel propter exiguam animi quietem; ac denique id

Digitized by Google

id omne, quod moleſtiam tibi & onus in tuo munere faceſſit; obedientiam, votorum ac regularum obſervationem, & ſtatum ipſum Religioſum; qui ſolus, uti loquitur S. Thomas *2. 2. Qu. 189. Art. 3. ad 3.* magnæ cuivis pœnitentiæ, quæ à Mundanis agitur, æquivalet. Has, aliásque ſimiles moleſtias cum vero Pœnitentiæ ſpiritu, id eſt, cum ſincero divinam in nobis Juſtitiam glorificandi, omnésque peccati, unici ac infenſiſſimi Divinæ ac immenſæ Sanctitatis inimici, reliquias in nobis deſtruendi deſiderio convenit acceptare. Magna ſanè Judicis noſtri benignitas eſt, quòd in peccatorum noſtrorum ſatisfactionem etiam illud pœnarum genus admittat, quod evitare non poſſumus, uti ſunt illæ moleſtiæ, quæ vitam noſtram undique circumdant. Verùm ex altera parte non minor eſt, ut ita dicam, negligentia noſtra, dum adeò parùm ſoliciti ſumus pro debitis noſtris, tam levî licèt pretiô ſolvendis, háncque ſolutionem in vitam alteram, ubi cum inexplicabili rigore exigetur, differimus. Omnes illi, qui pœnitentiam non egerint, in ſummam incident tribulationem: *In tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint.* Ita nobis indicatur à Deo per os Divi Joannis Apoſtoli *Apoc. II. v. 22.* Si cujuslibet Chriſtiani vita, uti Sacrum Concilium Tridentinum loquitur, continua debet eſſe Pœnitentia, quantò magis talem eſſe oportet vitam hominis Religioſi? Aliquam

L de-

demum excuſationem habere in Italia poterit Palma, ſi ſuos ad maturitatem fructus non provehat, vel quòd ſolum non ſatis ſibi ſit conveniens, vel quòd à ſole non ſatis calefiat. Sed quam excuſationem habere Palma poterit, ſi maturos fructus non proferat in Palæſtina, ubi çœlum adeò ſibi propitium habet ac terram, & ubi tot arbores aliæ magnâ fructuum copiâ ſunt onuſtæ? Non credam ego, vel Mundanos coram Divino Tribunali excuſare ſe poſſe, ſi Pœnitentiam agere neglexerint; ſed quantò minùs excuſare ſe poterit homo Religioſus, qui & ſtatu & habitu Pœnitentiam profitetur?

MEDITATIO SECUNDA.

Pro tertia Exercitiorum die.

De Judicio Univerſali.

I.

CONſidera, quòd extremus Judicii dies in Sacris Scripturis non aliter frequentiùs appelletur, quàm Magni Diei nomine, quia magnus erit ob tria potiſſimùm capita; ob Perſonas nimirum, quæ ibi congregabuntur, ob Res, quæ ibi tractabuntur, ob Negotia, quæ ibi concludentur. Erit itaque *Dies magnus ob Perſonas, quæ ibi congregabuntur*, cùm ibi convenire coram Judice debeant omnes Angeli, & homines omnes. Finge tibi

Digitized by Google

bi Amphitheatrum ampliſſimum, in cujus ſupremo loco reſideat Rex, Procerum ſuorum coronâ circumdatus; paulò inferiùs conſiſtant Nobiles, infra hos Populus, ac in ultimo denique loco ſint beſtiæ, & Rei ad beſtias condemnati, ut ab illis devorentur. Amplum hoc Amphitheatrum erit Vallis Joſaphat; ſupra illam in aëre ſedebit JEſus Chriſtus in throno nubis cum tanta Majeſtate ob Naturam ſuam Divinam, cum tanta gloria ob Naturam ſuam humanam, cum Divina conjunctam, ut nec Sol, nec Luna, nec Stellæ reliquæ in ejus conſpectu ſint lucem aliquam habituræ, & Reprobi æquè ac dæmones omnes, ejus magnitudine conterriti, in ſuum opprobrium genua illi flectere, eúmque adorare cogantur. Illi aſſiſtent cumprimis Virgo Mater in ejusmodi throno, qui regiæ illius Dignitati conveniat: *Aſtitit Regina à dextris tuis. Pſal. XLIV. v. 10.* ex utroque verò illius latere omnes Angelici Spiritus, omnésque Sancti Cœlites. Atque hi glorioſa habebunt corpora (ſuum videlicet quisque proprium, & poſtquam reſurrexêre, adeò ſplendentia, ut terram omnem colluſtrare poſſent. Angeli quoque, ut Juſtorum pompam, ac Reproborum terrorem augeant, etiam ipſi in aëreo corpore, quod Solis lumen ſuperabit ſuo lumine, comparebunt. Infra Sanctos aderunt Electi reliqui, jam ſeparati à Peccatorum grege; & in infimo denique loco attoniti ſtabunt ac tremebundi dæmones omnes,

& omnes Reprobi ab Electis ſeparati, in ſuo & ipſi corpore, ſed heu! quàm diverſo! ſordido nimirum ac horrifico, quódque animæ infelici pro novo inferno ſerviet. Tibi verò, qui hæc meditaris, quis locus inter tot ac tantos obtinget? Si fideliter obſervaveris ea, quæ Deo in ſanctis tuis votis promiſiſti, obveniet tibi, quemadmodum JEſus Chriſtus iis omnibus promiſit, qui omnia, ut Illum ſequerentur, reliquerunt, obveniet, inquam, tibi locus perhonorificus ac ſublimis, inter reliquos nimirum Judices: *Et ſedeatis ſuper thronos, judicantes duodecim tribus Iſraël. Luc. XXII. v. 30.* At ſi Dominum languidè ſecutus fueris, & ea, quæ in tua Profeſſione obtuliſti Domino, paulatim repetere, & in uſum tuum convertere incipias, ſtare debebis cum reliqua turba, ut judiceris. Quid verò tum de te fiet, ſi eò aſcenderit infidelitas tua, ut inter Reos tremebundum te ſtare oporteat? O Deus! Fierínе poteſt, ut inveniatur homo Religioſus adeò ſtultus, qui, poſtquam æternum Cœlorum Regnum tam exiguô pretiô comparavit, illud poſtmodum pro nihilo (ita fas eſt dicere) projiciat? *Projecit Iſraël Bonum. Oſe. VIII. v. 3.* Obſtupeſce inſolitam hanc inſaniam; vota tua novo fervore confirma, & à Deo pete gratiam, ut Illum in vita tua proximè ſequaris, ac proin etiam in magno illo die quàm proximè Illi poſſis aſſiſtere.

II. Con-

Digitized by Google

II. Conſidera, quàm magnus futurus ſit ille dies *ob Res, quæ ibi tractabuntur.* Quidquid per omnia retro ſecula ſive boni ſive mali patratum eſt, id omne publico ſubjiciendum eſt examini. Quot non verba una ſolùm die homo vel unicus profert! quot cogitationes mente non verſat! quot non opera diverſa peragit! Judica nunc, quantam hæc omnia ſummam per totum illud tempus, quo homo hujusmodi in hoc mundo vivit, conficiant. Et tamen momentô unicô apparebunt omnia, non ſolùm opera, verba, & cogitata unius iſtius hominis, ſed omnium ſimul hominum, & Angelorum omnium; bona quidem, ut judicentur judiciô approbationis & laudis; mala verò, ut reprobentur. Et quod ampliùs eſt, tam mala, quàm bona non ibi apparebunt, utì modò apparent; nam in judicio Dei Pietas immenſùm eſt nobilior ac pretioſior, quàm noſtris illa ſe oculis, adeò tenebroſis, exhibeat; malitia verò immenſùm eſt nocentior. Quid tum erit de homine Religioſo, ſi in loco ſancto perverſè vixerit? Videbit, in aciem contra ſe produci integrum peccatorum exercitum, & in hoc videbit peccata innumera, quæ olim habebat pro nihilo. Quid faciet miſer, cùm de omnibus ſimul exigetur ratio, ſi tantùm laborare debebit, ut vel pro uno ſolo reſpondeat? *Non poterit ei reſpondere unum pro mille. Job. IX. v. 3.* Et reſpondere tamen non ſolùm debebit pro peccatis, ſed & pro beneficiis, quæ pa-

pariter mittentur in aciem, & unà cum peccatis etiam ipſa præliabuntur, illáque per comparationem nimis quàm horribilia facient apparere. Reſpondere denique debebit pro Chriſti Domini Exemplis, pro illius Vulneribus, pro illius clavis, pro illius Cruce. Non ſine magno myſterio Judicium hoc inſtituetur in Valle Joſaphat; utpote vicina horto Gethſemani, ubi Chriſtus ſuum pro nobis ſudavit ſanguinem; vicina torrenti Cedron, per quem raptatus eſt ad tribunalia; vicina Jeroſolymæ, ubi condemnatus eſt ad mortem, & unde cum ſua in humeris cruce inter duos latrones exivit; vicina monti Calvariæ, in quo animam tot inter dolores, tot inter opprobria reddidit. Servient hæc omnia ad agnoſcendam Sententiæ Divinæ Juſtitiam, & reddendam illi Cruci gloriam, quæ in aëre tamquam Vexillum Regium eminebit, & ſuo duntaxat aſpectu manifeſtum faciet, quid & quantum Redemptor noſter egerit, ut nos ſalvos faceret, & quid quantúmque nos contempſerimus, ut ſalvari nos prohiberemus. Quid tibi jam videtur de iſthoc magno die? An tuas jam rationes compoſuiſti pro magno hoc examine? Peccata illa, quæ per legitimam Pœnitentiam contecta fuerint, tunc vel omnino non apparebunt, vel timorem certè tibi nullum incutient; at illa, quæ inulta reliquiſti, & multò magis ea, quæ ſtudioſè coram Sacerdote celâſti; immenſa illa beneficia, quibus per tot ingratæ mentis piacula

cula reſpondiſti, dum eorum non ſolùm depoſuiſti memoriam, ſed & adverſus Benefactorem tuum eadem adhibuiſti; obligatio illa non inutilem reddendi immenſam cruciatuum & exemplorum, à Chriſto tibi relictorum copiam, heu! quanto te ſub id tempus horrore complebunt! Vah! quàm maledicta eſt illa ſecuritas, quæ timere te non ſinit diem illum, quem maximi quoque Sancti tantopere ſemper extimuerunt! Tu hominum judicia tantopere curas, & non curas Tribunal illud, quod ipſis etiam dæmonibus, dum illius recordantur, horrorem incutit? Propone, magìs ſeriò deinceps conſiderare hoc judicium, quià, ſi totâ vitâ tuâ illud conſiderares, nimiùm tamen brevis pro tanti momenti conſideratione foret omnis vita tua. Pudore ſuffundere coram Judice tuo, eúmque roga, ut modò velit eſſe Advocatus tuus, ſuámque tibi miſericordiam priùs impertiri, quàm Juſtitiæ tempus ingruat.

III. Conſidera, quòd dies ille denique futurus ſit magnus *ob ea, quæ ibi concludentur.* Non agetur ibi de miſera quadam hæreditate, & de paucis aliquibus terræ palmis; ſed agetur de Bono & Malo ſempiterno: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti verò in vitam æternam. Matth. XXV. v. 46.* Agetur de Benedictione Dei, quæ omnem ſecum felicitatem pro tota æternitate afferet, ac de Maledictione Dei, quæ omnes ſecum miſerias vehet. Ceſſabit tunc omnis elementorum

ac cœlorum motus, neque remanebit niſi unica, eáque ſempiterna nox pro Damnatis, quæ nullam ampliùs videbit diem; & unica perpetuáque dies pro Electis, quæ nullam ampliùs noctem videbit. Omnis malitia, omnia vitia, peccata omnia, tamquam mundi fæces, in inferni ſentinam defluent, & omnes creaturæ, expurgatæ, & è peccatorum ſervitute, ſub qua tanto tempore gemebant, liberatæ, nova longèque feliciori vita gaudebunt. *Tempus omnis rei tunc erit. Eccli. III. v. 17.* Verbô: dies ille erit occaſus temporis, & Aurora Æternitatis; proinde non fuit aliquando, nec unquam erit impoſterum dies longior: *Non fuit antè, nec poſtea tam longa dies. Joſ. X. v. 14.* dici tunc majori cum ratione poterit. Tu interim hæc aſpicis, veluti procul diſſita, nec propterea in tuum te commodum terrere nôſti. Verùm etſi longè diſſita, venient tamen aliquando; etſi longè diſſita, ſunt tamen vera; quàm verum enim eſt, eſſe Deum, tam verum eſt, futurum aliquando Judicium ultimum. Has itaque veritates tibi per fidem applica, & omnibûs vitæ tuæ diebûs nullam alterius rationem habe, quàm illius, cujus tunc in magno illo Domini die rationem es habiturus, Pœnitentiæ nimirum, abjectionis tui ipſius, & corporis afflictationum. Hoc verò eſt eſſe ſapientem, & antè res cognoſcere, quàm eveniant; nam poſtquam evenêre, eas alioquin etiam ſtulti cognoſcere poſſunt. Erubeſce, quòd in

Digitized by Google

in horum numero per tuam inconſiderantiam tanto tempore perſtiteris, & precare Deum per eam Sanctitatem, quæ illum tunc ex Patre Miſericordiarum in Deum vindictæ transmutabit, ut tuum tibi cor ita convertat, ut ex illius ore benignam aliquando ſententiam audire merearis.

EXAMEN
Pro die tertia.
De Regimine trium Potentiarum Animæ.

I.

EXamina, quomodo utaris Memoriâ. 1. An ſæpe recorderis Dei, & divinorum illius beneficiorum? 2. An eorum etiam memineris, qui tibi ſive in ſpiritualibus, ſive in temporalibus bene faciunt? 3. An illatas tibi injurias interdum animô recolas, & tecum ipſo perpendas? 4. An præterita peccata nonnumquam in memoriam revoces, ut ea frequentiùs deteſteris?

II. Examina circa Intellectum. 1. An ſtudeas illum ſeriò applicare ad cognoſcenda divina Myſteria, atque ad expendendam eorum ſublimitatem, & provenientem inde utilitatem? 2. An diligentiam adhibeas in repellendis ſuſpicionibus, ac temerariis de Proximo judiciis? 3. An tua conſilia cum prudentia & maturitate ſtatuas; an verò inconſide-

ratè agas? 4. An ſententiam tuam ob quamlibet novam rationem, quæ tibi proponitur, leviter mutes? 5. An in concepta ſemel opinione tua ſis pertinax, eámque ſubmittere nolis Superiorum opinioni, & aliorum prudentiorum conſilio? 6. An in tuis operibus judicium hominum, & illorum, quam de rebus formare ſolent, exiſtimationem pro regula tibi ſtatuas? 7. An ſis curioſus in indagandis rebus, ad animæ bonum inutilibus, vel etiam novis, & ſtatum tuum dedecentibus? 8. An etiamnum in animo tuo retineas dictamen aliquod mundanum, quale exempli causâ foret: quòd is, qui ſui contemptum non ulciſcitur, alios ad ſui contemptum exſtimulet: quòd is, qui agnum induit, alios animet, ut fiant lupi: quòd is, qui in hominum communitate vult pace gaudere, nemini debeat in communitate diſplicere: quòd rerum minimarum habere curam ſit accerſere phtiſin, vel ſeipſum velle emaciare: quòd oporteat aliquid indulgere naturæ, ac juventuti; & quæ ſunt alia id genus proprii amoris axiomata, Evangelicæ doctrinæ contraria?

III. Examina circa Voluntatem. 1. An ſis amicus propriæ tuæ voluntatis? quod tunc ſemper contingit, quando rem aliquam vis, ad eam autem volendam vel obtinendam non moveris ratione aliqua ſpirituali, & ex fine virtutis, ſed ideo duntaxat, ut in ea guſtum tuum invenias, tuæque inclinationi, quæ ad illam fertur, obſecundes; atque ita operà bo-

bona interdum commaculas. 2. Attende, an Superiorum & Patrum Spiritualium directioni integre te ſubjicias? 3. An in operibus tuis præ oculis ſolùm habeas utilitatem tuam, tuáque commoda? vel ut ab aliis magìs ameris, aut ampliùs æſtimeris? 4. An facilis ſis ad dandam aliis repulſam, cùm aliquid à te petunt? 5. An exigas, ut illico tibi, & eo momento inſerviatur, quo imperas? 6. An exigas, ut omnes alii ad tuam ſe voluntatem conforment, non pro Dei obſequio, aut ipſorum bono, ſed capiendæ duntaxat propriæ tuæ voluptatis causâ? 7. An facilè te excuſes, dum contra tuum genium tibi aliquid imponitur? 8. An ea libentiùs agas, quæ tibi ſunt magìs commoda? 9. An nimiùm ſis alligatus ſpiritualibus etiam rebus, ita, ut animi tranquillitatem amittas, ſi res ita diſponat Deus, ut earum aliqua, exempli causâ, probi alicujus Religioſi ſocietate, Directoris tui præſentiâ &c. priveris? 10. Denique an moderari ſcias ejusdem tuæ voluntatis imperia, eorum executionem, ſi fieri poteſt, differendo, dum calor ille, & illa nimia erga res deſideratas inclinatio deferveſcat? An inſuper generoſè & alacriter te geras in aggrediendis rebus minùs gratis, aut moleſtis?

Deteſtare defectus, ſiquos inveneris, & coram Deo de illis erubeſce; rationes tibi propone, quæ ad ſeriam emendationem te promoveant, Deúmque roga, ut vires tibi ad ſervanda tua propoſita ſuppeditet.

ME-

MEDITATIO TERTIA.

Pro tertia Exercitiorum die.

De Pœnis Inferni.

I.

COnſidera *Multitudinem pœnarum*, quas anima damnata in inferno patitur; dici ſanè poteſt, eas fore ſine numero, quia omnia dolorum genera in hujusmodi infelicem animam irruendi facultatem habent: *Omnis dolor irruet ſuper eum. Job. XX. v. 22.* Omnes ſenſus externi & interni, quemadmodum animæ fuerunt inſtrumenta peccandi, ita nunc erunt inſtrumenta illius puniendæ. Potentiæ internæ, utpote nobiliores, majorum etiam tormentorum capaces erunt. Phantaſia in quodam triſtitiæ pelago natabit perpetuò; Memoria ſemper recordabitur pulcherrimarum occaſionum, quas incaſſum elabi permiſit; Intellectus applicare ſe ad alia non poterit, quàm ad conſiderandam ſuam miſeriam; Voluntas ex odio & invidia agetur in furorem contra Deum, qui illam punit, contra creaturas, quæ ſuum illi auxilium præbuerunt ad peccandum, contra ſeipſam denique, quæ peccavit. Solus duntaxat ignis ad immenſam foret infelicitatem ſatis; nam ignis hic, cùm in inferno ſit veluti gladius in manibus Dei, vim acquirit incredibilem ad cruciandum corpus & animam Rebellium illo-

lorum tanto ardore, ut, ſi vel mons in infernum rueret, à flammis illis momentô conſumeretur, non aliter ac pila cerea. Quis igitur voracem hunc ignem ſuſtinere poterit? *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Iſa. XXXIII. v. 14.* Et tamen omnis hæc miſeria foret etiamnum, ut ita dicam, tolerabilis, ſi conjuncta non eſſet cum alia ſine comparatione majori, pœnâ nimirum damni, quæ infinita meritò dici poteſt, quia damnatos privat infinitô Bonô, poſſeſſione videlicet Dei per omnia æternitatis ſecula. Unde ſicuti videre Deum facie ad faciem illud eſt, quod propriè Paradiſum conſtituit; ita numquam ampliùs poſſe videre Deum, illud eſt, quod propriè conſtituit infernum; reliqua verò omnia, uti carcer, ſocii, carnifices, tenebræ, ſtridor dentium, & omne malum reliquum, eſt veluti ſecundarium, neutiquam verò in magno illo dolorum cumulo præcipuum. Quid ait animus tuus, dum tales illi veritates proponis? annon exurgit in affectum, illi ſimilem, quem aliquando concepit S. Maria Magdalena de Pazzis, quæ Cœnobii ſui muros oſculabatur, inquiens: Beati muri, vos me includitis; ſed & defenditis me! Negata forſan foras prodeundi facultas interdum tibi gravior accidit? Fortè regularum onus te nonnumquam premit? Sed memento, cancellos iſtos te cuſtodire, ne in horrendum illum carcerem devolvaris; hoc onus tibi ſuppeditare ſpem obtinendæ olim immunitatis

tis ab omnium malorum onere. Si Deus ad inferni aditum deferri te juſſiſſet, téque, cùm in proximo in hanc abyſſum decidendi periculo conſtitutus jam eſſes; hiſce verbîs fuiſſet allocutus: Remitto tibi pœnam hanc, ſed eo pacto, ut Religionis & Obedientiæ difficultates libentî animô perferas; an tu pactum hoc forſitan recusâſſes? vel modò in eo ſervando nimis te gravatum crederes? Erubeſce igitur mollitiem tuam, téque Deo totum offer, ut pro ſuo libitu tecum agat, dummodo tibi in æternitate parcat: *Hîc ure, hîc ſeca, ut in æternum parcas.*

II. Conſidera Pœnarum infernalium *Atrocitatem*, ſine ullius boni admiſtione. Sicut in cœlo voluptates ac gaudia ſunt omnino pura, ſine doloris unius acceſſione, quia cœlum eſt proprius bonorum omnium locus; ita in inferno meri ſunt cruciatus, ſine ſolatii ullius admiſtione, quia infernus eſt proprius omnium tormentorum locus. Quàm parùm petiit miſer ille, Dives Epulo, dum unicam petiit aquæ guttulam, ab extremo digito defluentem? Et tamen pauxillum hoc eſt illi denegatum. Quanta Religioſus, dum ægrotat, ſolatia percipit à magna reliquorum illi ſuccurrentium & aſſiſtentium caritate! omnes eum ſolantur; omnes illius causâ ſunt ſoliciti & occupati; omnes, ſi aliud nequeant, Deum ſaltem pro reſtituenda illius valetudine precantur. Verùm ſi Religioſus per ſummum ſuum infortunium in inferni abyſſum

ali

aliquando prolabatur, nullum ampliùs pro ipſo ſupereſt ſolatium; non poterit ampliùs vel pauxillum frigidioris auræ captare, non videre vel modicum lucis, non audire vel unicum ſolatii verbulum, neque vel unica ſe cogitatione nonnihil erigere, non momentô unicô ceſſare à doloribus, non eos vel uno temporis puncto minuere, ſed potiùs per novam identidem animarum acceſſionem illius cruciatus augebuntur. An tu aliquando in hanc miſeriarum omnium Patriam, ex qua proſcripta ſunt omnia bona, à Divina Juſtitia detrudi commeritus es? ſi commeritus id es, quæ igitur gratiarum actio tanto beneficio, quòd à Divino Judice tuo æternùm illuc damnatus non es, poterit æqualis eſſe? longè etenim majus eſt hoc beneficium, quàm ſi in flammas illas permiſiſſet te proruere, indéque te poſtmodum extraxiſſet; ac proinde ſi in hujusmodi caſu tantum ageres, ut Liberatori tuo gratum te probares, quid agere jam debebis, cùm longè ampliùs eidem ſis obligatus? Si verò graviori aliqua culpa miſeriam iſtam commeritus non es, id beneficium es conſecutus à Deo, éſtque illud multò adhuc ſingularius; & quemadmodum ſingularis erga te fuit Dei Providentia, ita ſingularem quoque oportet eſſe grati animi tui ſignificationem, & amorem erga illum, qui tanto eſt favore te complexus. Obſtupeſce igitur ingratum tuum animum, & omnem reliquam vitam tuam Deo liberaliter offer,

có-

eóque duntaxat fine illam tibi conceſſam crede, ut tantò certiùs pœnas illas evadere queas. Roga inſuper Deum, ut, poſtquam tibi cœpit benefacere, ab ingrato animo tuo ſe dimoveri ab incepto non ſinat, ſed Bonitate ſua vincat malitiam tuam.

III. Conſidera Pœnarum iſtarum *Æternitatem*. Hæc eſt, quæ animarum damnatarum miſeriam in immenſum auget. Pœna etiam levis fit pœna immenſa, ſi illi pondus æternitatis accedat; quid igitur fiet, ſi pondus hoc æternitatis jungatur pœnis ex natura ſua tam intolerandis, tam univerſalibus, & ab omni ſolatio tam longè remotis? Inter homines omnes nec unicus inveniretur, qui omnes ipſius etiam Salomonis delicias ac voluptates acceptaret, ſi, poſtquam illis ad uſque ſatietatem perfruitus eſſet, integro ſolùm die in ardenti rogo perſiſtere deberet. Et inveniantur nihilominus tot mortales adeò ſtolidi, qui, ut animali voluptate ad momentum perfruantur, æternùm ardere velint in ejusmodi igne, in cujus comparatione terrenus noſter ignis eſt ignis tantummodo pictus? Quî fieri poteſt, ut ſenſus noſtros ita decipiat ille cibus, qui ſempiternam ſecum mortem attrahit? *Poteſt aliquis guſtare, quod guſtatum affert mortem? Job VI. v.6.* Mirum non eſt, quòd Sancti tantopere ſubterfugerint mundi oblectamenta, tantóque cum fervore amplexati ſint auſteritates Pœnitentiæ; quia nimirum identidem in animo ſuo re-

revolvebant magnam hanc de æternitate cogitationem. O æternitas! O æternitas! Stamus nos omnes, & pulſamus ad fores tuas, & tamen habemus tempus ridendi, & genio noſtro indulgendi, veluti non niſi fabulæ forent hæc omnia. Si anima tua per ſummam tuam infelicitatem in hanc flammarum æternarum abyſſum rueret, quid foret de te? nam vel unicam boni guttulam ſperare non ampliùs poſſes, & in malorum omnium oceano æternùm cruciareris. Tranſibunt tot annorum & ſeculorum milliones, quot atomi ſunt in aëre, & arenæ granula in maris littoribus, de tuo tamen ſupplicio nihildum erit præteritum. Renovabitur hoc idem opus millies & millies; & poſt longum adeò tormentum hærebis adhuc in ipſo principio. An fortè nunc in inferno nullæ ſunt animæ, quæ olim Deo longè ferventiùs ſervîerunt, quàm illi tu modò ſervias, quæque poſtmodum prævaricando è cœli ſtellis abîerunt in inferni titiones? Cur igitur tu tibi non metuis? cur à tua te pigritia non excitas? Cùm tibi Deus indulgeat tempus has perpendendi veritates, ſignum eſt, quòd condemnare te nolit; at fructum inde non capere, poſtquam illas conſideraveris, magni timoris tibi cauſam dabit. Humiliare igitur, & agnoſce locum, quem ingratæ mentis tuæ criminibûs in inferno es promeritus; gratias age Deo, qui tibi modum hinc evadendi ſuppeditat; & propone, beneficio, quod accipis, nova me-

M tho-

thodo reſpondere, vitam ſcilicet inchoando modeſtam ac pœnitentem; totum te offer ſine ulla exceptione in obſequium ſummi Benefactoris tui, eúmque roga per immenſam illam ſanctitatem, qua pecccatum adeò ſeverè punit, ut animam tuam ſanctam efficiat, & Majeſtati ſuæ dignam in ea habitationem paret.

MEDITATIO QUARTA

Pro tertia Exercitiorum die.

De Affectibus Animæ damnatæ.

I.

COnſidera ſpectaculum, quod unum omnium maximè horrificum vel fingi cogitatione poteſt, damnatum videlicet Religioſum; & expende miſerandæ hujus animæ affectus, à Sapiente per os impiorum omnium expreſſos, dolorem videlicet ob præterita, triſtitiam ob præſentia, deſperationem ob futura: *Pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritûs gementes. - - Turbabuntur timore horribili. - - in ſubitatione inſperatæ ſalutis. Sap. V. v. 3. & 2.* Horum igitur affectuum primus erit *Dolor ob præterita.* Ecquod tandem fuit bonum illud, cujus intuitu miſer ille deſeruit Divinum Benefactorem ſuum? fuit miſerum aliquod laborum ſuorum lucrum, ſine facultate expenſum; fuit pro-

profanus aliquis amor, cui animum ſuum adjecit; fuit pudendus aliquis affectus, quo animam ſuam contaminavit. Re nihili, ita fas eſt dicere, lucratus eſt illum Sathanas: *Venatione ceperunt me inimici mei, quaſi avem, gratis. Thren. III. v. 52.* Ac proin modicum illud adeò circumſcriptum, adeò vile, adeò breve, quàm funeſtam poſt ſe reliquit memoriam, cùm illud pœnâ ſempiternâ luere nunc oporteat! Unica ſolùm pœnæ iſtius hora ad tollendam voluptatum omnium, per mille ſecula perceptarum, memoriam abunde ſufficeret: *Malitia horæ oblivionem facit luxuriæ magnæ. Eccli. XI. v. 29.* Judica, quam id ſpeciem tunc ſit habiturum, quod jam nunc diſparuit, velut umbra; &, ſi terra tam vaſta, ſi cœlo comparetur, non eſt aliud, niſi punctum, quam, obſecro, figuram in damnati animo habebit momentum amœni temporis, punctum libertatis, ſi conferatur ſuppliciorum æternitati? Quis igitur imaginari ſibi poterit, quàm immanis futura ſit rabies infelicis illius, dum ſe ad hanc malorum abyſſum damnatum intelliget ob unicam mellis venenati guttulam, cùm tamen, ùt ſingularis Dei amicus, conſtitutus jam fuerit Paradiſi hæres ac dominus? *Guſtans guſtavi - - paululum mellis, & ecce ego morior. I. Reg. XIV. v. 43.* Ut maledicet dæmonibus, qui illum deceperunt! ſibimet ipſi, quòd decipi ſe permiſerit! diei, qua natus eſt! matri, quæ ipſum in lucem edidit!

Digitized by Google

Religioni, quæ illum admiſit! ſacris veſtibus, quas tam indignè geſtavit! Stude perbene comprehendere triſtem hanc & inutilem pœnitentiam, ut inde proficias. Deteſtare tot annos in domo Dei tam malè impenſos. Propone, id omne, quod præterit, habere pro ſomnio; & roga Deum, ut impertiatur tibi gratiam, hîc plangendi cum pœnitentibus, ne ibi plangere cum damnatis æternùm debeas.

II. Conſidera ſecundum Religioſi damnati affectum, *Triſtitiam ob præſentia: Præ anguſtia ſpiritûs gementes.* Hæc triſtitia reſpondebit menſuræ immenſi mali, in quod incidit infelix, & immenſi Boni, quod miſer perdidit. Quantum illi malum non erit, quòd habitare ſemper debeat in tali carcere, ubi muri ſunt ignis, ubi pavimentum eſt ignis, ubi fornix eſt ignis, catenæ ſunt ignis, aër eſt ignis, ipſi captivi omnes ab igne ſunt penetrati! & eheu! quali ab igne! quali ab igne! Non ab igne, quem Deus in obſequium noſtrum condidit, qualis eſt ignis in hoc mundo; ſed ab igne, quem Deus inſtrumentum vindictæ adversùs Rebelles ſuos eſſe voluit, quem ejus Omnipotentia ſic adaptavit, tantáque inſtruxit efficaciâ, ut ii, qui Dei magnitudinem agnoſcere noluerunt, illam ſentiant ex gravitate plagarum, quas illis infliget propria ſua manu: *Scietis, quia ego ſum Dominus percutiens. Ezech. VII. v. 9.* Bonum pariter, quod perdidêre, quam non triſtitiam

crea-

Digitized by Google

creabit damnatis, ſi perdidêre Bonum immenſum, ſi perdidêre pro re nihili, ſi perdidêrè tunc, quando facillimè id poterant obtinere, ſi denique id perdidêre absque ulla id recuperandi ſpe ac remedio! ſi damnati ex vaſis miſericordiæ, quæ eſſe debebant, facti ſunt vaſa iræ ob miſeriarum abyſſum, quæ omnem cogitationem noſtram ſuperat! O terram crudelem, quam ſibi pro habitatione ſua elegit Religioſus, qui tanto tempore habitavit in domo Domini! Et tamen habitationem iſtam elegit hic miſer, ut ſenſibus ſuis per imaginarias quasdam voluptates ſatisfaceret. O maledictum peccatum, quod Deum adeò bonum cogit tam ſeverè agere cum anima, paulò antè ſibi tam dilecta, nunc autem futura immobile Divinæ Juſtitiæ trophæum, per totam æternitatem in igne collocatum! Interim ſi Deus è Damnatis iſtis aliquem ad vitam, & in hunc mundum revocaret, quam ille pœnitentiam non ageret libentiſſimè? qui rigores illi viderentur nimiùm duri? Quam igitur pœnitentiam te agere non oportet, ut ſecurum te conſtituas, ne in barathrum illud detrudaris? Propone itaque vitam tuam innovare, & antiquum iterum fervorem accendere; erubeſce, quòd longum adeò miſericordiæ tempus perdideris; ingrati tam ſæpe animi reum te in conſpectu Dei confitere; gratias illi age pro patientia, qua tamdiu te expectavit, & per divinum illius Sanguinem roga, ut glorioſum ſe reddere

in te velit, impertiendo tibi veniam; non verò, utì pariter poſſet, æternùm te puniendo.

III. Conſidera tertium affectum Religioſi damnati; is verò eſt *Deſperatio ob futura*: *Turbabuntur timore horribili - - in ſubitatione inſperatæ ſalutis*. Hæc deſperatio illud erit, quòd unà cum immenſo æternitatis pondere penitus conteret animas illas infelices. Alioquin, ſi vel unus amicæ cujusdam ſpei radius in tenebris illis appareret, etiamſi id foret poſt tot ſeculorum milliones, quot olim in magno mundi diluvio fuerunt aquarum guttulæ, id abunde ſufficeret ad abſiccandas omnes lachrimas, ad flammas reddendas mitiores & gratas, ad occludenda in perpetuum omnibus lamentis ora. Verùm hic radius illuc penetrare non poteſt, quia carcer hic æternus eſt, æterni ſunt carnifices, æternus eſt ignis, æterna eſt anima, æternum eſt peccatum, ſententiæ decretum eſt æternum. Hinc aliud non remanet, quàm mortem ſemper inquirere, & eam numquam invenire. Si decipere ſaltem ſeipſos damnati poſſent, ſibique, licèt falſò, imaginari hunc finem, qui tamen futurus eſt numquam; vel ſi ſaltem poſſent brevi aliquo tempore incomprehenſibilis hujus æternitatis oblviſci, haberent ſolatium aliquod. Verùm & hoc non poterunt, quia Divina Juſtitia ſemper illis ob oculos ponet illud *Numquam*, illud *Semper*, in quibus, velut axibus, illorum miſeria volvitur, ita, ut quamdiu Creatori Deo ſua non deeſt omni-

omnipotentia, ſua immenſitas, ſua ſanctitas, tamdiu illis ſua non defutura ſit pœna. Itaque vides, quid damnatorum deſperationem æternam reddat; nempe non ferre modò malorum omnium pondus per totam æternitatem, ſed ferre inſuper pondus ipſius æternitatis, quæ ùt illorum oculis ſemper eſt præſens, ita ſemper etiam illos opprimit pondere quodam infinito. Quid ad iſta dicit Religioſus tepidus, dum ea fide divina pro veris habet? Conqueritur de Paupertate, ob quam non habet omnes illas commoditates, quas habere cuperet; conqueritur de obedientia, ob quam aliorum voluntati ſubjicere ſe debet; conqueritur de negata egrediendi facultate, quæ ſua illum privat libertate; conqueritur de ſtatu ſuo, quo arcetur à mundi voluptatibus. Sed conſidera paululum, quid de illo futurum ſit, ſi decidat in infernum. O! enimvero illa, illa paupertas erit, aliud non habere, quàm ignem! illa, illa erit obedientia, ſtare ſub ipſis dæmonum pedibus, & numquam id invenire, quod tanto cum impetu deſideratur, id verò ſemper obviàm habere, quod tanta cum rabie ſubterfugitur! illa, illa erit negata egrediendi facultas, non poſſe ſe unquam ex uno in alterum latus convertere per totam æternitatem, ſed manere ſemper immobilem in eodem igneo lecto, cùm tamen pœna ſit intolerabilis, uno ſolùm anno perdurare in lecto, vel roſis inſtrato! illa, illa erit corporis caſtigatio, omnia ſimul mala

æternùm tolerare, abſque miſerabili ſolatio boni vel tantilli, quantillum eſt unica aquæ guttula in linguam decidens! Atque hic eſt locus tormentorum, ad quem tendit Religioſus, qui, poſtquam Deo ſuam in ſanctis votis libertatem obtulit, ad eandem ſibi repetendam ac uſurpandam revertitur, transgrediendo ſua vota. Imò hic locus non eſt, ad quem tendit; ſed pergit ad abyſſum malorum infinitè majorum; quia pœnæ illæ ſunt altioris ordinis, & immenſùm excedunt dolores omnes, quos unquam vel experti ſunt, vel cognoverunt mortales. An tu igitur eas non timebis? Sed timor hic ſine fructu te non debet affligere; debet ille te excitare ad laborandum, & fugiendum omne peccatum, propter quod ſolùm fabricatus eſt infernus. Deteſtare itaque ex omni corde tuo peſſimum hoc ipſius inferni monſtrum, peccatum, inquam, mortale; erubeſce, quòd unquam illi locum dederis in anima tua, tam parùm curando malum illud, quod tam horrendîs ignibûs perſequitur Deus; exprobra tibímet ipſi malitiam tuam, & roga Deum, ut, dum eam ſanguineîs etiam lachrimîs jam olim deploravit, nunc tibi gratiam largiatur, ut eam in hac vita dignè valeas deteſtari, ne illam cum æterna deſperatione deteſtari debeas in altera.

SA-

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES QUARTA.

MEDITATIO PRIMA.

De Malo Peccatorum Venialium.

I.

COnſidera gravitatem defectuum illorum, quos tu leves appellas; maximè ſi alioquin illos admittas non ex fragilitate mera, ſed datâ operâ, & deliberatô ſatis propoſitô; & primò conſidera *Gravitatem hanc in ſeipſa.* Etiamſi peccatum veniale nominetur leve & parvum, non intelligitur tamen, quòd leve ſit ac parvum, ſi abſolutè & ſe ſolo conſideretur; ſed tantùm ſi conſideretur in comparatione cum peccato mortali, quod eſt malum quodammodo infinitum. Etiam lacus dicitur parvus in comparatione cum toto mari, & tamen, abſolutè loquendo, parvus non eſt, ſed plurimum aquæ continet. Ita pariter peccatum veniale, ſi comparetur culpæ gravi, quodammodo diſparet; ſed per ſeipſum eſt malum adeò magnum, ut reliqua mala omnia ſuperet, ſolo excepto mortali peccato. Ecce igitur, in quo ſenſu defectus tui cum veritate leves appellari queant, dum ex altera parte, ſi mali-

tiam, quam in ſe continent, plenè poſſes comprehendere, præ horrore occumberes. Et verò numquid Deo diſplicent? numquid increatæ illius Voluntati ſunt aliquo modo oppoſiti? numquid divinam illam gloriam, quæ ſupremus eſt totius Univerſi finis, & ſublime illud bonum, quod Deus à creaturis ſuis exigit, imminuunt? De hoc ne dubitari quidem poteſt; atque adeò peccatum veniale eſt malum altioris ordinis, quàm reliqua mala omnia; eſt malum, quod aliqua ratione Deum ipſum attingit; eſt malum, quod jure nunquam eligi vel admitti poteſt; ita quidem, ut, ſi imminerent omnia bella, ſterilitates omnes, omnes peſtilentiæ, quæ mundum ad interitum uſque deſolarent, túque per hypotheſin impoſſibilem, magnam hanc mundi vaſtationem unicô peccatô veniali poſſes impedire, numquam tamen illud admittere deberes; imò ſi poſſes damnatos omnes ex inferno liberare, aut impedire, ne omnes Beati Cœlites in hanc abyſſum de cœlo ruerent, deberes potiùs horum omnium damnationem & ruinam permittere, quàm Deo levem etiam indignationem creare, quia ſummum creaturarum omnium malum eſt infinitè minus, quàm malum etiam minimum, quod Creatorem attingit. Hîc tu ad veritatum adeò certarum lucem audaciam tuam incredibilem admirare, & obſtupeſce, quòd toties contra Deum tuum rem illius oculis tam inviſam ſis auſus repetere; erubeſce,

Digitized by Google

beſce, quòd id tam parvi feceris, quod diſplicuit ſummo Bono, cùm tamen plenum illius guſtum illius pluris longè debuiſſes æſtimare, quàm omnium creaturarum felicitatem. Deteſtare millies ac millies omnes defectus tuos, & roga Deum, ut, quoniam adeò magnæ ſunt culpæ illæ veniales, in quas per naturæ imbecillitatem identidem incidis; hanc tibi gratiam modò impertiatur, ut eas deinceps apertîs ſaltem oculîs, & animô deliberatô numquam ampliùs admittas.

II. Conſidera gravitatem defectuum tuorum *in effectibus, qui inde conſequuntur.* Duo malorum genera ſecum vehunt infirmitates corporis; alterum eſt malum, quod illæ cauſant in præſenti, quale eſt languor, nauſea, pallor totius corporis; alterum verò eſt malum, quod minantur in futurum, quale eſt mors, & animæ perpetua ſeparatio ab ipſo corpore. Ita peccatum veniale, cùm ſit ſpiritualis quædam infirmitas animæ noſtræ, in præſenti quidem illi aufert pulchritudinem gratiæ, ſaltem majorem illam venuſtatem, qua Dei oculos ad ſe raperet, ſi foret penitus abſque macula. Inſuper illi aufert magna ex parte fructum divinorum Myſteriorum, præcipuè Sacræ Evchariſtiæ, dum obicem ponit intimæ illi conjunctioni, quam Deus in hoc Sacramento deſiderat; denique replet animam tædio quodam ac nauſea in omni pietatis exercitio, fervorem illi caritatis imminuit, ac vitales illos ſpiritus, qui aliàs in eam ex

ex ipſius capite, quod Chriſtus eſt, deſcenderent. Sed pejus adhuc malum eſt, quod veniale peccatum minatur animæ in futurum, mors nimirum peccati mortalis, ad quam infirmitas iſta paulatim accedit, partim aſſuefaciendo voluntatem propriam, ut vivat pro ſuo libitu, partim debilitando bonos habitus, cæteróſque aggeres, qui tentationum torrenti obicem adhuc ponebant, partim denique Divinæ Juſtitiæ ſubminiſtrando cauſam ſubtrahendi ſuam manum; unde anima, minùs potenter adjuta, labi paulatim incipit. Quomodo igitur tam facilè & adeò deliberatè multiplicare potes illud culparum genus, quod deducere te poteſt ad omnium poſſibilium malorum barathrum, ad peccatum nempe mortale, ac damnationem æternam? Forſitan illud uſque adhuc non eò deduxit multas animas, te meliores, quæ, dum cœperunt in minoribus eſſe infideles, eò devenerunt, ut in majoribus etiam infideles fierent, & paulatim pervenerunt ad præcipitium, ubi & periêrunt? *Qui ſpernit modica, paulatim decidet. Eccli. XIX. v. 1.* Deteſtare igitur culpas tuas omnes, quàm potes maximè; confitere, te nimis fuiſſe cæcum in vita tua, quam ad hoc uſque tempus tanta cum negligentia perduxiſti; propone, deinceps culpas tuas ponderare ad Pondus Sanctuarii, &, quoniam in conſpectu Dei ſunt adeò deteſtabiles, tibi verò tam periculoſæ, conſtitue, in poſterum priùs mori, quàm vel unicam deli-

be-

berata mente committere, & in hunc finem auxilium à JEſu Chriſto pete, eſque ob oculos pone, quòd ſuam Paſſionem, ſuum Sanguinem, ſuam mortem æterno Patri obtulerit, ut omne peccatum deſtrueret.

III. Conſidera gravitatem defectuum tuorum *in pœnis, quas tibi afferunt*. Si aliquando ab humana Juſtitia condemnatum vidiſſes Reum, ut in platea publica cremaretur vivus, perſuadere tibi nequaquam potuiſſes, leve & exiguum fuiſſe delictum ipſius. Jam verò quomodo perſuadere tibi potes, levem & exiguam eſſe culpam venialem, dum illam Juſtitia Divina longè diutiùs & longè diriùs punit in flammis purgantibus? Anima, quæ in flammis illis patitur, eſt dilecta Domini ſponſa, ad Paradiſi nuptias deſtinata, & extremô tenetur deſideriô, ſummo ſe Bono jungendi; & tamen unum unicum peccatum veniale violenter illam retinet in illa fornace, quæ, utì fas eſt dicere, parvus quidam infernus eſt, ſéque medium interponit, ut illa Deum ſuum non videat, & beata non ſit. Imò non ſolùm peccatum veniale, ſed & quædam illius reliquiæ, aliquod pœnæ debitum, ab illo contractum, quod veluti præteritæ culpæ veſtigium eſt, tantum nihilominus in divini Judicii bilance ponderat, ut Deum, licèt amantem, obliget ad amatam animam in pœnis illis tamdiu detinendam, dum ultimum debiti ſui quadrantem exſolverit. An audebis tu modò parvum & leve malum impoſte-

rum

rum dicere vel unum ex defectibus tuis? & hujusmodi multos identidem, datáque operâ, ac veluti fallendi temporis cauſâ cumulare ſtudebis? At verò, licèt ſalutem tuam adhuc obtineas, & majus aliud malum tuæ tibi culpæ veniales non inferant, id tamen certè facient, flammas tuas in igne luſtrico diutiùs nutrient, ſéque interponent triſtem obicem, ut Deum non videas, & beatus non ſis. Tunc enimverò levia hæc non appellabis, cùm tuus in illo incendio dolor erit intenſiſſimus: dúmque te à Deo repelli videbis, & haberi pro Reo, tum demum id, quod olim, per tuam negligentiam excæcatus, tenue filum eſſe judicabas, gravem & ferream catenam eſſe ſenties, quæ à complexu ſummi Boni te præpediat. Condiſce igitur juſtum de defectibus tuis ferre judicium, eósque per voluntariam pœnitentiam anticipando ſolvere, ne olim Dei Sanctitas totam animam tuam, ut puram illam efficiat, tormentîs tam infandîs penetrare debeat. Erubeſce, inſtar leproſi, qui à capite ad calcem uſque lepræ ſuæ maculîs eſt opertus; admirare diuturnam adeò Dei patientiam, in perferendis tuis tot malis moribus in ejus ſervitio; propone, tam magno malo nullum ampliùs in tuo corde locum deliberatè concedere; Deúmque roga per odium illud, quod adverſus omne peccatum gerit, ut eâ te gratiâ corroboret, qua numquam ampliùs id committas, ad quod humana tua infirmitas te inclinat.

LE-

Digitized by Google

LECTIO
Pro die quarta.

De Virtute Humilitatis.

QUòd olim ſuperbia inventa fuerit in cœlo, ubi natura Angelica tantîs initiô perfectionibûs abundabat, mirum non eſt; verùm quòd ſuperbia inveniatur in terra, ubi natura humana eſt compoſitum quoddam ex paupertate & miſeriis, magnam profectò admirationem creat. *Humiliatio tui in medio tui;* dicit Michæas Propheta *cap. VI. v. 14.* Non opus eſt, ut peregrinemur in terras longè diſſitas, ad inveniendam nos deprimendi materiam; ſatis eſt, ſi obtutum unicum ad interiora noſtra convertamus; & inveniemus ſemper inſitam in noſtro nihilo, in noſtra ſubſtantia, in noſtris operibus abundantiſſimam nos ipſos contemnendi cauſam. Et tamen ita prorſus eſt; homo ex natura ſua ita deſiderat conjungere paupertatem cum ſuperbia, ut inſtar majoris pilæ luſoriæ, quò magis eſt omnî bonô vacuus, eò plerumque ſit magis tumidus. Erit itaque una ex majoris momenti lectionibus illa, quæ ſeipſum deprimere te doceat; &, ſi ſuperbia principium eſt omnis peccati, uti Spiritus Sanctus atteſtatur, animi demiſſio, quam Humilitatem vulgò dicimus, erit initium omnis alterius virtutis.

Quid

Quid proinde rei eſt animi demiſſio, ſive humilitas? Eſt virtus quædam moralis, quæ, dum animo proponit magnitudinem Dei, & hominis miſeriam, nos movet ad reprimendum inordinatum appetitum honoris temporarii, nósque continendos in rebus, noſtræ vilitati reſpondentibus. Etiamſi igitur hæc virtus principaliter in voluntate reſideat, in intellectu tamen præcedentem exigit miſeriæ noſtræ cognitionem, veluti regulam ac menſuram actuum ejusdem voluntatis. Unde S. Bernardus *Serm. 42. in Cant.* eam diviſit in Humilitatem judicii, & Humilitatem affectûs. Porro ſicut hæc affectûs Humilitas perfecta eſſe non poteſt ſine fundamento Humilitatis alterius, nempe Judicii, ſive cognitionis; ſic iſta cognitio ſui ipſius perfecta eſſe non poteſt ſine cognitione Dei. Hinc S. Auguſtinus iſta duo in oratione ſua conjungebat, notiſſimîs illîs verbîs rogando Deum: *Noverim te, noverim me, ut amem te, & contemnam me.* Cæterùm hæc virtus adeò non eſt vilis, quemadmodum primo intuitu videri poſſet, ut potiùs in excelſo admodum gradu nos conſtituat, etiam coram oculis hominum, ſi res conſiderare velint oculîs rationis, & fidei; nam primò humilitas eſt aperta veritatis confeſſio, & ideo tantopere diligitur à Deo, ùt ipſémet faſſus eſt S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis. Deinde hoc ipſo, quòd nihilum noſtrum agnoſcamus, nósque à nobis ipſis aliud non habere profiteamur, quàm im-

imperfectiones & peccata, eodem tempore proteſtamur, omne bonum noſtrum provenire nobis à Deo, omnémque gloriam illi ſoli deberi. Unde quemadmodum virtus Religionis directè profitetur agnitionem Excellentiæ divinæ, indirectè verò confeſſionem noſtræ vilitatis; ita è contrario virtus Humilitatis directè profitetur Agnitionem vilitatis humanæ, indirectè verò confeſſionem Magnitudinis ac Excellentiæ divinæ. Denique quia Humilitas eſt adeò ſimilis Magnanimitati, ut aliqui Doctores unam in alterius vicem acceperint; cùm Humilitas, teſte etiam Sancto Thoma, *2. 2. Qu. 161. Art. 4. ad3.* cum magnanimitate multùm conveniat in materia, plurimùm verò diſcrepet in modo: inde provenit, ut ii, qui maximè ſunt humiles in ſuis oculis, multò ſint generoſiores in divinæ gloriæ negotiis, quia id, quod magnum eſſe in ſeipſis non vident, magnum eſſe vident in auxilio Dei, dicúntque etiam ipſi cum Apoſtolo: *Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Phil. IV. v. 13.* Quid ampliùs? Tam ſublimis eſt hæc virtus, ut antiquorum Philoſophorum acies eam invenire nequiverit, & oportuerit, ut eam JEſus Chriſtus è cœlo ſecum afferret, ejúsque fieret exemplar, primùm quidem in vita, dein etiam in doctrina ſua, dicendo ad omnes homines: *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Matth. XI. v. 29.* quia, uti S. Auguſtinus animadvertit, tam magna res eſt, ſe parvum

facere, ut, niſi id fieri videremus ab eo, qui ſolus eſt verè magnus, id mortalium nemo perdiſcere poſſet: *Ita magnum eſt eſſe parvum, ut niſi à te, qui tam magnus es, fieret, diſci omnino non poſſet.* Non poteſt Iris in cœlum aſcendere, niſi Sol deſcendat.

Media pro acquirenda Virtute Humilitatis.

OMnium primò ardenter illam à Deo petere oportet, uti ſemper Sancti omnes fecêre; nam alioquin, ſi magna foret ſuperbia, virtutes alias, minùs difficiles, propriîs ſuîs viribûs obtinere velle, quanta non eſſet ſuperbia, velle ſolîs ſuîs viribûs virtutem adeò pretioſam acquirere? Imò, cùm tanti illa ſit momenti, uti videbimus, oportet etiam, precibus adjungere aſperitates & pœnitentias alias, ut Deum citiùs & efficaciùs ad eam nobis concedendam permoveamus. Si infans lac à matre petat, ſinit eum mater incaſſum nonnumquam petere; verùm ſi id petat plorando, ſeſéque affligendo, illico feſtinat Mater, ut illi ſatisfaciat. In hunc ſenſum Danieli dicebat Angelus, quòd à prima die, qua invenerit artem ſe affligendi per jejunium & lachrimas, illico fuerit exauditus: *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, ut te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua. Dan. X. v. 12.*

Medium ſecundum ad noſtram pertinebit induſtriam, & erit, quod ſequitur. Supra jam

jam diximus, duas eſſe ſpecies humilitatis, unam cognitionis, affectûs alteram. Oportebit igitur utramque roborare, proprias utriusque rationes conſiderando. Jam, quod attinet ad rationes, quæ ad noſtri ipſorum cognitionem faciunt, imaginare tibi, hominem eſſe inſtar elegantis picturæ, quæ, ſi aſpiciatur ex illa parte, ex qua pictor tanto cum artificio diſtribuit colores, ſuâ elegantiâ ſuperet omnia, nihilque poſſit illâ pulchrius inveniri; at ſi aſpiciatur ex altera parte, non videatur, niſi rudis & ſordida tela, quæ totius eſt picturæ fundamentum unicum. Si conſideretur homo ſecundùm id, quod habet à Deo, maximè, quando eſt exornatus divinâ gratiâ, & ſupernaturalium virtutum habitibûs, quos illa ſecum trahit, cœleſte quoddam opus cernitur; at ſi conſideretur ſecundùm id, quod habet à ſeipſo, & ſeparatus à donis illis divinis, cernitur illius fundamentum non ſolùm eſſe fragmentum terræ ac cineris, ſed & abyſſus nihili & peccati: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum;* ait Concilium Arauſicanum. Ecce igitur, in quo conſiſtat ſecretum cognitionis ſui ipſius; in eo nimirum, ut hæc duo ſeparemus ab invicem, & Deo demus id, quod Dei eſt, nobis verò retineamus id, quod nobis eſt proprium: *Si ſeparaveris pretioſum à vili, quaſi os meum eris;* ſignificat nobis Deus per Jeremiam *cap. XV. v. 19.* nam ſi Deo ſpeculativè & practicè, ùt ſcholæ loquuntur, id omne,

 quod

Digitized by Google

quod in nobis pretioſum eſt, omne videlicet bonum reddiderimus; quod autem vile in nobis eſt, nempe nihilum ſubſtantiæ, & nihilum peccati nobis retinuerimus, juſtam adeò feremus ſententiam, ut videri poſſit Deus ipſe per os noſtrum locutus. Juxta hanc itaque pulcherrimam doctrinam ſtudioſè conſidera, quid aliquando fueris, quid modò ſis, & quid aliquando futurus fortè ſis? *Quid fui? Quid ſum? Quid eſſe poſſum?* Et in tribus hiſce punctis omnem ſcientiam Humilitatis comprehendes.

Quid fui? Si ſtudeas conſiderare, quid ad hocuſque tempus fueris, non invenies aliud, quàm nihil, & peccatum, & pœnas peccatis debitas. Ante annos centum nec habebas corpus, nec animam, nec vires, nec merita, quibûs ex profunda abyſſo illa poſſes emergere, in qua per omnem anteriorem æternitatem demerſus fueras, longéque te majus fuerat ſine comparatione quodlibet arenæ granulum in maris littore. Pondera igitur, quod tuum duntaxat eſt, in bilance veritatis. An forſan in eo ſtatu, in abyſſo illa debebatur tibi aliquod laudis, benevolentiæ, vel exiſtimationis genus? Illud ipſum, quod tunc tibi debebatur, etiam nunc tibi debetur, ſi id tantummodo conſideres, quod tuum eſt. Proinde quem locum hîc invenire poteſt vanitas, ſi nihilum illud, quod fueras per infinita ſecula, ſis etiam nunc, quantum eſt ex tua parte? *Subſtantia mea tamquam nihilum ante te. Pſal.*

Pſal. XXXVIII. v. 6. Extraxit te poſtmodum omnipotentis Dei brachium ex illa tenebrarum abyſſo ad hujus mundi lucem. Sed & hîc vel unum tibi punctulum concedere non poſſum; ſi enim te Deus perpetuò non conſervâſſet, momentô iterum diſparuiſſes, non aliter ác diſparet radius, quamprimum Sol receſſerit; & omne, quod habes, bonum, eodem hoc nihilo nixum, in ictu oculi pariter diſpareret. Iſte nihilominus, licèt in ſeipſo magnus adeò, minimus adhuc ex iis, quos habes, te deprimendi ac humiliandi titulus eſt. Perge porro, & recordare peccatorum, quæ admiſiſti. Si unquam per gravem aliquam culpam amicitiam Dei perdidiſti, ad vilitatem extremam redactus es, adeò, ut bufo, plenus venénô, & putridum cadaver ſine omni comparatione dignius fuerit ac minùs abominabile coram oculis Dei, quàm anima tua. Si dein inſuper peccata peccatis addidiſti, vilitas & ignominia tua excrevit adeò, ut Deum ipſum obſtupefecerit, ísque ſuam admirationem illîs Jeremiæ Prophetæ verbîs explicaverit: *Quàm vilis facta es nimis, iterans vias tuas! Jerem. II. v. 36.* Et quoniam divina Juſtitia culpas tuas inordinatas præterire non debuit, quin illas per debitam pœnam in ordinem redigeret, mox tibi locus eſt aſſignatus in inferno, ísque tantò profundior, quantò altiùs aſcendebat iniquitas tua; & in hoc flammarum puteo tua tibi deſtinata eſt habitatio per omnia futura ſe-

ſecula, ita quidem, ut in hac abyſſo tantîs cruciatibûs tu puniendus fueris, quantîs in cœlo gaudiîs perfruiturus erat Deus. Hæc eſt tua pars, quantùm pertinet ad præterita; hanc diligenter conſidera, & vide, an aliqua ex parte poſſit unquam ſuperbia, & propria tui exiſtimatio in animum tuum prudenter ingredi.

At verò in hoc ſtatu jam non es? Eſſe quidem id poterit; verùm de hoc ſatis certus non es; & ſi Deus inde per ſuam te miſericordiam eruit, illi debetur honor & gratiarum actio, tibi verò ignominia: nam ſicut terra nihilominus vocatur Arida, etiamſi tot irrigata ſit fluviîs, nimirum, quia per ſeipſam & abſque fluminum aquis eſſet arida; ita & tu non minùs cenſendus es peccator & abominandus, quia talis aliquando fuiſti, & talis ex tuo duntaxat etiamnum eſſes.

Verùm præſentia quoque ad deprimendum te abunde ſuppetunt: *Quid ſum?* Quid igitur es? Nunc imprimis idipſum es, quod aliquando fuiſti, ùt modò percepiſti; id verò, quod præterea nunc es, totum eſt Dei donum. Sed quia tui ipſius & excellentiæ propriæ amor decipere te poſſet per modicum illud virtutis, quod in te forſitan deprehendis, juvabit, etiam hac ex parte ab errore te eximere. Accipiamus itaque bonum aliquod opus, quale eſt oratio tua, eámque per anatomiam inſpiciamus, ut pretioſum ſeparemus à vili. Ut poſſes modicum illud præſtare bonum,

num, quod orando facis, neceſſarium fuit, ut Deus per creationem te produceret è nihilo; & hoc ſolum ſufficere deberet, ut illi ſoli honorem omnem tribueres, non aliter ac vinea, à Domino ſuo plantata, fructum omnem illi tribuit. Porro ſunt neceſſariæ tuæ potentiæ, ſupremæ potiſſimùm; & hæ iterum ſunt Creaturæ Dei; & inſuper, ut operari queant, neceſſe eſt, ut illas in hoc adjuvet Deus, tamquam cauſa prima, utpote ſine qua cauſæ ſecundæ movere ſe nequeunt, ac ſi prorſus in rerum nátura non eſſent. Quoniam autem orare, & iſtud cum Deo commercium exercere, eſt opus ſupernaturale, ùt appellant, idcirco neceſſarium eſt, ut Deus, tamquam Autor gratiæ, ſupernaturale pariter auxilium Potentiis tuis ſuppeditet, quo ſuis ſeſe actibûs ſupra ſeipſas elevare queant. Denique neceſſe eſt, ut tibi Deus gratiam, quam Theologi Sanctificantem vocant, communicet, ut per eam boni operis, quod vitam promereatur æternam, exercendi capax efficiaris. Hæc omnia tibi à Deo per ſuam Bonitatem concedi oportet; neque concedi ſolùm, ſed & conſervari continuò, dum operaris; nam alioquin verum virtutis opus non produceres. Quid igitur in bono hoc orationis opere tuum eſt? Tuus eſt labor, quem divinæ Gratiæ conjungis, & bonus Potentiarum tuarum uſus; ſed hic quoque eſt beneficium Dei, & donum illius; non, quòd nos ipſi bonum non operemur, quod agimus; aliàs non fo-

foret noſtrum bonum; ſicuti ſi ex vite ſuſpenderentur uvæ, quas ipſa non produxit, numquam illæ forent ipſius uvæ; id equidem verum eſt; ſed quia bonum, quod nos volumus, & operamur, nec velle, nec operari poſſumus ſine auxilio divino, uti loquitur S. Auguſtinus: *Non, quia non volumus, aut non agimus; ſed quia ſine ipſius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Tua igitur opera bona ſunt omnia Dei, & ſimul omnia tua; ſed Dei ſunt ex tot capitibus, quot modò percepiſti; & tua ſunt ob tuum duntaxat laborem, quem adjunxiſti. Proinde ſicut filiis, qui à Patre nobili & Matre plebeja naſcuntur, honor omnis ex Patre provenit, ex Matre verò omnis ignominia, ita in bonorum operum prolibus, ab auxilio divino & hominis voluntate prognatis, laus omnis & gloria in Deum eſt refundenda, omnis autem ignominia in nos ipſos: *Tibi, Domine, juſtitia, nobis autem confuſio. Dan. IX. v. 7.*

Atque hoc dicendum, quando in bonis tuis operibus divinæ Gratiæ tuum laborem integre ac perfectè conjunxiſti, ac defectum aut imperfectionem de tuo nullam admiſcuiſti. Sed deinde quid dicendum, cùm advertitur, quanta de tuo in quolibet virtutis opere adjicias mala? Tot negligentiæ, tot diſtortæ intentiones, tot vana de te ipſo gaudia, tot defectus commiſſionis, uti nominant, & omiſſionis, qui ſunt abſque numero; &, ſi perfectè deprehendi à te poſſent, ipſa opera tua

Digitized by Google

tua bona magnum tibi terrorem incuterent, túque pariter cum Sancto Job *cap. IX. v. 28.* tantò majori cum ratione, quantò ſanctitate es illo inferior, diceres: *Verebar omnia opera mea;* Timore compleor, dum opera mea conſidero, etiam illa, quæ in hominum oculis laude digna videbantur.

Quod denique præ cæteris terribilem tibi lectionem de tui ipſius cognitione proponet, id erit, quod olim eveniet: *Quid ero?* vel: *Quid eſſe poſſum?* Quid fiet aliquando de me? Non redibis unquam ampliùs in nihilum, quia Deus æternùm te decrevit conſervare; ſed potes redigi in aliud nihilum, longè horribilius; in nihilum nempe peccati, & pœnæ ſempiternæ, quæ illud conſequitur. Qui ex morbo caduco laborat, non ſemper & quovis tempore in terram concidit, in Jure tamen ſemper habetur pro infirmo, quia in venis ac viſceribus ſuis malignum illum humorem ſemper gerit, qui illum tam in plano ſolo, quàm in horrendo quovis præcipitio poteſt in lapſum impellere. Eadem ratione, etſi forſitan in peccata gravia non incidas, in tuis tamen viſceribus omnem illam amoris proprii, corruptæque naturæ malignitatem geris, quæ abunde ſufficit, ut in graviſſimum quodque peccatum te præcipitem agat, ſi modò te deſerat Deus, téque malitiæ tuæ manibus permittat. Propterea, uti S. Auguſtinus demiſſè fatebatur, ſingulares Deo gratias debes propter omnia illa peccata, quæ nec

Digitized by Google

aliquando commiſiſti, nec impoſterum committes unquam; ſi enim ille ſuâ te gratiâ non protexiſſet, ſi peccandi pericula non amoviſſet, ſi dæmoni totîs ſuîs viribûs te invadendi dediſſet facultatem, non eſſet peccatum ab ullo unquam homine commiſſum, neque committeretur in futurum, quod non admiſiſſes & tu. Pariter conſiderare te potes non modò peccatîs omnibûs opertum, verùm & circumdatum abyſſo quadam ignis & pœnarum, quas per eadem tua peccata commeruiſſes, aut commereri poſſes impoſterum, quin illas aliter ſubterfugere poſſes, quàm per continuam Dei miſericordiam. Numquid hiſtoriæ ſacræ tot funeſtos eventus memorant de Perſonis, in virtute dudum exercitatis, cum inferno pugnare pridem aſſuetis, multóque jam tempore inter pœnitentiæ auſteritates exhauſtis, tandem nihilominus miſere prolapſis, & nonnullis quidem ita prolapſis, ut deinceps non ampliùs ſurrexerint? Tu igitur imitare Nautas illos, qui ex mari montes ignivomos vident; hi enim hac ignium luce, aliis tam funeſta, utuntur in ſuum commodum, ut ſecuriùs navigent; tu, dum exempla tam terrifica legis, deprime te in abyſſum uſque omnium peccatorum poſſibilium; atque ita immunem te à lapſu præſtabis; attende, quomodo magni etiam Sancti ſuam debilitatem extimuerint, & licèt generoſi adeò Leones fuerint, Leonum tamen inſtar apertîs ſemper oculîs indor-

Digitized by Google

dormîerint; tu verò, qui non niſi timidus es lepuſculus, timere non voles, ut illi timuerunt? oportet potiùs, ut multò magis timeas, cùm multò majorem habeas timendi cauſam; ſed time ſaltem, quantùm illi timuerunt, aut minimùm, quod illi fecêre, in plano te ſolo firmiter conſtitue, ut ſecurum te à lapſu præſtes.

Poſt intellectum ſui ipſius cognitione roboratum, ad confirmandam quoque voluntatem accedére oportet, proponendo illi ad amplectendam Humilitatem ſequentes tres rationes; nempe *Sublimitatem hujus virtutis*, *Utilitatem*, *ac Neceſſitatem.*

Prô miſerum mundum, qui in dando rebus pondere eſt adeò cæcus, ut Humilitatem, ſuique pro Deo demiſſionem opprobrium eſſe judicet, ac ſpiritûs & cordis inopiam! Quomodo hæc talia dicere poteſt, quin priùs baptiſmo, ſanctæ Fidei, & nomini Chriſtiano nuntium remittat? An ille negare forſitan poteſt, quòd JEſus Chriſtus eò ſe demiſerit, ut appareret inter homines vermis, neglectus, & pedibûs conculcatus? certè id negare non poteſt. Hoc autem poſito, quis non videt, quantopere Deus exaltaverit omnes Humilitatis actiones, dum eas ſibímet ipſe impoſuit? hac enim ratione contemptus & ignominiæ ad ipſius uſque Divinitatis thronum ſunt elevatæ, quin & publico cultui ac adorationi in Sancta Cruce expoſitæ; unde tantam animæ gloriam conferunt, quantam

in

in hac mortali vita capere poteſt, in qua maximus noſter honor conſiſtit in eo, quòd JEſu Chriſto, per ſui demiſſionem ad nihilum redacto, ſimus quàm proximi, ſicut honor alterius vitæ conſiſtet in eo, quòd ſimus proximi JEſu Chriſto, per gloriam exaltato. Quid, quòd adeò gratas habuerit ſui depreſſiones æternus Dei Filius, ut eas æternùm ſit conſervaturus, &c, dum Sancti in cœlo modeſti quidem erunt & humiles, humiliari tamen ac deprimi non poterunt, ipſe in illa ſui depreſſione, quam in humanæ carnis aſſumptione ſubire dignatus eſt, perpetuò ſit perſeveraturus, & ſummam ſublimitatem cum infinita Humilitate per cuncta futura ſecula conjuncturus? Cùm S. Petrus immunda nominâſſet animalia illa, quæ ipſi in linteo, è cœlis demiſſo, in celebri ſua viſione parabantur, vocem mox audivit, ſe monentem: *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris. Act. X. v. 14.* iniquum eſt, quòd ea tu immunda judices, quæ mundata ſunt à Deo. Ita & animus Chriſtianus cum indignatione quadam excipere debet temerarias mundanorum illorum voces, qui voluntarias ſui demiſſiones & Humilitatis exercitationes contemnere audent, poſtquam Dei Filius non ſolùm in mortalis vitæ ſuæ curſu quemdam Divinitatis honorem illis contulit, ſed eundem illis ſplendorem, ac nobilitatem in Perſona ſua Divina tamdiu conſervabit, quamdiu regnabit in cœlis.

Ratio

Ratio ſecunda eſt *Utilitas.* Nulla alia virtus tantopere ad perfectionem noſtram nos juvat, tum obſtacula removendo, tum requiſitas introducendo diſpoſitiones, quantùm confert Humilitas. Quid requiritur, ut Oceanus aquarum ſuarum copiâ Regionem aliquam inundet, niſi, ut Regio illa ſit humilior, & infra littoris planum ſita? Deus, qui Oceanus eſt bonorum omnium, & tam immensô creaturis ſuis ſe communicandi fertur deſideriô, majus non invenit obſtaculum, quàm ſuperbiam; unde ſi anima ſe demittere ſciat ac humiliare, uti debet, cum magna gratiarum abundantia in ſinum illi ſe Deus infundit. Sic itaque dicitur, quòd Humilitas ſit fundamentum virtutum omnium, non, quòd illa cæteris omnibus antecellat; non enim præſtantior eſt fide; ſed quia removet obſtacula omnia; & hominem reddit capacem divinarum gratiarum ad acquirendas virtutes omnes, maximè verò ad obtinendam augendámque caritatem, quæ cæterarum omnium eſt Regina. Si ſpeculum convexum Soli objicias, ignem non accendes; at illico flammas excitabis, ſi concavum illi ſpeculum opponas. Fruſtra coram increato Sole ſtatuis cor tumidum, & tui ipſius æſtimatione turgens, ſi divinam in teipſo caritatem accendere velis, nimis ille ſuperbiam averſatur; ut beatum hunc ignem accendas, opus eſt corde contrito & humiliato, quod vilitatis propriæ ac Magnitudinis Divi-

Digitized by Google

næ perſuaſione ſit penitus imbutum. Neque ſolùm requiritur Humilitas ad introducendas in animum noſtrum virtutes, ſed ad illas etiam conſervandas. Qui ſpiritûs divitias ſine Humilitate congregat, quaſi pulverem in vento colligit, ait S. Gregorius; ac proin, quemadmodum agricolæ, ſi olivam recèns inſitam videant ramos ac folia demittere, indicium inde capiunt, quòd agere radices incipiat; ita magnum perſeverantiæ in bonis propoſitis argumentum eſt, ſi in animi demiſſione, ac diffidentia de ſuis viribus fundari deprehendantur.

Porro, quoniam *in multis offendimus omnes*, ecce tibi aliud ex Humilitate commodum! poſſumus nimirum per Humilitatem pro culpis noſtris omnibus ſatisfacere, & omnes reſarcire jacturas: *Sola Humilitas*, teſte Divo Bernardo, *eſt læſa caritatis reparatio*. Parî modô non ſolvit tantùm, ut reſtauret jam perdita, ſed & pœnam peccatîs noſtrîs commeritam inhibet, quia Deus placatur illico, dum peccatorem, ſe humiliantem, videt, eúmque mox Juſtum efficit, ùt olim Publicano contigit. Itaque in humilitate ſecuritatem illam ſemper invenies, quam alibi incaſſum quæres. Quantocunque cum ſtrepitu de cœlo ruant fulmina, non tamen profundiùs terram penetrant, quàm pedum quinque altitudine; quantumcunque pariter iraſcatur animæ Juſtitia divina, quantumcunque illi ſua minetur fulmina, ſi modò

illa

illa opportunè ſe noverit in miſeriæ ac nihili ſui abyſſum demittere, nulla omnino fulmina pertingere ad illam poterunt.

Si hæc tanta commoda ad perſuadendam tibi Humilitatem non ſufficiant, an ejus etiam *Neceſſitas* eam tibi perſuadere non poterit? Certè ſalvari vis; at ſi ſalvari cupis, hoc ipſo vis etiam eſſe humilis: *Populum humilem ſalvum facies; & oculos ſuperborum humiliabis;* dicit Propheta Regius *Pſ. XVII. v. 28.* Non ſolùm arcta eſt cœli via, uti nos docet Dominus, ſed & humilis eſt ejus porta, nec erecto, aut non demiſſo capite ullus ingredi poteſt. Si hanc itaque gratiam tibi largitur Deus, & abjectam de tuis miſeriis opinionem ingerit, ſingulares illi gratias & laudes refer, quia fateri cum veritate potes, ait S. Auguſtinus, quòd tibi viam oſtenderit ad vitam: *Notas mihi feciſti vias vitæ. Pſal. XV. v. 11.* Itaque certum habe, quòd, licèt in cœlum ingredi queas abſque multarum aliarum virtutum comitatu, ingredi tamen non poſſis, ſi Humilitatem non habeas comitem, quia ſine hujus comitatu nec hominum aliquis, nec Angelorum eſt ingreſſus: *Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum cælorum. Matth. XVIII. v. 3.* Vide, an ſatis apertè loquatur Dominus. Et revera etiam aliàs edixit dæmon, quòd ſpem lucrandi animam, quantumcunque illam in Sanctitate provectam deprehendat, numquam amittat; ſempérque ſperet, quòd eam

ad

ad ſuperbiam, in mortis hora potiſſimùm, permovere, atque ita ipſo virtutum ac donorum ſuorum pondere ſubmergere poſſit.

Actus, quibûs exerceri poterit Humilitas.

SAnctus Franciſcus Borgia, Vir humillimus, viam nobis ad hujus virtutis exercitium aperit, non exemplô ſolùm, ſed ſuómet etiam librô, quem adhuc Dux in lucem edidit. Docet in illo ſe demittere adverſùs omnis generis homines, ac præcipuè Religioſos. Hoc igitur duce deprimere ac humiliare te condiſce *erga Deum*, *erga Proximum*, & *erga témet ipſum*.

Erga Deum. Frequenter te ſiſte coram Deo, & poſtquam oculos ad incomprehenſibilem Majeſtatis ipſius altitudinem elevaveris, dejice te in abyſſum miſeriæ tuæ, & teipſum ita compella: Si tibi Deus auferret omnia bona, quæ tibi contulit, & id omne, quod ſuum eſt, quid tibi denique remaneret? Abyſſus nihili & peccati: Hæc igitur abyſſus ex temetipſo tu es. Ut talem tractare te debes, quia talis revera es in oculis Dei; & talis eſt de te opinio divinæ ipſius Sapientiæ. Exinde admirari incipe Dei bonitatem, qui conſtituit, ſua dona collocare in terra tam ſterili & corrupta, qualis es tu, & in corde tam ingrato, dum ea longè meliùs conferre potuiſſet fratribus tuis, aut creaturis aliis,

quæ

quæ uberrimum illi fructum attuliſſent. Hoc pudore plenus, coram oculis Ejus ſincerè te expolia bonîs omnibûs, quæ habes, tam naturalibûs, quàm ſupernaturalibûs, & confitere, quòd tua non ſint, ſed ſolius Dei, quódque illa, antequam acciperes, nulla ratione ſis promeritus, &, poſtquam illa ex mera Dei liberalitate accepiſti, conſervare omnino nequeas. Tum pete veniam, quòd gloriam illam, quæ ipſi ſoli debebatur, toties iniquè uſurpaveris; confitere, quòd fueris fur divinæ gloriæ, eandémque illi ſolemniter reſtitue. Sincerè inſuper fatere, quòd non ſolùm ſis inutilis ad omne bonum, Ejúſque auxilium ac Providentiam nullo pacto promerearis, ſed & omni malo, omni infamia, omni perſecutione, omni miſeria ſis dignus, &, ſi malitiam tuam omnes ita nôſſent, ùt illam Deus agnoſcit, omnes à te profugerent, velut à putrido cadavere, quod tabem ſuam quaquaverſum effundit, ſuóque fœtore peſtem omnibus afflat, qui ad illud appropinquant. Demum quia hæc ipſa tui demiſſio magnam tibi ingenerare fiduciam debet erga talem Dominum, qui tam libenter pauperes ditat, poſtquam Illius te Magnitudini penitus ſubjeciſti, accede ad petendum Illius auxilium pro neceſſitatibus tuis omnibus; neque dubita, quin illud tibi ſit adfuturum: *Subditus eſto Domino, & ora eum -- Revela Domino viam tuam, & ſpera in eo; & ipſe faciet.* Ita certum te reddit Propheta Regius *Pſal. XXXVI. v. 6. & 5.*

Digitized by Google

Erga Proximum. Oportet intelligere, quòd, ſicut proprius eſt ſuperbiæ genius, in ſe duntaxat conſiderare bona, in aliis verò ſolos conſiderare defectus; ita proprius ſit Humilitatis genius, in proximo conſiderare bona, quæ illi conceſſit Deus, in ſeipſo verò conſiderare mala, quæ quis habet à ſeipſo. Inde provenit, quòd modeſtus ac humilis numquam deſpiciat ullum alium, quantumcunque videatur deſpicabilis ſive ob defectum bonitatis, ſive ob talenta naturalia; ſed in corde ſuo quemlibet ſeipſo meliorem ac majorem judicet; exteriùs verò illum cuivis honorem exhibeat, quem is pro ſuo ſtatu ac gradu meretur. Et in hac proprios ſuos defectus cum bonis illis, quæ inveniuntur in Proximo, comparandi methodo fundatur ille loquendi modus, quo toties maximi quíque Sancti ſunt uſi, dum ſe maximos mundi peccatores appellavêre. Talem ſe S. Paulus altùm proclamavit, talem S. Franciſcus, talem S. Catharina Senenſis; ac deinceps Sancti alii, quantò altiùs in via perfectionis aſcenderunt, tantò profundiùs in demiſſam hanc animi perſuaſionem deſcenderunt. Cur autem ita loquerentur, atque ita ſentirent, id eos cumprimis movebat, quod diximus, nimirum, quòd Sancti intelligerent, ſe debere ſui ipſorum, non verò Proximi eſſe judices; atque ideo judicium in ſeipſos exercuerint, ſéque cum rigore condemnaverint ob malum illud, quod adeò perpurgatîs oculîs in ſeipſis deprehen-

henderunt; adverſùs Proximum verò ſe geſſerint Matris inſtar, quæ omnem filii defectum excuſat, & non niſi bonum in eo conſiderare novit. Porro quemadmodum ille, qui domi ſuæ multum habet, quod agat, parùm aut nihil novit de negotiis alienæ domûs; ita Sancti, dum aſſiduè conſiderandîs propriîs ſuîs culpîs occupabantur, parùm aut omnino nihil attendebant defectibus proximi; illos verò, qui in eorum fortè oculos abſque indagatione incidebant, vel excuſabant, vel imminuebant, vel inadvertentiæ, aut paſſionis & tentationis vehementiæ adſcribebant. Præterea Sancti defectus ſuos non ſolùm comparabant cum bonis, quæ in proximo inveniebant, ſed & cum gratiis, quas ipſimet à Deo receperant. Si latro publicus, dicebat humilis S. Franciſcus, tantas accepiſſet illuſtrationes ac favores, quantas mihi tam liberaliter largitus eſt Deus, eſſet is in amando Deo Seraphinus, dum interim ego, vermis inſtar, humi duntaxat repo. Denique, quod plùs aliîs omnibûs humiles hujusmodi ſenſus Sanctis ingerebat, id erat, quòd peccati malitiam intimè penetrarent, ac firmiſſimè crederent, minimum quemque actum, contra divinam voluntatem admiſſum, ingens continere malum: ac proinde, ſicut vulneratus, accedentibûs convulſionibûs, non credit, ullum in mundo mortalem eſſe, qui majores patiatur dolores, ac ipſe ſuſtinet; ita Sancti, ſummo cordis ſui dolore

ſauciati, quòd ſupremam Dei Majeſtatem, à ſe tantopere amatam, offenderint, non credunt, quòd ullus in mundo ſit peccator, qui ſit ipſis æqualis. Neque ullum hîc ſubeſt mendacium; quia, cùm quilibet magis deteſtari debeat culpam levem in ſeipſo, quàm peccatum graviſſimum in aliis, neceſſariò ſequitur, quòd is, qui æqua hac lance ſua peccata ponderare condiſcit, tandem acquirat habitum & conſuetudinem, maximum ſe præ aliis credendi peccatorem, ſéque in corde ſuo ſubter omnium aliorum pedes collocandi.

Erga teipſum deinde ampliſſimus eſt Humilitati campus, tam in evitando ſuperbiæ malo, quàm in procurando bono, quod ſecum hæc virtus affert. In cogitationibus ac deſideriis evitatur ſuperbiæ malum, fugiendo ac reprimendo internum illum guſtum, ac exiſtimationem propriam, quam in nobis tum gratiæ tum naturæ dona, quæ nobis impertitus eſt Deus, excitare ſolent. Ex una parte non eſt Humilitatis actus, ſed ingrati animi vitium, nolle agnoſcere ac pro merito æſtimare gratias, à Deo nobis tanto cum amore in ſinum effuſas: *Nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ à Deo donata ſunt nobis. I. Cor. II. v. 12.* Ex altera verò parte hæc ipſa dona non ideò ſunt nobis communicata, ut in noſtram redundent gloriam, ſed ut unicè in gloriam Dei largitoris cedant; poſſúntque inſuper omnî à nobis momentô per-

perdi, ita, ut penitus illîs expoliemur; cùm verò nobis illa conſervat Deus, ſi comparentur immenſis illis Bonis, quibûs ipſe Deus, utpote perfectionum omnium Oceanus, abundat, ſemper ſunt bona nullius pretii. Hoc poſito, animus humilis, atque à veritate illuſtratus, nequaquam de ſuis ſibi divitiis inaniter complacet, ſed magìs idcirco ſibi timet ab hoſtibus, non aliter ac navis magìs opulenta ſibi magìs à Pyratarum occurſu timet; præterea, quia has ipſas divitias conſiderat tamquam bonum Dei, & commodatum ſibi pignus, tantò ampliùs eſt ſolicitus de ratione, quam oportebit aliquando idcirco reddere. Sic pariter animus humilis fugit laudes, & ab his etiam, velut ab halitu peſtilenti, ſibi timet, &, quemadmodum dicere ſolebat Sancta Catharina Genuenſis, dum laudatur, mox deprehendit, quòd ſermo de ſe non ſit, ſed de donis illis, quæ in ſe contulerit Deus. Hoc autem eſt verè magnum eſſe, non minùs laudes quàm vituperia contemnere. An audîſti aliquando, Aquilam capiendis ſeſe muſcis impendere? *Sicut Angëlus Dei, ſic eſt Dominus meus Rex, ut nec benedictione, nec maledictione moveatur. II. Reg. XIV. v. 17.* In operibus denique præcipua Humilium eſt cura, ut officia fugiant honorifica, & dignitates præcipuè mundanas, vel, quòd indignos ſe illîs judicent, vel, quòd exiſtiment, ad regendum munus paulò altius ſat firmas ſe vires non habere.

Ad alterum caput quod attinet, ad procurandum videlicet bonum virtutis, nec evitandum modò ſuperbiæ malum; qui verè eſt humilis corde, in occaſionibus omnibus ſe indignum judicat tum bonô, quod habet, tum etiam illo, quod non habet; indignum, ut in conſpectu Dei appareat, Deúmque laudet, quando orandum eſt; indignum, qui ad Sacramenta divina accedat, dum accedendum eſt; indignum omnî ſolatiô, cùm illi ſolatia indulget Deus; indignum, qui patiatur ùt Sancti, cùm illum Deus affligit; indignum ſocietate Bonorum; indignum cibô, quo veſcitur; quiete, ſanitate, creaturarum obſequiô, quibûs fruitur; ac firmiter credit, quòd illa omnia, quæ infernus, æternáque à Summo Bono ſeparatio non ſunt, ſuîs debitîs ſint minora. In verbis, ſicut magna cum attentione ſibi cavet à propriis laudibus, ita pariter eſt ſolicitus, ne de ſeipſo loquatur etiam in ſui vituperium, ne hujusmodi ſermones pro hamo ad comparandum ſibi honorem, ſuique exiſtimationem ſerviant; ſed quando moveri ſe ſinit ad manifeſtandos ſuos defectus, id eo facit animo, ut illi ab audientibus habeantur pro veris. In operibus avidè arripit omnes exercendæ humilitatis occaſiones, eóque fine infima quævis eligit officia, veſtes viliſſimas, locum minùs honorificum, negotia, quæ ab aliis reſpuuntur; & hæc omnia, ut internæ illi cognitioni ſatisfaciat, qua ſe ad bonum omne inuti-

ti-

Digitized by Google

tilem judicat; tantóque vilior eſt in ſuis oculis, quantò major eſt coram Deo, Stellarum more, quæ quantò ſunt altiores, tantò videntur in mundo noſtro minores, etiamſi revera ſint immenſæ molis. Hæc rudis eſt delineatio animæ humilis, quæ, dum generosè in hiſce actibus ſeipſam exercet, eò demum pervenit, ut non ſolùm injurias & contemptus animo patienti perferat, ſed ad eas etiam majori cum deſiderio anhelet, quàm ambitioſus quilibet honores appetat, ut nimirum Dominum illum imitetur, qui Humilitati elegantem hunc propriæ Virtutis Suæ titulum indidit; uti olim Apoſtoli, qui honori ſibi ducebant contumelias, ob Magiſtrum ſibi ſuum illatas: *Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati. Act. V. v. 41.*

MEDITATIO SECUNDA.

Pro quarta Exercitiorum die.

De Parabola Filii prodigi.

I.

CОnſidera *Diſceſſum* iſtius filii è paterna domo. Verè hac in re ſe juvenem oſtendit, hominem videlicet abſque intellectu. Quid enim illi deerat ſub poteſtate Patris? proviſum illi erat de omnibus vitæ neceſſitatibus, de famulorum obſequiis, de Patris

amoribus; habebatur pro hærede, & ferme rerum omnium domino. Sed falſæ libertatis deſiderium illum eò redegit, ut, licèt filius, ſuam adeò conditionem ſervis ac mancipiis invideret. Cœpit initiô habere nauſeam illius vitæ, quam ſemper adhuc in obediendo exegerat; cœpit ſubinde accendi deſideriô vivendi pro ſuómet libitu, & agendi, quod agunt alii. Hoc porro tædium, hoc deſiderium illum impulit ad petendam diſcedendi facultatem, eiſque ſuggeſſit conſilium, petendi partem illius hæreditatis, quæ tota illi ac integra fuerat deſtinata. An & tu aliquando diſceſſiſti è domo Patris tui cœleſtis? an longiùs ab illo receſſiſti per memoriam, ſeponendo conſueta orationis exercitia, ut vanis te occupationibus impenderes, & cor tuum, quod Deo negabas, creaturæ alicujus amoribus indulgeres? Si rerum ordinem ita invertiſti, non alia fuerit diſceſſûs tui cauſa, quàm infelix hoc libertatis deſiderium. Quid etiam tibi defuit, dum integre te regi ſinebas à Dei tui Providentia, qui non ſolùm te retinebat in domo ſua, ſed & ſuîs te brachiîs ſtringebat ſemper? Et tu, imprudentiſſime! volebas vivere pro tuómet genio; volebas libero illo arbitrio, quod ipſe tibi dederat, ut illud cum maximo tuo merito paternæ Illius diſpoſitioni ſubmitteres, non minùs in tuámmet, quàm in Illius injuriam uti. Hæc dein ſit illa, quam ita nominas, libertas? Si necdum id animadvertiſti hactenus, brevi ſenties,

ties, non eſſe funeſtam magis ſervitutem, quàm tibímet ipſi ſervire. Vera navigii libertas in medio tempeſtatis eſt, anchoræ firmæ validis alligatum eſſe funibus; & vera libertas animæ eſt, Voluntati Dei ſubjectam eſſe, & penitus tam ab Illo, quàm qui Ejus locum obtinent, Superioribus videlicet, dependere. Deteſtare falſam hanc libertatem, ſi illam fortè jam admiſiſti; & indignum te agnoſce, cujus in ſe curam ſuſcipiat Deus; propone, numquam ampliùs ab Illius domo profugere, ſed ejus regimini tanta cum perfectione ſubjectus vivere, ut jam in terris incipias facere voluntatem Ejus, ſicut illa fit in cœlis.

II. Conſidera *Commorationem* miſeri huſus adoleſcentis extra paternam domum, atque inde ſecuta damna. Damna hæc potiſſimùm fuêre quatuor. Primum erat, quòd malè abſumpſerit omnem hæreditatis ſuæ partem; alterum, quòd crudeli ſe hero ſubdiderit, ut haberet, unde viveret; tertium, quòd occupationi omnium abjectiſſimæ, paſcendis videlicet im̃undis animalibus, ſe impenderit; quartum, quòd ad tantam redactus fuerit famem, ut illi etiam id defuerit, quod immundo porcorum gregi non defuit. Ecce, quò deveniat is, qui recedit à domo Dei! Initiô, veluti per jocum ſolummodo, miſer paulatim amittit Dei gratiam & amicitiam cum omnibus, iiſque immenſis, virtutum divitiis, quas illa in ſuo habebat comitatu;

 tu;

tu; ſubjicit ſeſe maximo inimico ſuo, ſathanæ videlicet, qui illúm ita exagitat, ut eum ſuæ ſtirpis, ſuæque in loco ſancto educationis faciat immemorem, & abjectiſſimîs totius mundi occupationibûs diſtineat, paſcendîs nimirum brutalibûs ſuîs appetitibûs; quo tamen tam indigno in munere ſatiare ſe pro ſua libidine numquam poteſt, adeò, ut, dum tantò magìs identidem illius augetur fames, quantò magìs tam pudendô cibô ſeſe oppleverit, id etiam illi demum deeſſe incipiat, quo vel beſtiæ campi abundant. Ad hunc uſque terminum adeò horrificum plùs ſemel illi ipſi pervenêre, qui olim in domo Dei liberaliùs fuerant educati: *Qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora. Thren. IV. v. 5.* Si aliquo hujus præcipitii timore tangeris, primos diligenter paſſus obſerva; quicunque enim in præcipitium incidit, initiô ſibi nunquam imaginatus eſt, quòd eò ſit perventurus. Quoties verò & tu verſùs terminum adeò funeſtum cœpiſti progredi, dum interim Deus ſuâ tibi Providentiâ greſſum inhibuit? Sincero igitur corde gratias illi redde; tuam admirare temeritatem, & grande, quod incurriſti, periculum; nam ſi tantillô diutiùs in manu voluntatis tuæ te reliquiſſet Deus, periìſſes penitus: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulò minùs habitâſſet in inferno anima mea. Pſal. XCIII. v. 17.* Propone, deinceps te prorſus ac penitus directioni Patris tui cœleſtis permittere, eúmque roga, ut,

ut, ſi poſthac tua rurſum abuſus libertate, ex illius domo profugere tentaveris, viam tibi tot tribulationum ſpinîs obſepiat, ut retro te quamprimum vertas.

III. Conſidera miſelli hujus adoleſcentis *Reditum* in domum paternam, & ſtimulos, qui illum ad hunc reditum impulerunt; hi autem fuêre tres. Primus erat attenta miſeriæ, quam in præſenti ſtatu patiebatur, conſideratio: ſecundus, ejusdem hujus miſeriæ cum ea felicitate, qua in paterna domo fruebatur, comparatio: tertius erat ſpes firma obtinendæ veniæ ob Parentis ſui bonitatem, jam ſæpius aliàs probatam. Hæc omnia ſunt etiam tibi præſtanda. Debes cumprimis in temetipſum paululùm redire, & animi tui miſeriam, dum à Deo longiùs abeſt, maturè perpendere, ne idem facias, quod mancipia, quæ ob repetitas plagas & ictus jam occalluerunt, & ſcuticam ne ſentiunt quidem ampliùs. Quot jam perpeſſus es inquietudines, quot ſcrupulos, quot anguſtias, quot jacturas theſaurorum incomparabilium Divinæ gratiæ, ac donorum divinorum! Erítne poſſibile, ut vel ipſi tibi nolis credere, & contrarium toties expertus, aliquid nihilominus boni extra Deum te inventurum ſperes? Compara pauliſper præſentem tepiditatis tuæ ſtatum cum illo ſtatu priſtini fervoris, quem aliàs per opera pietatis, voluntariæ caſtigationis, & caritatis exercebas; compara illum cum fervore tot aliorum hominum, in me-

medio mundi ſervientium Deo. Quot ſervi, volo dicere, quot bonæ vitæ ſeculares, quantumvis verſentur quodammodo in ſtatu ſervitutis, ſi comparentur Religioſis, qui filiorum locum obtinent, nihilominus ſunt corde tenus ſaturi, & abundant animi tranquillitate ſumma, dum interim tu fame peris? Qualis deinde occupatio amicô Dei magis eſt indigna, quàm abire poſt ſenſualia, quàm ſenſus paſcere, ſuóſque brutales appetitus? Erige te proinde, & generoſô animô ſtatue: *Surgam, & ibo ad Patrem meum.* Proripe te de luto, & magnîs paſſibûs incipe quærere Patrem tuum, in cujus amplexibus tua ſalus, tua pax, & æternitas tua conſiſtit. Quid times? ſi per tuam tu culpam id perdidiſti, quod eſt filii; per ſuam Ille bonitatem non perdidit, quod eſt Patris; tu itaque ſi prodigi hujus filii exemplum peccando ſecutus es, ejus pariter exemplum pœnitendo ſequere; in terram uſque te demitte in conſpectu Dei tui; fatere coram Illo, & univerſa Ejus cœleſti curia, quòd erraveris, & neutiquam merearis, ut eo habearis modo, quo habentur cæteri in domo Dei, quia ſanctum Religionis locum, qui terreſtris eſt Paradiſus, & dignus, qui non occupetur ab aliis, quàm qui vitam ducunt Angelorum, malè vivendo contaminâſti. Magnam inſuper in te fiduciam excita, quòd Pater tuus cœleſtis, dum adeò te miſerum videbit, ut neque calceos in pedibus habeas, pietate ſua permotus, ſit obviàm tibi

Digitized by Google

bi venturus, téque tenerrimè amplexatus, impreſſô pacis oſculô, nòvîs virtutum habitibûs ſit exornaturus, & omnium peccatorum tuorum memoriam depoſiturus. Tu interim, infinitam hanc ipſius caritatem admirans, plùs quàm aliàs unquam peccata tua deteſtare, & continuam agere pœnitentiam ſtatue; unàque gratiam pete, qua numquam deinceps patriam ipſius poteſtatem, & debitam tot titulîs obedientiam ſubterfugias.

EXAMEN
Pro die quarta.
De Statu Defectuum & Virtutum tuarum.

I.

EXamina te, quam peccatorum venalium rationem, & quem animum illa devitandi habeas? Miſerum te, ſi ſolùm fugere velis peccata mortalia, & quæcunque venialia liberrimè committere! certè de ſalute tua non niſi malum ferri poterit judicium; quemadmodum enim is, qui ſæpius incidit in deliquia, ex improviſo denique moritur; ita, qui ſæpius incidit in peccata venialia deliberata, denique incipit mortalia quoque peccata committere, in iisque facilè moritur. Perpende igitur, an firmiter conſtitutum habeas, nullum omnino defectum animô deliberatô com-

committere, & in corde tuo neceſſarium hunc peccatorum hujusmodi, cum plena voluntate admiſſorum, horrorem ſentias? nam licèt illa divinam non omnino diſrumpant amicitiam, quæ Deum inter ac hominem intercedit, eam nihilominus multò debiliorem reddunt; primò, quia hæc amicitia perfecta conſiſtit in animæ noſtræ conjunctione cum Deo; peccatum autem veniale intimam iſtam & præſentem animi noſtri cum eodem Deo conjunctionem tollit ac impedit: ſecundò, quia hæc amicitia, quæ Deum inter & animam intercedit, in ſanctitate fundatur, peccatum autem veniale perfectiori huic ſanctitati ſe opponit: tertiò, quia ſimilitudinem aliquam, & quandam veluti inter amicos æqualitatem requirit amicitia; peccatum autem veniale majorem hanc ſimilitudinem partim impedit, partim commaculat, ac deturpat: quartò, quia amicitia requirit conformitatem judicii ac voluntatis; peccatum autem veniale deliberatum apertè ſe opponit voluntati Dei, etiamſi tam clarè cognitæ: quintò, quia amicitiam oportet amicis eſſe notam; peccatum autem veniale magis ſemper dubiam reddit animæ divinam gratiam: ſextò, quia amicitia requirit ſecretorum inter amicos communicationem; peccatum autem veniale id efficit, ut Deus animæ ſe abſcondat, & anima coram Deo comparere non audeat: ſeptimò, quia amicitia exigit, ut amicus non ſibi, ſed alteri amico vivat,

ejúſ-

ejúsque potiùs commoda, quàm ſua propria quærat; peccatum autem veniale vult ſibi, ſuíſque commodis vivere, ſempérque animam exponit periculo penitus amittendi caritatem, & perdendi conſtantiam illam, tantopere caritati propriam. Unde oportet, aut manifeſtè ac propalam nuntium perfectioni remittere, aut firmum ſtatuere propoſitum, nullum ampliùs veniale peccatum plena cum advertentia committendi. Itaque conſidera 1. An hujus generis culpas admittere ſoleas; ídque frequentiùs, an verò rariùs? 2. An eas ob gravem aliquam tentationem, an oblata quavis levi occaſione committas? 3. An ſtatutô etiam propoſitô fugiendi peccata venialia deliberata, perſiſtere tamen velis in occaſionibus illis, quæ te frequenter ad lapſum inducunt? 4. Cujusmodi ſit materia, circa quam venialiter peccas? aliud enim eſt, proferre voluntariè verba inutilia, aliud ob aliorum facta voluntariè murmurare, aut aliter contra aliud aliquod objectum impingere, quod ex genere ſuo ſit peccatum grave, & ob circumſtantias tantùm leve. 5. Quem ſentias dolorem, poſtquam in hujusmodi defectum aliquem incidiſti? An doleas tantùm, quòd aliquod tibi ipſi damnum intuleris, an verò potiſſimùm, quòd Deo diſplicueris? 6. Quem fructum capias ex defectibus tuis, per animi videlicet demiſſionem, agnoſcendo tuam infirmitatem; aut per pœnitentiam, novo fervore, noviſque cor-

Digitized by Google

ANNOTATIONES

Pro eo tempore, quod Viæ Illuminativæ in Exercitiis tribuitur.

FInis illarum Meditationum, quæ ad Viam Illuminativam pertinent, hic eſt, ut, poſt-]uam ſublata ſunt obſtacula, introducantur tiam diſpoſitiones ad perfectam caritatem, ɜipſum videlicet excitando ad imitationem Chriſti in virtutibus omnibus per conſidera- ionem Myſteriorum divinæ ipſius vitæ ac ıortis. Eſt autem hæc conſideratio tanti ıomenti, ut ipſe Dominus affirmaverit, quòd ita æterna in Ejus cognitione conſiſtat: *Hæc ſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum, &, uem miſiſti, JEſum Chriſtum. Joan. XVII.* '.3. nam infinitam Perſonæ ipſius dignita- ɜm, & admiranda vitæ exempla vivaciter ognoſcendo excitamur ad illi ſerviendum; c inſiſtendo illius veſtigiis ſecurè perveni- ıus ad æternam in Paradiſo vitam. Ut ita- ue fructum ex hac meditationum claſſe re- ɜrre queas, obſervabis Annotationes jam ntè pro Meditationibus Viæ Purgativæ tibi ropoſitas, aliquibûs tamen, uti mox ſequi- ır, nonnihil immutatîs.

I. Neque leges, neque conſiderabis My- erium aliud, præter id, quod de hora in ho- ım erit materia meditationis tuæ.

II. Quamprimum evigilaveris, ſtudebis ı te excitare deſiderium, meliùs cognoſcen- i, & majori cum ſtudio imitandi virtutes

JEſu Chriſti, vitam tuam ad illius dictamina conformandi, & compatiendi doloribꝰ illius, dum ea, quæ paſſus eſt, conſideranda ſunt: neque admittes interdiu cogitationes ullas, quæ ad meditationum tuarum finem non faciunt.

III. Utéris pariter majori obſcuritate cubiculi, aut luce majori, prout expedire tibi judicaveris ad excitandam majorem devotionem, & conſequendum finem, eo tempore tibi propoſitum.

MEDITATIO TERTIA.

Pro quarta Exercitiorum die.

De Regno Chriſti.

I.

COnſidera Chriſtum, Redemptorem noſtrum, veluti Regem ſummæ Majeſtatis, potentiſſimum, ſapientiſſimum, amabiliſſimum erga ſubditos ſuos, & omnibûs ad bene regendum dotibûs inſtructiſſimum; cùm etiam ſecundùm ſacratiſſimam ſuam humanitatem ſit Regum Rex, & Dominus Dominantium: *Habet in veſtimento, & in femore ſuo ſcriptum: Rex Regum, & Dominus Dominantium. Apoc. XIX. v. 16.* Imaginare tibi poſtmodum, quòd omnes homines convocet, téque etiam inter cæteros, & publicè denuntiet, quòd conſtitutum habeat, ſuos

no-

noſtróſque inimicos, mundum videlicet, carnem, ac ſathanam debellare, eúmque in finem ad expeditionem hanc quemlibet invitet ea lege, ut ipſémet, qui Rex noſter eſt, omnem aciem præcedat ad pugnam, ac durante bello ſit primus omnium in perferendis vitæ incommodis, primus in ſuſtinendis pugnæ periculis, primus in excipiendis vulneribus; poſt hæc verò omnia & victoria & victoriæ præmium omne ſuis militibus cedat. Et en, quàm fideliter ac integre legem hanc adimpleverit, dum toto vitæ ſuæ tempore paupertatem, dolorem, & contemptum individuos habuit comites, ſequaces verò innumeras animas, quæ triumphalibus exemplorum ſuorum veſtigiis inſtitêre, & poſt debellatos inimicos cum Ipſo nunc in Paradiſo triumphant. Tu quid agis? quid invitanti reſpondes? An adeò puſilli eris animi, ut ſub Regis tam excelſi ductu, qui ſecuram certámque tibi victoriam promittit, prodire in aciem recuſes? Attende diligenter, quòd breve ſit prælium, triumphus autem æternùm duret; quòd inimici, quos ſubjugare vult Chriſtus, tui magis, quàm illius ſint inimici, cùm illum Regnô ſuô privare nequeant, te verò privare facilè queant. Eja igitur, generoſè te offer, ad Regem hunc ſequendum, & proximè quidem; illúmque magnô animô in omnibus imitandum. Aut forſan negotium hoc eſt, quod diuturnum deliberandi tempus exigat? An aliud conſequi te poteſt,

 quàm

quàm ſumma felicitas, ſi quàm proximè ad Deum tuum accedas? Erubeſce, quòd vita tua præterita vitæ Chriſti fuerit adeò contraria, dum adverſarios tuos credideras illos, quos individuos ipſe comites habuit, Paupertatem videlicet, Auſteritatem vitæ, ſuique ipſius depreſſiones; atque adeò Lucifero potiùs, Reprobatorum Duci, quàm Redemptori tuo, Electorum Capiti, te ſimilem reddideris. Pete ab illo gratiam, aliîs deinceps oculîs aſpiciendi cruces illas, quas tibi immiſerit, & in iis agnoſcendi nobilitatem illam, imò Divinitatem, quam iis indidit exemplô ſuô; ita, ut in hac vita ſis illius ſocius in toleranda cruce, poſtmodum verò ſis pariter ſocius in æternis gaudiis: *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus. II. Timoth. II. v. 12.*

II. Conſidera *tres hominum claſſes*, qui Chriſtum in hoc prælio ſequi volunt. Prima illorum eſt, quibus ſatis eſt conſiderare cauſæ hujus æquitatem; ſed eò non pertingunt, ut & ipſi ſtatuant arma corripere, ad impugnandum ac vincendum hoſtem; illorum, inquam, qui nuqmuam ſtatuunt neceſſaria adhibere media ad imitanda JEſu Chriſti exempla, prout ipſe requirit. Secunda eſt eorum, qui arma capiunt, & in aciem prodeunt, ſed pugnare volunt pro arbitrio ſuo, ea ſolùm adhibendo media, quæ ipſorum arrident genio, non verò illa, quæ à Voluntate divina requiruntur; atque adeò præcedere potiùs, quàm ſequi volunt Chriſtum Dominum.

Digitized by Google

num. Tertiam denique claſſem illi conſtituunt, qui penitus perſuaſum habent, quòd omne bonum noſtrum, & omnis gloria, quam Deo poſſumus reddere, conſiſtat in eo, quòd ſequamur exempla JEſu Chriſti, & ab Illo nos dirigi ſinamus; proinde non ſolùm generoſè adhibent præſcripta media, ſed propria quoque voluntate ſe prorſus abdicant; hinc ad utrumque ſunt parati, ad ſequendum videlicet Dominum, & ad ſequendum eâ viâ, quam ipſémet illis aſſignaverit; parati ſunt ad præliandum, atque ad obedientiam in ipſo prælio præſtandam. Ut proin dici poſſit cor eorum dupliciter paratum: *Paratum cor meum, Deus! paratum cor meum. Pſ. LVI. v. 8.* Tu verò in quam modò claſſem concedis? Forſitan vis, & non vis, uti facit piger: *Vult, & non vult piger. Prov. XIII. v. 4.* Velles nimirum virtutem, ſed abſque labore, qui in ejus exercitio reperitur; velles humilitatem, ſed abſque illius exercitatione; puritatem, ſed abſque carnis afflictatione; patientiam, ſed abſque patiendi occaſionibus. Si te diſponas etiam ad bene agendum; agere tamen voles pro tuómet arbitrio; privatæ tuæ pietatis exercitia anteponendo publicis conſuetudinibus, voluntatem Superiorum ad tuam pertrahendo voluntatem. Erubeſce de hoc abuſu tuo, eúmque ſummopere deteſtare; offer te Domino Deo in manus Ejus, veluti mollem ceram, non jam ut legem ipſe ſtatuas, ſed ut eam ab Illo accipias: *Se-*

quar te, quocunque ieris. Luc. IX. v. 57. Denique magnum hunc cœli terræque Regem ora, dignetur tibi largiri gratiam, ut ad Ejus exemplum facias voluntatem Patris ejus cœleſtis, quæ deinceps ſit cibus tuus, & omne ſolatium tuum.

III. Conſidera *tres Gradus*, per quos pervenitur ad propinquam JEſu Chriſti ſequelam, & ad victoriam in hoc prælio, adverſùs inimicos noſtros ſuſcepto, reportandam. Primus gradus eſt, ita ſe voluntati Divinæ ſubjicere, & ita Servatoris noſtri crucem amplecti, ut potiùs velit quis propriam ſuam vitam amittere, quàm ab illa per mortale peccatum avelli. Secundus Gradus in eo conſiſtit, quòd homo Voluntati Dei, ejúsque cruci tam firmiter adhæreat, ut mori potiùs velit, quàm diſplicere Deo in re vel minima, aut veniale peccatum deliberatè committere. Tertius gradus eſt, ſi quis Voluntati Divinæ, & imitationi Chriſti tam perfectè inhæreat, ut, ſi æquale foret animæ bonum Paupertas & Abundantia, Humilitas & Honor, Corporis commoditas, & ejus afflictatio, potiùs tamen eligeret Paupertatem, contemptum & crucem, ideo, ut ſenſuum ſuorum appetitum tantò magis ſubjugare, & conformior reddi valeat illi Domino ſuo, qui hæc eadem amore noſtri elegit: *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Hebr. XII. v. 2.* Hìc te examina, quàm longè ab hoc tertio gradu diſtes; & conare ſaltem per deſiderium ad illum pertin-

tingere; interim verò in duobus prioribus firmiſſimè te conſtitue, ſanctorum propoſitorum tuorum clavos ita figendo, ut non ſolùm peccati mortalis nomen exhorreſcas, ſed & peccatum veniale, cum plena deliberatione commiſſum, timeas, cùm & hoc Deo noſtro diſpliceat. An tibi videtur, quòd Deus tantum cujuslibet rei, Divinæ ſuæ Voluntati oppoſitæ, horrorem non mereatur? Quid refert, quòd transgreſſionis tuæ materia ſit parva? Parva non eſt audacia, in re tam modica tuam lubidinem anteponere ſupremi Regis ac Domini tui placito. Hac profectò ratione non ita cum illo agis, ùt magnum adeò Deum decet; & ſi minimus divinæ Ipſius Gloriæ gradus præferri debet omnium creaturarum bono, quanta erit injuria, eam poſtponere bono nihili, quale eſt, cuipiam animi tui paſſioni tam avarè ſatisfacere? Erubeſce præteritam tuam ignorantiam, & ingratum animum erga Deum, qui tanta cum abundantia te amavit, ac etiamnum amat. Offer te illi ad cuſtodiendam impoſterum hanc ſervitutis & amicitiæ legem, ut Illi deliberatè in re nulla diſpliceas. Roga Illum inſuper, ut ſuâ tibi gratiâ ita ſuccurrat, ut deinceps à propoſito tuo non recedas, ſed cum Ipſo & pro Ipſo pugnando conſtanter Illi adhæreas, ac denique cum Ipſo & pro Ipſo vincas, atque in Paradiſo per omnia futura ſecula triumphes.

Digitized by Google

MEDITATIO QUARTA
Pro quarta Exercitiorum die.
De Beneficio Incarnationis.

I.

COnſidera *Abyſſum*, in quam per peccatum & damnationem æternam, quæ peccatum conſequebatur, demerſa fuerat natura humana. Nulla omnino aderat vis creata, quæ à tanto nos malo poterat liberare; cùm enim in peccato mortali manifeſta contineretur Creatoris injuria, & infinita quædam malitia, non poterant Creaturæ vel omnes ſimul poſſibiles hanc eandem malitiam pro merito reſarcire, ac Deo pro tanta injuria ex æquo ſatisfacere. Judica, an id facere potuerint homines, qui omnes erant iniquitate ſua deturpati, & coram Deo ſupra omnem fidem abominabiles? Proinde ſi omnes Angeli noſtrarum fuiſſent partium, ſeſéque obtuliſſent ad redeundum pro nobis in nihilum, non ſolùm malo noſtro non attuliſſent remedium, ſed & per omnem æternitatem nullum potuiſſent invenire modum, Divinæ Juſtitiæ ita faciendi ſatis, ut in Ejus iterum gratiam recipi debuiſſet homo. Agnoſce, quàm deſperata fuerit tua ſalus, téque collocatum conſidera in magna hac abyſſo Mancipii diaboli, & inimici Dei, ad mortem æternam condemnati, ut magis teipſum deprimas, & Divino tuo Liberatori ex omni tuo cor-

corde gratias rependas. Pudore ſuffundete, quòd favoris adeò excelſi tam immemor fueris; exquire inter affectus tuos id, quod fortè cæterîs ardentiùs amas, illúdque magno huic Domino in victimam ac gratiatum actionem offer, quòd per Divinam Sapientiam ſuam dignatus ſit invenire modum, ex hac malorum omnium abyſſo te liberandi, tuámque cauſam, penitus jam deperditam, in meliorem ſtatum reſtituendi. Precare denique Deum, ut, dum ſui amoris abundantiâ tantopere te Sibi obſtringit, lumen quoque tibi ſuppeditet, quo amorem hunc penitius agnoſcas, & illi non penitus ingratus vivas.

II. Conſidera *Altitudinem* gradûs, ad quem Divina te Incarnatio ſublevavit. Poterat Deus per ſimplicem duntaxat externam condonationem ab æternæ damnationis pœna te liberare, uti fit à Principe, qui Reo, ad mortem condemnato, vitæ gratiam impertitur; & hoc ipſum tamen beneficium fuiſſet, nunquam ſatis comprehendendum. At verò ſatis non habuit Deus, te ex abyſſo malorum omnium eruere; ad Divinum adeò ſtatum te extulit; per gratiam, ùt Theologi appellant, ſanctificantem te adoptavit in filium, ac æternum Bonorum ſuorum omnium hæredem in Paradiſo conſtituit. Quis verò jam dimetiri poterit infinitum illud intervallum, quod inter eam abyſſum, & iſtam altitudinem, inter ſtatum peccatoris ad infernum condemnati, & ſtatum hominis juſti ad Glo-

riam deſtinati intercedit? Seraphini ſtupent attoniti, dum duo hæc extrema metiuntur; & tu ne leviter quidem per ſtupendum adeò favorem tibi cor moveri ſenties? Adde inſuper, quòd Deus, cùm noſtram in abjiciendo hoc theſauro, nobíſque ipſis è ſummitate Gratiæ in peccati barathrum denuo præcipitandis prævideret ſtultitiam, modum præterea nobis reliquerit, jacturam noſtram reſarciendi per pœnitentiam, ac Divina Myſteria, quorum ope deſertum paulò antè ſtatum recuperare iterum poſſemus. Ubínam tu verò inter homines vel umbram tantæ caritatis invenies? & tamen adeò te obſtrictum exiſtimas pro parvula qualibet à creaturis tibi exhibita ſignificatione caritatis? Si tui Benefactoris obliviſcaris, ſi ſincerè illi ſervire non velis, & multò magis, ſi illum offendere rurſum audeas, non invenies ingratum animum, qui comparari tibi valeat, ne inter dæmones quidem, qui hujusmodi favores nunquam obtinuerunt; ſed poſtquam ſemel duntaxat ceciderunt, in ſua ruina ſemper fuêre derelicti. Fatere igitur immemorem tuum animum, téque vel infra dæmonum ipſorum, te minùs ingratorum, pedes dejice; propone, dare omnia pro illo Domino, qui tot invenit modos tibi faciendi bene, &, poſtquam rebelles Angelos tanto cum rigore caſtigavit, tuis tamen miſeriis adeò poſtmodum indoluit; roga illum, ut, quandoquidem ſuum in te amorem peccatorum tuorum multitudine obrui

ac

Digitized by Google

ac extingui non permiſit, gratiam tibi largiatur, ut reciprocus tuus in illum amor nullîs ſe laboribûs vinci permittat.

III. Conſidera *Medium*, quo uſus eſt Deus ad conferendum tibi tantum bonum. Medium hoc fuit demittere ſeipſum, ſuámque Divinitatem conjungere humanæ Naturæ, ut in ea pati ac mori pro nobis poſſet. In aſſumpta iſta natura non ſolùm ea ſe gloria & felicitate privavit, quæ Corpori ſuo à primo Conceptionis ſuæ momento debebatur, ſed in ejus præterea vicem amplexatus eſt labores, paupertatem, opprobria, & ipſam adeò mortem crucis; pluráque ſuſtinuit, quàm ullus unquam mortalium in hoc mundo ſuſtinuerit, tam à ſuis inimicis exteriùs in divinis ſuis membris, quàm interiùs in corde ſuo à doloribus aliis, ſine omni comparatione majoribus, quos ſuus illi amor addidit. Jam verò minima quæque ſupremæ illius Majeſtatis demiſſio, & minima quævis afflictio infinitùm excedit omne id, quod omnes creaturæ poſſibiles agere & pati pro te potuiſſent. Quantum igitur beneficium erit, obſecro, abyſſus ignominiarum ac tormentorum, in quam pro te immerſus eſt Deus Homo! Si Deus, ut bene tibi faceret, alium mundum datô ſtudiô pro te condidiſſet, quantum pro tam inſigni favore te obſtrictum illi crederes? Non invenires neque verba, neque ſenſus, qui ad reddendas Illi gratias tibi ſufficerent; nunc verò dum beneficium infinitè majus aci-

cipis, totus es frigidus, & Eum redamare non potes, qui tantopere te amavit? Si fuiſſes condemnatus, non Ille propterea minùs beatus extitiſſet; & tamen videtur, veluti ſat beatus eſſe neſciret, niſi ſuæ te beatitudinis participem redderet. Si actum fuiſſet, ut ita loquamur, de ſtabilienda Divinitatis ſuæ ſecuritate, quid, obſecro, Deus potuiſſet ampliùs facere, quàm fecerit modò, ut tibi beatitudinem promereretur æternam, téque illius ſecurum redderet? Tu ex adverſo non voles pro Ipſo facere id, quod faceres vel pro mancipio, quod vitam ſuam expoſuiſſet periculo, ut tuam defenderet? Quid ergo dicere debebunt Angeli de animo tuo tam ingrato, & quid de illo dicerent homines, ſi probè illum nôſſent? Quid verò dicere debet Deus? Certè ſi creaturarum omnium vitæ forent tuæ vitæ, túque illas omnes in obſequium tui Redemptoris impenderes, non tamen ideo vel minimam debiti tui partem exſolveres; judica proinde, quale nunc debitum tibi ſolvendum remaneat, dum ne miſeram quidem vitam illam, quam habes, impendis, ut Deo reſpondeas? Extremo igitur pudore ſuffundere, dum immemorem tuum animum conſideras, quo non ſolùm effuſam in te Divinæ Caritatis abundantiam pari amore non compensâſti, ſed & injurias pro illa reddidiſti. Gratias age Deo pro iis omnibus, quæ tui causâ toleravit, quæque à te ſuſtinuit; offer te divinæ Illius Voluntati, ut de te pro ſuo lu-

bitu

bitu diſponat, tamquam de re jam penitus ſua; roga illum impenſiſſimè, ut per immenſum ignem Caritatis ſuæ ingratum tuum animum penitus abſumat, & in alium transmutet, ita, ut impoſterum in hunc tuum animum non admittas alium, quàm divinum ipſius amorem.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES QUINTA.

MEDITATIO PRIMA.

De Nativitate JEſu Chriſti.

I.

COnſidera, quòd Deus in hunc mundum veniat, ut ſit Magiſter tuus; atque adeò imaginare tibi, quòd ſtabulum Illius ſit ſchola, præſepe ſit cathedra, & exemplum ſit vox divini hujus Infantis. Prima, quam tibi proponit, lectio eſt *de Paupertate.* Vide, ad quantam amore tui redactus ſit miſeriam, qui omnia hujus & alterius vitæ bona diſtribuit, & manum duntaxat aperiendo omne animal benedictionibûs replet. Ubi eſt palatium? ubi apparatus? ubi nobiles cunæ? ubi famulorum comitatus? Perluſtra ſpecum omnem; non ſolùm nihil in ea ſuperflui reperies, ſed potiùs rerum omnium neceſſa-

ceſſariarum defectum, cùm JEſus ſit veluti ſub Dio natus, ſub mediam noctem, hyeme perfrigida, ſine igne, ſine lumine, ſine ſolatio, ſine exigua illa commoditate, quam vel in paupere Nazarethana domo habuiſſet. Nec ſolùm iſtud; ſed præter hanc paupertatem, quam elegit voluntariò, aliam inſuper admiſit veluti violentam, dum ita res diſpoſuit, ut negatum Ipſi fuerit diverſorium, licèt è contrario tot aliis perbene proviſum fuerit: *Non erat eis locus in diverſorio. Luc. II. v. 7.* Tibi quoque videbitur, in tuis tibi morbis aut infirmitatibus non ſatis proviſum eſſe; & grave tibi videbitur illîs eſſe privatum, quæ ad levamen tuum deſideras. At nónne paupertatem Deo per votum promiſiſti? quomodo igitur oblata hac occaſione illius es immemor? &, quod amplius, quomodo in corde tuo locum invenit tanta pro lucro laborandi, vendendi, emendi, reculas accumulandi ſolicitudo, ne tibi quid aliquando deſit, adeò, ut ſecularibus etiam ſuas invidere poſſis commoditates; quin etiam, ut erubeſcas, non ſolùm eſſe, ſed & videri pauper? Chriſtus non tantùm non erubeſcit jacere in præſepio, ſed illo etiam gloriatur, & è vicinia Paſtores, è longinquo Reges advocat, ut eum in hoc tam miſerabili ſtatu agnoſcant, & adorent. O! quàm exiguum tu profectum in ſchola Redemptoris feciſti, ſi per tot annos necdum eò perveniſti, ut rerum temporalium defectum patienter perferas, cùm in eo potiùs

tiùs lætari, & paupertatem habere deberes pro levamine graviſſimi oneris, quod curæ ſeculares imponunt, pro libertate cordis, bonorum æternorum capacis, pro quadam nobilitate ſpiritûs, qui per rerum omnium terrenarum contemptum fit illarum omnium Dominus. Igitur miſeriæ tuæ pudorem indue; propone, tantam pro ſuperfluis acquirendis ſolicitudinem, tantam in neceſſariorum defectu impatientiam, veluti ſi monſtroſam duntaxat amares paupertatem, cui videlicet nihil deſit, impoſterum deponere. Denique Deum roga, ut, quoniam ipſe divitias adeò viles, & paupertatem adeò nobilem reddidit, dum illas procul à ſe rejecit, hanc verò eſt amplexatus, tibi gratiam impertiatur, ut magni favoris inſtar admittas occaſiones omnes, illum imitandi, cùm tibi de neceſſariis malè proſpectum fuerit, ùtque & tu deinceps hunc ipſum in finem tibimet de illis malè proſpicias.

II. Conſidera lectionem ſecundam, quam tibi Christus Infans tradit *de Puritate*. Imponere ſibi Chriſtus voluit miſerias noſtras omnes, cùmque aſſumere potuiſſet corpus perfectum ac virile, uti Adamo dedit, aſſumere tamen voluit corpuſculum parvum in ſinu Virginis, ibíque per novem menſes magno cum incommodo commorari; poſtmodum verò lactari, faſciîs involvi, cæteráſque ſubire infantiæ infirmitates; noluit tamen ſubjacere communi cæteroquin neceſſitati,

na-

naſcendi ex Patre & Matre, ſed concipi & naſci voluit ex Virgine, quæ tam ante, quàm poſt partum ipſîs cœli Seraphinîs eſſet purior, ut ita oſtenderet, quantùm horreret vel umbram maculæ, quámque alienos à terrenis voluptatibus eſſe cuperet amicos ſuos. Quoniam verò hoc Puritatis lilium non conſervatur ſine ſpinis afflictationum corporis, vide, ùt te doceat caſtigare corpus tuum, dum ipſe tot ſimul incommoda ſine ullo ſolatio in ſe recipit. Quomodo autem tu ex hac Illius doctrina in hanc uſque diem profeciſti? Nulla omnino virtute carere debet fidelis Chriſti amicus, ſed omnium minimè hac ſancta Puritate, quæ plùs omni alia virtute amicum Amico ſimilem, & gratum reddit, mentem illius illuſtrat, cor ejus & corpus ipſum nobilitat, & in gradu Angelis ipſis æquali, aut omnino ſuperiori conſtituit, quia Caſtitas in Angelis non virtutis eſt, ùt in hominibus, ſed naturæ. Magnas itaque divitias poſſides, ſi poſſides hunc theſaurum. Verùm aſſervatus eſt ille in vaſe fictili, & nimis quàm malè tutus eſt ſine ſenſuum cuſtodia, & afflictatione corporis. In quanta igitur verſaris ignorantia, ſi credis, te pretioſam hanc mercem conſervaturum, ſi delicias quæras; multò magis ſi corpori tuo, veluti domino, commoda quæcunque ſuppedites, cùm illud potiùs tractare deberes ùt inimicum! O! quàm adſtabis attonitus coram divino tribunali, ſi Deus objicere tibi poterit, quòd plùs pro tuo cor-

corpore, quàm pro ipſo egeris! Erubeſce de omnibus tuis defectibus; & locô ſanctô, quo conſiſtis, gradu, quem obtines, habitu, quem geſtas, te indignum crede; propone, ab omni illo deinceps abſtinere, quod ulla ratione tuo ſtatui minùs convenit, & ſummô ſtudiô cavere affectiones illas, quæ ſenſus & carnem ſapiunt, ut cœleſtem hunc theſaurum tantò ſemper ſecuriorem reddas; Deum quoque roga, ut, quoniam Puritatis virtus eſt ſingularis divinæ Crucis fructus, gratiam tibi donet, qua ita poſſis exornare animam tuam, ut olim inter Virginum choros illa divinum agnum in cœlo mereatur comitari.

III. Conſidera lectionem tertiam, quam tibi cœleſtis tuus Magiſter prælegit *de Obedientia.* Nulla res alia magis æſtimatur in mundo, quàm eminere, obtinere potentiam, aliis imperare, & pro ſuómet libitu vivere. Chriſtus è diverſo vult naſci in ipſo ſubmiſſionis & obedientiæ exercitio, & totum veluti mundum ſus déque vertit, ut ſubmittendi ſe occaſionem inveniat. Itaque licèt Auguſti Cæſaris imperium pauperibus, qui rigido hoc anni tempore iter debebant facere, importunum fuerit; licèt Auguſtus non fuerit legitimus Chriſti Superior; licèt iſtius mandati finis non fuerit, niſi ambitio mera, id nihilominus Magiſter noſter divinus non attendit, ſed, ut nos obedire doceat, ipſus ab Obedientia vitam inchoat. Obedientiam hanc tu quoque promiſiſti votô; verùm an

Q pro-

promiſſum imples? qua accuratione in exequendo? qua voluntatis & judicii ſubmiſſione? Quid, ſi non ſolùm interiùs te Superiorum ordinationi opponeres, ſed exteriùs etiam vivere velles pro tuo lubitu? ſi velles, ut in tuo Cœnobio ad tuum genium conformarentur omnia? Erubeſce igitur, quòd toties iterum abſtuleris Deo, quod illi toties obtuliſti, tuam nimirum libertatem; offer illi nunc eandem in perpetuum cum omnimoda tui ipſius abdicatione, ita, ut imposterum nullum omnino jus in temetipſum habere te exiſtimes, ut in re nulla, ſive magna, ſive parva, ſeu facili, ſeu dura vivere pro tuómet arbitrio poſſis. Deum denique roga, ut, quandoquidem tantô illi conſtitit obedientiam te docere, gratiam tibi largiatur, divinam Ipſius voluntatem in Superioribus tuis agnoſcendi, & Ipſius amore cæcam exercendi obedientiam, útque proinde non ſolùm clariſſimas tibi de omni virtute lectiones proponat, ſed intellectum quoque ad eas bene percipiendas largiatur: *Da mihi intellectum, & diſcam mandata tua. Pſal. CXVIII. v. 73.*

LECTIO
Pro die quinta.
De Virtute Paupertatis.

VIta privata, & vita publica, Domus, Fami-

miliæ, Populi, Regna, Pax, & Bellum, verbô, omnia mundi negotia nituntur divitiîs, ut proin meritò S. Joannes Apoſtolus eas nominaverit ſubſtantiam hujus mundi: *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi. I. Joan. III. v. 17.* veluti ſi mundus ſine divitiis ſubſtare, ac conſiſtere non poſſet. Inde eſt, quòd Paupertas apud pleroſque populos adeò ſemper abominabilis fuerit, ut Poëtæ illam auſi fuerint ad inferni portas, veluti Furiarum aliquam, collocare. Sed quidquid de coacta, ſeu violenta ſit Paupertate, talis certè Religioſa Paupertas non eſt; imò hæc eſt è contrario Subſtantia Religionis, eſt fundamentum perfectionis, eſt theſaurus abſconditus, & illa demum eſt, quæ in hac vita autenticum quoddam teſtimonium obtenti in Regnum Cœlorum juris ac dominii nobis tribuit, poſt mortem verò ad uſque Paradiſi limina nos comitatur, ejúsque nobis poſſeſſionem in perpetuum tribuit. De hac igitur nobiliſſima, ditiſſimáque præ reliquis virtute inſtructum te hodie deſidero tam ſecundùm id, quod ad doctrinam pertinet ſpeculativam, uti loquuntur Theologi, quàm ſecundùm id, quod ad practicam attinet.

Quid igitur eſt ſanctæ Paupertatis virtus? Ut in communi de illa loquamur, eſt virtus, quæ hominem docet, divitias ac bona temporaria, veluti vana ac vilia in comparatione cum bonis cœleſtibus & æternis, ex animo contemnere. Contemptus hujuſmodi eſt

ſummi meriti; quia, cùm homines mundo dediti divitias æſtiment, veluti bonum univerſale, quo venari ac obtinere poſſint omnia reliqua bona, ſequitur, quòd is, qui divitias amore virtutis parùm æſtimat, in illis unà ſimul contemnat, quidquid uſpiam magni ipſi mundus offerre poſſet. Hæc pariter virtus, ùt eam modò deſcripſimus, Chriſtianis omnibus eſt ad ſalutem neceſſaria, ita quidem, ut in animo ſuo firmiſſimè conſtitutum habere debeant, quòd neque ob augendi bona temporalia cupiditatem, neque ob eadem perdendi timorem, in ullum unquam mortale peccatum conſentire velint. Et in hoc ſenſu veriſſimum eſt, quòd Divites à Regno cœlorum penitus ſint excluſi, ſi nimirum facultatibus ſuis tantopere adhæreant, ut & animi affectione, & opere ipſo eas obſervationi Legis divinæ præhabeant; unde illis idipſum evenit, quòd Aquilæ piſcanti, quæ, ſi piſcem, viribûs ſuîs majorem, unguibûs arripuerit, prædam adeò firmiter ſuîs unguibûs ſtringit, ac retinet, ut, ne illam dimittere debeat, ejusdem prædæ pondere in profundum maris ſe abripi ſinat. Verùm Paupertas Religioſa nimiùm quantùm ſuperat primum hunc gradum, Chriſtianis omnibus neceſſarium; illa enim bona caduca, quæ fortunæ dicuntur, non ſolùm contemnit, ſed etiam deſerit, illíſque ſe privat; neque ſe illîs privat pro tempore duntaxat præterito, ſed etiam pro futuro; dum voluntatem ea deinceps poſſiden-

di

di ſeponit, ſéque penitus reddit incapacem acquirendi aliquando juris ac dominii in iſtius generis bona; ídque totum etiam votô, Deo ſolemniter oblatô, confirmat, ut ſublatîs omnibûs hîs impedimentîs, quæ divitiæ ſecum afferunt, expeditiùs ad Deum poſſit accedere, ſicuti cervus, qui depoſito majorum cornuum pondere jam liberior, majori cum agilitate ad fontem aquarum currit. Quis itaque non videt, quanta ſibi cœleſtium theſaurorum genera comparet homo Religioſus? nam ſi bonis, quæ temporaliter poſſidentur, cor ſuum non affigere, Spiritui Sancto idem eſt, ac in vita ſua facere mirabilia: *Qui poſt aurum non abîit, nec ſperavit in pecunia & theſauris; quis eſt hic? & laudabimus eum; fecit enim mirabilia in vita ſua. Eccli. XXXI. v. 8. & 9.* facilè concludere poteris, quantò majus ſit futurum virtutis prodigium, hoc ipſum aurum animo tenus contemnere, & inſuper ipſo opere pedibûs conculcare, expoliando videlicet ſemetipſum, & incapacem ſe faciendo, illud unquam ampliùs veluti proprium in hac vita poſſidendi, ut ita illi Domino placeamus, qui, cùm ſit ipſa bonorum omnium plenitudo, amore tamen noſtri fieri dignatus eſt pauper: *Propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet dives. II. Cor. VIII. v. 9.* Satis eſt dicere, quòd interna hæc & externa bonorum caducorum expoliatio ſit virtus adeò perfecta, ut quaſi à nemine fuerit cognita, antequam Servator no-

noſter in mundum advenerit; ac proinde, exceptîs Prophetîs aliquibûs, maximi quique, quos antiqua in Lege Deus habuit, Amici ſuum in eo ſtudium collocârunt, ut cum virtute ſuas poſſiderent facultates, non verò, ut illîs ſe privarent; & Deus ipſe, ut electi ſui populi ruditati ſe conformaret, illi expreſſè bonorum temporalium abundantiam promiſit in præmium; utì fieri ſolet cum infante rudi, qui ad agendum id, quod debet, promiſſô pomô allicitur. At ubi pôſtmodum advenit plenitudo temporis, ubi fundata fuit Eccleſia, illico Deus hunc Paupertatis ſpiritum primis Fidelibus eum in modum impertivit, ut credatur, Apoſtolos illius edidiſſe votum; ad eorum autem exemplum illos etiam id emiſiſſe, qui baptiſmô tingebantur; hinc omnia ſua bona in commune conferebant, ſuo ſe jure ad illa ſpoliabant, & eorum, quæ vendiderant, pretium ad ipſorum Apoſtolorum pedes deponebant, ut poſſet indigentibus in commune diſtribui. Omnes proinde Sancti temporibûs ſubſequentibûs ſummi faciebant hujusmodi votum, & hanc ſuîs ſe rebûs abdicandi normam; ac inter cæteros magnam illius rationem habuêre Familiarum Religioſarum Fundatores. S. Franciſcus Aſſiſias, teſte D. Bonaventura, tenero ſemper cum affectu de Paupertate loquebatur, eam nunc appellando ſuam Sponſam, nunc Matrem ſuam, nunc ſuam Dominam, nunc Reginam ſuam: oſtendebat, ſe nonnul-

la

lâ in Mendicantes illos, quos magis eſſe pauperes, & ſeipſo magis adhuc expoliatos videbat, invidiâ teneri; cùmque à Nobilibus interdum Viris invitaretur ad menſam, ſolebat priùs aliquot panis fruſtula mendicando corrogare, quæ menſæ poſtmodum imponebat, veluti ſi abſque Paupertatis condimento omnis alius cibus nauſeam illi provocaret. Similem Paupertatis amorem ſuis in Regulis, ſuáque in vita demonſtrârunt primi Monachorum in Oriente & Occidente Fundatores; & quamdiu in Sacris Communitatibus conſervatus eſt hic Spiritus, tamdiu primævus in iisdem fervor eſt conſervatus. Hinc Paupertatem Sanctus Ignatius appellavit Religionis murum; quia primi dæmonum aſſultus, primæque machinæ vertuntur in eo, ut murum iſtum diruant; neque perturbationes, quæ ſucceſſu temporis in ſacra Cœnobia irrupêre, aliunde aditum, quàm per muri hujus ruinas invenerunt.

Media, quibûs obtineri poteſt Paupertatis Virtus.

Affectus & cupiditas acquirendi & poſſidendi bona terrena Malorum omnium radix appellatur ab Apoſtolo Paulo: *Radix malorum omnium eſt cupiditas. I. Tim. VI. v. 10.* Radicis igitur in modum affectus iſte in cor noſtrum penetrat, eíque ita ſe immergit, ut levis non ſit negotii, illum penitus

 evel-

evellere, & ſanctum Religioſæ Paupertatis, illorúmque incommodorum, quæ comitari illam aſſolent, amorem in ejus locum inſerere.. Hinc neceſſarium eſt magnum Dei auxilium, ut opus tam difficile perficiatur; útque idipſum auxilium obtineatur à Deo, opus eſt continuîs ac ferventiſſimîs precibûs. Poſtulabat olim à Deo Sapiens, ut neque pauperem, neque divitem ſe faceret: *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi. Prov. XXX. v. 9.* Sed hæc petitio congruebat temporum illorum ruditati, de qua ſuperiùs eſt facta mentio; tu verò hilarî animô à Deo pete, ut pauperem te faciat, omnémque à te erga res temporales ac terrenas amorem auferat, ut in quadam mentis altitudine, creatîs omnibûs ſuperiore, collocatus, tantò ſis magìs Deo vicinus; quemadmodum Lunæ accidit, quæ, quantò magìs eſt pauper, & ſplendore vacua, tantò eſt Soli ſuo vicinior. Atque hæc oratiò primum Paupertatis virtutem acquirendi medium erit.

Medium ſecundum erit, JEſum Crucifixum frequentiùs & attentè conſiderare, & in eo, velut in quodam Libro Vitæ, hæc duo condiſcere, *Exemplum* videlicet Paupertatis, quod Ille nobis reliquit, & illius *Præmium*, quod nobis promiſit.

Ac *de Exemplo* quidem ut loquamur, quænam exempla conſideratu digniora potuiſſet quis deſiderare ad acquirendum virtutis hujus amorem, quàm illa ipſa, quæ nobis Chri-

ſtus

ſtus JEſus in ſua Nativitate, in vita, & morte ſua reliquit? In ſtabulo, in quo natus eſt, vide, obſecro, an major ſuperfluorum expoliatio, vel major neceſſariorum defectus inveniri queat. In ſua deinde vita ad Crucem uſque non ſolùm ſe ſuſtentavit paupertinîs manuum ſuarum laboribûs, ſed & toto ſuæ Prædicationis, quam vulgò ſic appellamus, triennio corrogata duntaxat ſtipe victitavit, ac eò devenit, ut dicere potuerit, quòd vulpes habeant ſuas foveas, & volucres cœli ſuos nidos, ipſe verò, licèt Univerſi totius Dominus, tantum non habeat ſpatii, ſibimet proprii, quod ad reclinandum Caput ſuum divinum ſufficeret. In monte dein Calvariæ ultima denique præbuit ſuæ Paupertatis argumenta, quando mortuus eſt nudus, & abſque omni ſolatio, ac ſuiſmet oculîs videre debuit, quòd pauperes veſtimentorum ſuorum reliquiæ aliis jam poſſeſſoribus obvenerint. Quænam igitur Paupertas comparari unquam poterit cum hac JEſu Chriſti Paupertate? Nos, dum Illius amore pauperes efficimur, exiguâ ſolùm hujus terræ particulâ nos privamus; Ipſe verò amore noſtri terram univerſam, & ipſum adeò cœlum reliquit; cúmque ſupremô ac divinô Dominiô, quod in creaturas omnes habebat, ſe abdicare non poſſet, temporariô ſaltem ac humanô illarum dominiô ſe privavit, atque ex omnibus aliud ſibi non reſervavit, quàm cordis noſtri poſſeſſionem, quam ideo ſolùm expetit,

Digitized by Google

theſaurîs ſuîs cœleſtibûs ditare nos poſſit. Quod verò ad internum affectum & expoliationis hujus ac nuditatis exterioris amorem attinet, qui veluti ſanctæ Paupertatis eſt anima, quis comparare ſe Chriſto poterit? Ille Paupertatem, tanquam è præcipuis prærogativis ac dotibus ſuis unam habuit, eámque inter glorioſiſſimos ſuos titulos numeravit, dum ſeſe pauperem ac mendicum per Prophetam appellavit: *Ego autem mendicus ſum & pauper. Pſal. XXXIX. v. 18.* Ille Pauperes in amicos ſuos elegit, ac in divinis Scripturis multoties eſt profeſſus, quòd Ipſe ſit eorum refugium, eorum ſpes, eorum ſolatium, eorum hæreditas, eorum gloria; quòdque ſi de cæteris habeat curam, pro Pauperibus habeat ſolicitudinem, &, ſi aliorum audiat preces, Pauperum adeò deſideria exaudiat, eorum ne preces quidem expectando. In Paupertate copioſiſſimas gratiæ ſuæ divitias repoſitas eſſe voluit; in Paupertate puriſſimas ſervorum ſuorum delicias abſcondit. Pauperes elegit, velut magis diſpoſitos, ad intelligenda præ aliis omnibus ſui in hunc mundum adventûs Myſteria, Paſtores videlicet. Pauperes pariter elegit, tamquam meliùs diſpoſitos, ad eadem Myſteria per orbem diſſeminanda, nimirum Apoſtolos. Has itaque veritates attentè conſidera, & temetipſum admiraberis, ſi hæc omnia vera eſſe confitearis, utpote per fidem tibi revelata, & nihilominus honori ac theſauris hujus ſan-

ctæ

ctæ Virtutis dein anteponas modicum illum amorem commodi, inde obtinendi, ſi JEſu Chriſti amore Paupertatem non integre colas, ùt colere tamen illam in tua Profeſſione ſpopondiſti. Utere argumentô Sancti Bernardi: *Aut Chriſtus fallitur, aut mundus errat.* Aut enim Chriſtus ſe decipi paſſus eſt, dum extremam pro ſe nuditatem & temporalium bonorum omnium expoliationem elegit, aut tu ipſe deciperis, dum nimiam habes cupiditatem accumulandi, poſſidendi, conſervandi, & in futurum tibi proſpiciendi, ac paupertatem, ùt grande malum, pertimeſcis, non ſolùm, ubi præſens ad te inviſit, ſed etiam, cùm è longinquo ſolùm per imaginaria quædam incommoda ſe tibi exhibet.

Porro, ſi Exemplum JEſu Chriſti, & æſtimatio, quam Ille de ſancta Paupertate præſetulit, non tibi ſufficiat, ut eam pretioſam habeas, ſufficiet profectò, ùt ego quidem opinor, *Præmium*, quod illi promiſſum eſt. Præmium hoc eſt triplicis generis; Centuplum videlicet hujus vitæ, poteſtas judicandi in extremo die, ac theſaurus æternus in poſſeſſione Paradiſi. Atque hac ratione Redemptor noſter tria illa Retributionis genera, in Evangelio expreſſa, complet: *Menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſupereffluentem dabunt in ſinum veſtrum. Luc. VI v. 38.* ita quidem, ut illa ſit menſura bona, quæ Pauperibus in hoc mundo

mundo redditur; conferta & coagitata verò illa, quæ datur Pauperibus in fine mundi; ſupereffluens denique ab omni parte ſit ea, quæ Pauperibus in æternitate redditur.

Quod ad hujus vitæ Centuplum attinet, conſiſtit illud primariò in abundantia Bonorum ſpiritualium, quibus Bona temporalia, quæ Dei amore ſunt relicta, compenſantur, divinarum nempe gratiarum, ſolatiorum cœleſtium, internæ Pacis animi, variarum virtutum, & amoris divini; quæ ſunt Bona immenſùm excedentia quodcunque pretium rerum omnium, quas ſuppeditare natura univerſa poteſt. Continentur prætereà in hoc Centuplo etiam Bona neceſſaria & congrua ad ſuſtentandam vitam noſtram, cum Dominus Patris ſui cœleſtis Providentiam, & Fidelium ſuorum caritatem oppigneraverit, ita nobis communicandam, prout ipsímet viſum fuerit ad ſalutem ac perfectionem noſtram conducere.

Altera menſura, confertæ nimirum, & coagitatæ retributionis, omnibus, qui voluntariè ſunt Pauperes, & amore Dei res ſuas omnes reliquerunt, in temporum fine dabitur; ſiquidem illi in Judicio Univerſali Supremi Judicis erunt Aſſeſſores, ejúsque confirmabunt ſententiam, & declaratione publica, legitimáque exponent illa præmia, illáque ſupplicia, quæ tum Electis, tum Reprobatis pro tota æternitate decreta fuerint. S. Thomas tres adducit rationes, quarum intui-

Digitized by Google

intuitu Servator noſter Pauperibus ſpiritu hoc genus præmii, mundum videlicet unà cum Ipſo judicandi, conceſſit. Prima eſt, quia voluntarii Pauperes juſtiſſimè eliguntur in Judices, cùm in vita ſua rectum adeò formaverint judicium de bonis terræ, & per temporalium rerum contemptum ſatis oſtenderint, quòd nullîs reſpectibûs humanîs aut terrenîs à ferendo recto judicio dimoveri ſe unquam ſint permiſſuri. Secunda ratio petita eſt ex merito; cùm enim illi amore Chriſti eò ſe demiſerint, ut amplexati ſint id, quod omnium maximè in mundo contemnitur, paupertatem videlicet, merentur omnino, ut à Chriſto extollantur ad ſublimem honorem judicandi cæteros mortales omnes. Tertia denique ratio eſt illorum Diſpoſitio; cùm enim voluntaria Paupertas terrenîs affectionibûs omnibûs cor evacuet, diſponit animam, ut virtutibûs divinîs egregiè inſtruatur, atque adeò præclaram illi methodum ſuppeditat, manifeſtandi cæteris, & publicè promulgandi Jeſu Chriſti decreta. Quem proinde majorem Pauperibus ſuis honorem tribuere Servator poſſet? Venient hujus mundi Divites, toti tremebundi, ad thronum miſerorum illorum Religioſorum, quos olim dicteriorum ſuorum & jocorum metam ſtatuerunt. Veniet Nero, ex aurea ſua domo protractus ad tribunal Petri, illius Nudipedis, illius Pauperculi, quem vilis inſtar mancipii olim

olim ipſe in colle quodam crucifigi juſſit. Neque iſtud ſolùm; ſed & ipſi quoque Juſti, qui miſericordiam Pauperibus exhibuêre, ſuásque facultates non quidem deſeruêre pro Chriſto, ſed illas tamen ex caritate & miſericordia diſtribuerunt, Præmium quoque gloriæ reportabunt, tamquam Miſericordes; non tamen ſingularem illam Judicum cœleſtium prærogativam habebunt, ſed ipſi quoque judicabuntur à Judicibus, qui in illo extremo die voluntarii Pauperes erunt, dum autoritate legitima, non ſolùm Reprobatis ſententiam æternæ damnationis, uti diximus, ſed Electis etiam ſententiam exoptabilem ſignificabunt. Vide igitur, quanto ſeſe honore ac præmio defraudent Religioſi illi imperfecti, qui in habitatione, victu, veſtitu omnem ſuam commoditatem quærunt, quique niſi illam inveniant, totum domum lamentîs aut querelîs implent; qui denique, ſi id obtinere ac efficere poſſent, Evangelicæ Paupertatis honorem cum divitiarum terrenarum commoditatibus libenter conjungerent. Ut ſublimis hæc in ultimo die judicandi poteſtas exerceri queat, non ſufficit, profeſſum fuiſſe Paupertatem, ſed oportet, illam exercuiſſe cum omni perfectione: *Dominus ad Judicium veniet cum Senibus populi ſui*; dicit Iſaias *Cap. III. v. 14.* cum Senibus, nimirum, ùt S. Auguſtinus interpretatur, cum Perfectis, & iis, qui promiſſum Chriſto datum

tum, de conſectanda illius amore vita paupere, ſervârunt, ac promeriti ſunt, ut & Chriſtus datum illis promiſſum ſervet, de admittendis ipſis in Judicando ſociis.

Et nihilominus id omne, quod hucuſque commemoravimus, leve adhuc præmium eſſet, niſi menſura ſupereffluens æterni in cœlo præmii accederet. De hoc autem adeò certi ſunt Pauperes ſpiritu, ut JEſus Chriſtus non dixerit: *Ipſorum erit Regnum cœlorum;* ſed, quòd jam nunc ad ipſos pertineat: *Ipſorum eſt Regnum cœlorum. Matth. V. v. 3.* quamvis enim illius poſſeſſionem nondum obtinuerint, pretium tamen pro illo jam reddidêre, atque adeò, cùm illud jam emerint, illius quoque dominium jam acquiſivêre. Quantam igitur cauſam habuit S. Hieronymus ad Pammachium ſuum ſcribendi: *Parva dimiſimus, & grandia poſſidemus!* Nos omnes pauperes naſcimur, & pauperes ſimiliter morimur; & nihilominus, ſi eligamus, pauculîs iſtîs momentîs, quæ inter nativitatem & mortem noſtram intercedunt, etiam vivere pauperes, paucula illa momenta ſublimi adeò mercede tam in tempore, quàm in æternitate penſabuntur. Et evenire tamen poſſit, ut cor noſtrum, poſſidendi tam cupidum, pretiô tam levî, quale eſt caducîs ſe bonîs abdicare, comparare nolit theſaurum immenſum, qualis eſt ipſe Deus?

Actus

Digitized by Google

Actus, quibûs exercetur Virtus Religioſæ Paupertatis.

VIrtus Paupertatis, utì diximus, duo continet, nimirum quòd omnis erga bona terrena ſeponatur affectus, & quòd eadem bona ipſo opere voluntariè deſerantur; exercetur proinde duobûs actuum generibûs, externorum videlicet, ac internorum. Faciamus initium ab externis, quæ ſunt veluti corpus nobilis iſtius virtutis.

Primò igitur exteriùs exercetur Paupertas, dum obſervatur voti promiſſi ſubſtantia. Sed oportet, ut obligationem illam hîc intelligas, quam tibímet per hoc votum impoſuiſti; nimirum, quòd Domino Deo ſolemniter promiſeris talem bonorum omnium temporalium expoliationem, ut inde ſis in perpetuum factus incapax dominii ac juris omnis in illa obtinendi. Hinc omne id, quod habes ad uſum tuum, utì veſtes, cubiculum, & quæ in illo ſunt, pretium laborum tuorum, quidquid Parentes, propinqui, vel amici tibi donant, tuum eſſe non poteſt; ſed omne dominium ſemper eſt penes Cœnobium; tu verò ex rebus iſtis omnibus aliud habere non potes, quàm ſolum uſum, qui à Superiorum voluntate ſemper dependeat. Atque hoc inter Doctores eſt penitus certum; unde rem aliquam temporariam acceptare, ut pro lubitu de illa diſponatur, donare, commodare, vendere ſine

ſine communi vel particulari, tacita vel expreſſa Superiorum facultate, idem eſt, ac eam alteri ſurripere, ac furari, imò pejus eſt, quàm furtum ipſum, quia, ſi materia gravis eſt, intervenit etiam malitia ſacrilegii contra votum. S. Aloyſius Gonzaga ne papyri quidem folium ſocio ſuo commodare voluit, quin facultatem priùs à Superiore peteret; atque, ut Paupertatem & Obedientiam perfectiùs coleret, ne communem quidem facultatem petere voluit, ſed eam, cùm opus erat, ſingillatim petîit. Tu communem ſaltem dandi, accipiendi, & commodandi res minoris pretii ac momenti, facultatem pete, niſi animum habeas imitandi Sanctum hunc Juvenem in particulari qualibet occaſione. Eadem porro ratio, ut hac ex parte tuo ſatisfacias debito, in communibus Cœnobii tui rebus tenenda tibi eſt, quam tenere debes in iis, quæ ad tuum tibi uſum fuêre conceſſa. Nam ſi aliter in iis conſervandis ageres, manifeſtum dares indicium, quòd majorem ad illas affectum habeas, & veluti res tuas poſſideas, quæ tamen in veritate tuæ non ſunt, ſed à Superioribus tibi ſunt conceſſæ, & quidem non niſi ad uſum. Narrat Caſſianus, quòd quidam unius è Sanctis illis antiquis cœnobiis Procurator, cùm per culinam tranſiret, tria lentis granula, quæ coquo fortè exciderant, in terra conſpexerit, eáque de re Abbatem admonuerit, qui coquum illum eapropter

objurgavit, eiſque velut in conſervandis cœnobii rebus, utpote Deo conſecratis, negligenti pœnitentiam impoſuit. Cæterùm explicari facilè non poteſt, quo rigore in primo Religionum fervore puniti ſint illi, qui Paupertatis votum, etiam in levioribus, violârunt. Reginaldus, in Conventu S. Dominici Bononiæ Prior, cùm intellexiſſet, quòd nonnemo è Fratribus, quos ipſi Converſos appellant, absque facultate pallii fruſtrum accepiſſet ad reficiendam ſuam tunicam, eum ad Capitulum, uti vocitant, præſentibûs cæterîs Religiosîs omnibûs advocavit, ibique objurgatum, furis inſtar publicè punivit, & eodem in loco illud aſſumentum tunicæ, quod miſer uſurpaverat, combuſſit. At, ſi materia, ſine debita facultate uſurpata, paulò erat notabilior, gravior etiam infligebatur pœna; poſt mortem enim eruebatur è tumulo cadaver delinquentis, & ſepeliebatur in ſterquilinio, uti fecit B. Albertus Magnus; materia verò, ſi inveniebatur, aut cum ipſo pariter cadavere infodiebatur, uti factum eſt à S. Macario, & S. Gregorio; vel comburebatur, altáque voce ingeminabantur illa verba: *Res tua, & pecunia tua tecum ſit in perditionem;* uti legitur in Chronicis Ordinis S. Hieronymi. Quod autem ipſe DEus ratam habuerit ſeveritatem iſtam, è multis etiam hiſtoriis conſtat. In Hiſtoria Sacri Ordinis Capuccinorum narratur, quòd, cùm

Fra-

Digitized by Google

Fratrum aliquis ſurripuiſſet Librum Horarum Canonicarum, dæmon, Monachi habitum mentitus, & nigra veſte tectus apparuerit, atque de commiſſo iſthoc furto apud Loci Guardianum, quem ita nominant, conqueſtus fuerit. Cùm Guardianus Religioſos ſuos omnes, ut ſeſe defenderent, convocâſſet, malignus ille Spiritus oculos conjecit in furem, &, abjectâ larvâ, talem, qualis erat, ſe exhibuit, arreptóque Fratre, è cujus manicis illico Liber excidit, veram tam horrendi ſupplicii cauſam manifeſtè aperuit.

At exiguæ tibi laudi foret, ſi ſolùm non eſſes ſacrilegus, violando votum tuum; altiùs aſcendere te oportet, ad ſecundum videlicet Paupertatis Evangelicæ gradum, expoliando te voluntariè iîs omnibûs, quæ ſuperflua tibi ſunt, id eſt, quæ neque neceſſitati, neque caritati ſerviunt. S. Thereſia ſolebat identidem luſtrare cubiculum ſuum, ut obſervaret, annon aliquid ibi inveniret, quo privare ſe poſſet; &, ſiquid inveniebat, mox illud aſportabat aliò. Sed quia Paupertas in omnibus Religioſorum Ordinibus eodem modo exerceri non poteſt, tu Religioſos illos obſerva, qui tecum in eodem cœnobio cum perfectione vivunt, & hos in veſtitûs, habitationis, & rerum cæterarum ſimplicitate imitari ſtude. Interim id ſolùm judicare ſuperfluum potes, quod eſt præter conſuetudinem, quódque Religioſis perfe-

ctioribus, ac tenerioribus animis, quibúſcum vivis, in uſu non eſt. Neque illo te obtentu decipi ſinas, quòd illa omnia, quæ habes, cum facultate Superiorum habeas; quia facultas hujusmodi, ſi juſta non eſt, uti illa, quam accipis pro elargiendis donis majoribus, quàm Homini Religioſo conveniat; nulla eſt, nihilque te juvat. Si verò facultas juſta eſt, à culpa tantummodo te liberat, ſed præmium, Pauperibus ſpiritu promiſſum, tibi non comparat.

Ultimus externæ Paupertatis ſpiritûs gradus eſt, non ſolùm ſuperfluîs ſe privare, ſed interdum etiam circa res neceſſarias defectum pati; nam alioquin, uti loquitur S. Bernardus, quale Pauperum genus conſtituunt illi, qui nolunt, ut res ulla ſibi deſit, & tumultibûs domum implent, ſi de omnibus non ſit illis integre proviſum? Hoc nimirum eſſet honorem velle Paupertatis, & commoda divitiarum, & talium quidem divitiarum, quæ ſæpe ſæpius etiam in mundo non inveniuntur, ubi vel Ditioribus ſæpenumero res multæ deſunt, quæ neceſſariæ tamen illis pro ſuo ſtatu videntur. Præcipuè verò Paupertatis hujus exercendæ occaſionem habebis tempore invaletudinis, in qua vel ipſum morbi tædium tibi perſuadebit, quòd malè ſit tibi à cœnobio proviſum, & quòd illi, quorum intereſt, tui ſint valde immemores. Id equidem non ita forſiſitan habebit, ſed illud potiùs verum erit,

quòd

quòd tu ipſe ſis immemor, te pauperem Religioſum eſſe, quódque, uti dicebat S. Thereſia, ad Religionem ideo ſis vocatus, ut diſceres pro Chriſto mori, non verò, ut illius amore bene ac lautè habearis. Atque iſti ſunt tres gadus Paupertatis ſpiritûs, qui exteriùs apparere debent, perfecti tamen non erunt, niſi aliîs tribûs interioribûs animentur. Sunt autem iſti: Paupertatis exercendæ occaſiones acceptare 1. *cum gaudio*; 2. *cum gratiarum actione*; 3. *cum admiratione*. Si Paupertas, quam profitemur, non eſt miſera mendicitas, ſed virtus adeò ſublimis, uti diximus, & actus Religionis ob editum votum, is planè oſtendit, illius ſe pretium ignorare, qui illam non niſi coactus exercet. Qui verè ſunt Pauperes ſpiritu, vellent, ſi fieri poſſet, in mundo eſſe, uti globus in plano; ita nimirum, ut mundum unicô ſui punctô duntaxat attingerent. Adverte dein, an gemant, ſi illo ſe privatos videant, quod ipſimet judicabant, impedimento ſibi futurum in ſequendo, & aſſequendo ſuo Redemptore? Quin potiùs in hujuſmodi occaſionibus gratias illi Deo ex corde ſincero referunt, quòd participes illos efficiat virtutis JEſu Chriſto tam dilectæ, qualis eſt Paupertas; quam ille in ſuo ſemper comitatu habuit ab ea omnino die, qua vitam in ſpecu Bethlemitica cœpit, ad illam uſque horam, qua ſpiritum ultimum in Calvariæ monte exhalavit. Proinde videntur il-

li ſibi ad dignitatem creatîs omnibûs ſublimiorem elevati, & obſtupeſcunt, quòd veſtiariam veluti teſſeram ſui Domini circumferre ſibi liceat, qua.ſe ex omni parte indignos judicant. Magnum virtutis hujus, & affectionum, mundi amatoribus tam ignotarum, exemplum nobis præbuit S. Eliſabetha, Hungariæ Regina. Maritô ſuô orbata illa jam eſt vigeſimô circiter annô ætatis ſuæ; cúmque ille vix obîiſſet, inſurrexit in illam populus, eámque per ſummam ignominiam non ſolùm è Palatio, ſed & ex omnibus ejus ditionibus ejecit, adeò ut vel de nocte tumultuantium ſubditorum furias fugere debuerit, non niſi pauculîs Pediſequarum ſuarum comitantibûs, quæ filiolos ejus, mendicitatis ac exilii ſocios, in brachiis portabant. In hoc igitur rerum ſtatu, ab Affinibus ſuis contempta, à ſervis ſuis derelicta, ab illis ipſis Pauperibus, quibus ipſa, in meliore fortuna etiamnum conſtituta, tanta cum caritate ſubminiſtraverat alimenta, ludibrio habita, eò devenit, ut magni favoris locô habere debuerit, quòd in ſtabulo quodam ſibi licuerit habitare, & incertæ quidem, an finem hîc eſſet habitura perſecutionum & infortuniorum ſuorum ſeries. At perſecutiones & infortunia hæc locum apud Eliſabetham non habebant; illa enim, in hoc rerum articulo ſanctæ cujusdem lætitiæ plena, mirabatur, quòd adeò ſimilis evaſiſſet vitæ Chriſti, quam ipſe in terris degebat;

bat; &, quoniam coram Deo ſe locupletem adeò videbat, poſtulabat opem, ut favori tam ſingulari poſſet reſpondere; ſat magnas enim gratias ſe ſolam referre non poſſe arbitrata, Divi Franciſci templum acceſſit, & ſanctos illos Religioſos demiſsè rogavit, ut Divi Ambroſii Hymnum plenô chorô decantarent, gratias Deo pro tanto bono reddituri. Credi poteſt, Angelos ipſos alterum conſtituiſſe chorum, ut vocibus illis, illisque affectibus reſponderent, qui quàm ſunt contrarii communi hominum carnalium exiſtimationi, tam proprii deberent eſſe Religioſis illis, qui hanc bonorum temporalium expoliationem editô etiam votô promisêre ſupremo Domino, ac proinde illam ita omnino exercere deberent ad honorem Divini illius Magiſtri, qui à Paupertate inchoavit Exemplum vitæ, dum natus eſt in ſtabulo, & à Paupertate ſuam inchoavit Doctrinam in monte, ubi Beatos pronuntiavit Pauperes voluntarios: *Beati Pauperes ſpiritu.*

MEDITATIO SECUNDA.

Pro quinta Exercitiorum die.

De Circumciſione Domini.

I.

Conſidera, quòd Chriſtus Dominus, cùm in mundum venerit, ut eſſet animæ tuæ

Digitized by Google

Medicus, vix natus, ſuum excercere jam incipiat officium in Circumciſione, & primò ſacratiſſimum ſuum *Sanguinem* præbeat, ut medeatur ſenſuum tuorum appetitui, per peccatum corrupto. Sanguis hic eſt arrha copioſioris illius, quem aliquando eſt in tua Paſſione profuſurus; ſed amor, quo illum donat, eſt adeò magnus, ut paratus eſſet, etiam nunc omnem omnino profundere, niſi majoribus illum tormentis, & majori tuo commodo reſervaret. Quid adhuc tu egiſti, ut tanti amoris, quo in tuam ferebatur ſalutem, abundantiæ reſponderes? Chriſtus feſtinat pro te pati, támque doloriferum vulnus, & legem adeò duram admittit, quamvis illi nulla ſe ratione ſubmittere teneatur; tu verò an recordari potes, quòd poſt longum adeò tempus, quo Deo ſervis, ipſius amore laborem aliquem notatu dignum toleraveris, aut inſignem aliquam de animi tui paſſionibus victoriam reportaveris? Et tamen ex levi qualibet cauſa relaxationem tibi ab adimplendo tuo debito concedis, & examinas, quid ſub gravi culpa te obſtringat; veluti ſi metueres, ne metam excedas, & erga Redemptorem tuum ſis nimiùm liberalis. Hóccine eſt illum imitari? hoc illius amori reſpondere? Erubeſce ingratum animum tuum, dum non modò non reddidiſti ſanguinem pro ſanguine, ſed interdum ne levem quidam corporis afflictationem in culparum tuarum pœnam ſuſcepiſti.

Gratias

Gratias age Deo, quòd tantîs ſuîs ſumptibûs mederi voluerit inordinatis ſenſuum tuorum appetitibus, tantísque te impensîs edocere, qua ratione circumcidere cor tuum debeas. Et quoniam afflictatio ſui eorum eſt nota præcipua, qui Deo ſerviunt, propone, impoſterum te privare commoditatibûs illîs, & oblectationibûs, quæ non ſunt omnino neceſſariæ, tuúmque corpus majori cum rigore ſubigere, uti fecêre Sancti omnes, qui Chriſti Redemptoris veſtigiis inſtitêre. Roga Deum per Sanguinem iſtum, quem pro te effudit, ut cor tuum adversùs temetipſum obduret, & ad ſuum amorem emolliat, ut, cùm vitæ tuæ primitias illi non obtuleris, ſaltem illius reſiduum ipſi non deneges.

II. Conſidera, quòd JEſus Chriſtus non ſolùm præbeat ſuum Sanguinem, ut medeatur corrupto ſenſuum noſtrorum appetitui, ſed & *Honorem* ſuum impendat, ut medeatur ſpiritui noſtro, per ſuperbiam penitus infecto. Quamvis per omnem vitam ſuam ſe Chriſtus JEſus amore noſtri demiſerit, numquam tamen aliàs id majori cum abundantia fecit, quàm in ſua Circumciſione. Ibi enim non ſolùm in forma hominis, & hominis quidem infirmi, debitis, & miſeriis ſubjecti, qualis eſt infans, apparuit; non ſolùm apparuit in forma peccatoris, peccati cicatricem in carne circumferentis; ſed præterea nullum è cœlo teſtimonium vidit, quo

prodigioſa hæc ipſius demiſſio, uti factum eſt aliàs, illuſtraretur. Angelorum concentus, & novi ſideris fulgor humilitatem naſcentis in ſtabulo, Pater æternus ac Spiritus S. humilitatem ſuſcipientis in Jordane baptiſmum, Sol obſcuratus & elementa omnia, quæ ſeſe commovebant, humilitatem morientis in Cruce imminuerunt; at in Circumciſione non viſum eſt ullum prodigium, ſed mera humilitas; quia nimirum JEſus Chriſtus Honoris ſui impendiô medicinam parare voluit ſuperbiæ tuæ, quæ aliorum omnium peccatorum tuorum radix & origo eſt. Quid-ſi verò neque hæc amoris copia reddendæ tibi ſanitati ſufficiat? O quantùm vel ex hoc ſolo capite debes erubeſcere, quòd ſatis erubeſcere neſcias! Chriſtus apparere peccator voluit, quin ulla ſe ratione defenderet, cùm tamen ipſiſſima eſſet Innocentia; tu verò cùm tot peccatîs ſis onuſtus, tibi ſatisfacis, ſi in creaturarum oculis talis non appareas, qualis reipſa es; & mille rationes invenis, ut appareas innocens, quin tamen vel minimùm cures, innocens eſſe coram oculis Dei! O quanta eſt miſeria tua, ſi non ſolùm hæc Redemptoris exempla fuêre neceſſaria ad ſanandam ſuperbiam tuam, ſed inſuper ad eandem perſanandam ne ſufficiunt quidem! Statue, non eſſe deinceps tam ſolicitus pro tua apud homines exiſtimatione; ad terram aliquàndo tandem proſterne maledictum illud mundani honoris idolum, illúdque in

fruſta

Digitized by Google

fruſta denique concíde, & pedibûs conculca. Talis es, qualis in oculis Dei es, & ampliùs nihil. An igitur veritatem vis amittere, ut ſecteris umbram? Gratias age Deo, qui tantîs ſuîs impensîs in doctrina, ad ſalutem & perfectionem tuam tantopere proficua, te inſtituit. Roga Ipſum per illam amoris abundantiam, qua dignatus eſt admittere peccati ſtigmata, cùm tamen eſſet ipſa Sanctitas, ut gratiam tibi largiatur, qua ſemper de peccatis tuis, nunquam verò de illorum correctione ac remediis erubeſcas.

III. Conſidera, quòd Chriſtus Dominus, dum circumcidi ſe patitur, non ſolùm in malorum tuorum medicinam ſuum impendat Sanguinem, ac ſuum Honorem; verùm etiam, ut adverſùs infirmitates tuas te roboret, ſuum quoque ſanctiſſimum *Nomen*, ſolatio ac ſalute plenum, tibi largiatur. Hoc *JESU* Nomen non ſolùm perfectionum omnium, quæ Servatori, quà Deo, conveniunt, omniúmque virtutum, quæ Illi, ùt Homini, competunt, eſt compendium; ſed inſuper eſt ſummarium quoddam illorum omnium, quæ pro ſalute tua fecit, &, niſi à teipſo fuerit impeditus, adhuc facere conſtituit, ut opus ſuum perficiat, téque reipſa ad finem tuum ultimum, qui cœlum eſt, perducat. At quoties amabiliſſimis iſtis Ipſius propoſitis tu te oppoſuiſti? &, cùm Ipſe Servator tuus eſſe cuperet, tu è manibus Illius peccando elapſus, oblatam ſalutem neglexiſti? Quid actum de te

te fuiſſet, ſi te in peccatis tuis dereliquiſſet? ſi animam tuam minùs amâſſet, quàm amaverit? In quanta miſeriarum abyſſo ſine Illo, in quanto tenebrarum barathro abſque divino iſto Sole æternùm hæſiſſes! Erubeſce igitur, ùt oportet, hanc ingrati animi & peccati maculam, & propone, divinum hoc Nomen ita imprimere cordi tuo, ut ampliùs deleri nequeat, & in omnibus animæ tuæ neceſſitatibus magna cum fiducia Deum adire; pro ſalute ac perfectione tua ſine ceſſatione laborare, ſolicitè attendere, ut bonum ubique exemplum præbeas, & omnibûs aliîs modîs id efficere, quod JEſus Chriſtus nomine, nobis tam dulci, ſibi verò tam laborioſo ac dolorifero quærit.

EXAMEN
Pro die quinta.
De Modo, quo erga Deum te geris.
I.

EXamina te de *Omiſſionibus*. 1. An Deo pro acceptis beneficiis gratias agere, & eorum pondus ac numerum æſtimare negligas? 2. An rarò de tuis peccatis doleas; ac divinæ Juſtitiæ per actus internæ externæque Pœnitentiæ ſatisfacere non ſtudeas? 3. An in laboribus tuis, ac eventibus cæteris divinam Providentiam agnoſcere omittas? 4. An divinæ Præſentiæ penitus obliviſcaris, itáque

que agas, velut ſi Ille non te videret? 5. An ob eventus proſperos gloriam Illi non tribuas? 6. An ad Illum in tuis neceſſitatibus per Orationem properè non recurras? 7. An ad fructuoſè peragenda exercitia tua ſpiritualia te præparare, mentis evagationes ſtudioſè repellere, & debitum tempus Pietatis operibus tribuere omittas? 8. An rectæ intentionis interdum obliviſcaris, & ex conſuetudine tantùm agere, ac temere ſoleas? 9. An ſis negligens in repellendis cogitationibus, ſanctæ fidei contrariis, illísque timoribus, qui in divino ſervitio languere tefaciunt?

II. Examina te de *Cogitationibus*. 1. An averſionem à bonis operibus ſentias? 2. An non læteris, ſi novum aliquod nuntium audias, ad Dei gloriam pertinens, aut non indoleas, cùm illi contrarium quid intelligis? 3. An de conſiliis, quæ Dominus in Evangelio tradidit, debitam æſtimationem non habeas? 4. An gravatè Divinæ te Voluntati ſubjicias? 5. An parùm deſideres Deum amare, & parùm deſideres Ejus videndi causâ pervenire in cœlum? 6. An in Actionibus tuis illud ſolummodo pro ſcopo non habeas, ut illi ſatisfacias? 7. An Illum magis ames ob tuum commodum, quàm ob ſuúmmet meritum; hic enim amor, etſi malus non ſit, perfectus tamen non eſt; & ſi hæc ſola foret animi tui intentio, ad ſalutem planè non ſufficeret.

III. Examina te de *Verbis*. 1. An in choro, vel in templo absque neceſſitate loquaris?

ris? 2. An libenter loquaris de rebus bonis vel ſacris? 3. An ſine neceſſitate jures, & absque debita conſideratione nomen Domini pronunties? 4. An officium divinum nimis feſtinatò recites; vel totum ſimul ſine juſta cauſa ſub veſperum, vel in loco, evagationibus opportuno, vel ſitu corporis minùs decenti?

IV. Examina te de *Operibus*. 1. An ſtudeas, dies feſtos ſanctiùs tranſigere, plus temporis orationi, & aliis Pietatis exercitiis tribuendo? 2. An per hujusmodi exercitia ad majores feſtorum ſolemnitates antecedentibûs novem diebûs te præpares? 3. An attentioni ſtudeas in audiendo Verbo Dei, quod pro concione proponitur? 4. An debitum tempus rerum ſacrarum lectioni tribuas? An legas tantùm ex vana ſciendi cupidine, an verò, ut inde proficias? 5. An ſis ſolicitus in perſolvendis præſcriptis operibus ad obtinendas pœnarum remiſſiones, quas vocant Indulgentias? 6. An cum interiori & exteriori reverentia coram præſente Deo in tuæ Pietatis exercitiis verſeris? 7. An preces, ante & poſt menſam recitari ſolitas, interdum negligas? 8. An perfunctoriè trinam ſalutationem Angelicam recites, cùm illius recitandæ ſignum auditur? 9. An interdum ex amore Dei temetipſum aliquo tuo guſtu prives? 10. An divinis inſpirationibus obtemperes, & eam, quam decet, illarum æſtimationem habeas? 11. An ſanctos tuos Patronos

nos colas, & pietatis opera, illorum honoribus cœpta, proſequaris? 12. An ſingularem cultum & animi devotionem profitearis erga Beatiſſimam Virginem, utpote Sanctorum omnium ſanctiſſimam? An eam frequenter invoces cum magna in ejus clementiam atque potentiam fiducia? An in ejus honorem tibi vim interdum inferas? Defectus, quos inveneris, deteſtare, & reliquos actus, quorum aliàs eſt facta mentio, etiam hîc exerce.

MEDITATIO TERTIA
Pro quinta Exercitiorum die.
De Adventu Magorum ad adorandum JEſum.

I.

COnſidera viam, quam tibi, ut Chriſtum invenias, tres Magi oſtendunt per Promptitudinem in aggrediendo itinere, per Conſtantiam in eo proſequendo, per Liberalitatem in eodem conſummando Muneribûs ſuîs, Myſteriorum plenîs. Et primò quidem ſingularem Regum iſtorum *Promptitudinem* animadverte, dum voci Dei, per ſtellam ſibi indicatæ, obedientiam tam alacriter præſtant. Videtur Promptitudo iſta nonnulla in re ipſius Abrahami promptitudinem ſuperare, cùm Abrahamo locutus fuerit Deus per ſemetipſum linguâ clariſſimâ, qualis non

erat

erat corpus illud lucidum, quod in cœlo recèns apparuerat. Id verò certum eſt, quòd Magorum obedientia ſingularis omnino fuerit, ſi comparatio fiat cum reliquis Gentilibus, qui eandem quoque ſtellam viderunt, & cum ipſis etiam Judæis, qui Prophetarum præterea habebant oracula, & nihilominus ad Dominum inquirendum permoti non ſunt; cùm illi è diverſo quamprimum reliquerint domum, facultates, & Regnum, ſeſéque itineri diuturno, laborioſo, periculîs pleno commiſerint, ut terras peterent alienas, incertô licèt viarum ſuarum terminô. Deinde, quantùm, putas, laboraverit Sathanas, Mundus, & Caro, ut difficultates, quas reapſe experiebantur, multîs aliîs difficultatibûs imaginariîs augerent, uti facere ſolent tres illi inimici noſtri, dum agitur de obſequiis Deo præſtandis? Magi nihilominus aliis argumentis omnibus aures occluſêre, eáſque vocanti ſolùm Deo apertas præbuerunt. Cogita jam parumper, quot jam ſtellas apparere tibi fecerit Deus, ut te denique ad ſe pertraheret? Tot nimirum fuêre, quot inſpirationes, quas tibi ſubmiſit; tot fuêre, ut eas, ſicut in cœlo ſtellas, numerare non poſſis. Sed ubi vel quando te à ſtellis iſtis dirigi ſinis, dum, ut ne commoditatem aliquam, quamdam amicitiam, quamdam familiaritatem deſerere debeas, locô moveri non vis, & poſt tot Religionis annos nec paſſum unum progrederis? Jam denique illuxit tem-

tempus, ut in hoc receſſu à Divina Voluntate dirigi te ſinas ad inveniendum JEſum. Nunc Ille majori luce te vocat; & quis novit, an unquam ampliùs, ſi vocem hanc ſpernas, parî modô ſis vocandus? Inter divinas inſpirationes ſunt aliquæ ſingulares, & quaſi ſtellæ primæ magnitudinis, ex quibus magnopere dependere poteſt æterna noſtra ſalus, quæque ſine magno damnationis noſtræ periculo repudiari non poſſunt, cùm evenire queat, ut in pœnam intermiſſæ obedientiæ Deus impoſterum nobis donet gratias identidem magis debiles, minúsque fortes, unde denique omnino pereamus. Veniam igitur pete, quòd divinis vocibus adeò malè reſponderis; attende, quænam affectio, qua miſeræ huic terræ adhæres, ſit maxima; ſtatue, magnô illam animô abrumpere, ut totum te Deo ſine ulla exceptione tradas; eúmque roga, ut, cùm ipſe ſit mortuus ad promerendam tibi internarum ſuarum inſpirationum gratiam, per ipſum ſuum Sanguinem vires tibi largiatur, promptiſſimè Illum ſequendi, quò te vocare dignatur.

II. Conſidera Magorum *Conſtantiam* in proſequendo ſuo itinere, non obſtantibûs quibûsvis impedimentîs, quæ vel in ipſa Urbe Jeroſolyma ſe oppoſuêre. Nam primò illis diſparuit ſtella, quæ tantum illis in itinere ſolatium attulit; deinde turbata eſt univerſa ſancta Civitas ob rei novitatem; ac denique Herodes, juratus novi Regis, qui Chri-

ſtus erat, inimicus, totus eſt mente dimotus. Sed vides, quòd Sancti Reges non ideo perdant animos, quódque in ſtellæ vicem ad interrogandos rerum peritos recurrant, & vel in Aula Tyranni ſanguinarii ac ſuperbi in novum Regem audacter inquirant. Compara hanc illorum Conſtantiam cum animo tuo puſillo, ut erubeſcas, & remedium illius addiſcas. Diſparebit tibi ſtella, id eſt, ſenſibilis à te pietatis affectus recedet; at non ideo viam perfectionis abrumpere debebis. Si ſtella tibi non luceat, illi non deerunt, qui ejus locum occupant, ſúntque intra te Fidei lumen, & extra te Superiores, & animorum Arbitri, qui viam te docebunt, ſi illos, ùt oportet, conſulas, per obedientiam. Poſtmodum, ubi primùm id ages, ut integre te Deo tradas, non ſolùm Herodes, Satanas inquam, ſe contra te eriget, ſed & ipſa Jeroſolyma, alii nimirum Religioſi, ſive ex quodam in te amore naturali ac terreno, ſive ex quibusdam opinionibus ſpiritui contrariis; hi omnia ſus déque vertent, dicéntque, quòd tanto te fervore velis interimere; quòd perdurare in illo nequeas; quódque neceſſariò omnia futura ſint irrita. Hîc itaque prodere ſe debebit conſtantia tua, ut terreri te non ſinas, ſed collocatâ in eo, qui te invitat, fiduciâ, ad id unum attendas, ut illum ſequaris, & alium in itinere tuo non conſulas, niſi eum, qui Dei locum obtinet. Dole, quòd hæc ſalutis dictamina ſecutus adhuc non fueris, téque

que Deo totum offer, ut iîs te mediîs dirigat, quæ magìs ipſi placuerint, modò te ad inveniendum ſe juvet; pete præterea gratiam, ut, quoniam multi ſunt vocati, pauci verò electi, etiam tu in paucorum iſtorum numerum admittaris, atque ad ſalutem æternam pervenias.

III. Conſidera Magorum *Munera*, quæ Infanti, ubi illum invenêre, mox obtulerunt. Cùm ad ſtabulum pervenerunt, licèt nec apparatum Regium, nec aliud Regis indicium invenerint, ſed Paupertatem ac Humilitatem ſolam, Fide nihilominus duce, JEſum, cœli terræque Dominum, & Mundi Redemptorem agnoverunt, eúmque adoraturi in terram ſe proſtravêre, ac obtulêre ſua munera. Vides igitur, quòd novi Regis obſequiis primò ſubjecerint cor & animum per Fidem, deinde corpus per Adorationem, ac demum externa bona per Aurum, Thus, & Myrrham. O felicem te, ſi nôſſes, idipſum facere, & conſecrare Deo, quidquid ſive interiùs ſive exteriùs in terra poſſides! Sed quid deinde foret, ſi hæc tam magna munera per tuam Profeſſionem oblata, poſtmodum velles repetere, vivendo pro tuómet arbitrio, & nolles hunc Regem Pacis dominari in corde tuo? Et nihilominus inordinatum hoc facinus toties renovas, quoties amorem tuímet ipſius in dominii partem & conſortium vis admittere. Non ita deinceps age; JEſus enim vult regnare ſolus, & regni Collegas non ad-

mittit; & propterea proteſtatur, quòd ſub idem tempus contrariis duobus dominis ſervire non poſſis. Itaque alteri cuivis Domino, qui JEſus non eſt, ſervitutem renuntia; Hunc verò præteritæ infidelitatis veniam roga; fidelitatem Illi denuo confirma per innovationem votorum tuorum, Eúmque precare, ut paupercula tua munera dignetur admittere, tibíque gratiam impertiatur, ut imposterum ea non repetas, in antiquum tuum teporem relabendo.

MEDITATIO QUARTA

Pro quinta Exercitiorum die.

De JEſu perdito, & in Templo reperto.

I.

COnſidera, quomodo perdatur JEſus, id eſt, tenerior ille pietatis ſenſus, per quem in oratione ſe nobis communicat Deus; deinde quomodo ab hominibus Religioſis quæratur; & ubi tandem reperiatur. *JEſus perditur in reditu* à Templo: *Cùm redirent;* nimirum, cùm anima in divino ſervitio retrocedit, dum incipit omittere, aut non integre perſolvere conſuetas ſuas pœnitentias, ſolita ſua pietatis ac virtutis exercitia. Nam licèt interdum ſine culpa perdatur, ùt Illum Beatiſſima Virgo, & S. Joſeph perdidêre;

re; non rarò tamen ejusmodi jactura eſt notabilis alicujus negligentiæ pœna. Id verò longè pejus eſt, ſi animæ, quæ Dei perdendi occaſionem præbuêre, nequicquam exiſtiment, quòd illum etiamnum habeant penes ſe: *Exiſtimantes illum eſſe in comitatu;* ac proinde in periculis, quibus ſe exponunt, ſolicitæ omnino non ſint, veluti ſi in illis ſatis ſecuræ forent. Cæcitas hæc eſt, ad quam per negligentiam pedetentim pervenitur; imò ad ſtatum devenitur adhuc miſeriorem, quia non perditur ſolùm per peccata venialia ſenſibilis pietas, ſed & ipſa Dei amicitia per peccata mortalia. Inquire hîc in originem tuarum ariditatum, ut intelligas, an ſe abſconderit JEſus, ut tuam probet fidelitatem, an verò, ut ſuam tibi oſtendat indignationem, téque pro merito caſtiget? Quidquid id ſit, deprime te; at majorî ſtudiô, ſi per tuámmet culpam ſeſe abſcondendi occaſionem Illi dederis, & tanti præcipitii oras diu tenueris, quin tamen interim timeres, etiamſi Deo cauſam præbueris te penitus deſerendi, & in manu perverſæ tuæ voluntatis te relinquendi. Deteſtare igitur hanc tuam temeritatem, & gratias age Deo, quòd malitiâ tuâ ſe vinci non permiſerit; propone, quòd deinceps magna cum ſolicitudine in divino Illius conſpectu velis ambulare: *Solicitum ambulare cum Deo tuo: Mich. VI. v. 8.* ut tuâ culpâ non perdas illa majoris familiaritatis indicia, quæ tibi exhibere paratus eſt Deus, &

multò ampliùs, ut divinâ Illius gratiâ non excidas. Denique Servatorem tuum roga, ut te deinceps modô tam horribilî, ut Illius fias inimicus, deſerere non velit, ſed gratiâ ſuâ divinâ te adjuvet, ut, ſi quando pietatis ſenſum amiſeris, ſubſtantiam tamen pietatis non amittas, & potiùs vitam millies, quàm divinam Ipſius amicitiam perdas.

II. Conſidera, *quomodo quæratur JEſus*, poſtquam eſt amiſſus. Beatiſſima Virgo id nos docet, dum Eum quæſivit cum celeritate, cum reſignatione, cum perſeverantia. Quamprimum illa JEſum amiſſum eſſe advertit, cum S. Joſeph illico Jeroſolymam rediit. Dum in Eum inquirebat, non lamentis & querelis indulſit, etiamſi Illum amiſerit ex occaſione cultûs ac honoris Divini, dum videlicet Jeroſolymæ Templum adivit; ſed potiùs talis Filii ſocietate ſe indignam reputans, diu noctúque in Eum inquirere tamdiu perrexit, dum Illum denique die tertia reperit. Modum hîc adverte, quo tenerum pietatis ſenſum erga Deum quærere debes, cùm illum amiſiſti: Non differas de die in diem, ſed eodem temporis puncto adhibe media, illi reperiendo idonea; conſueta pietatis exercitia vel iterum aſſume, vel proſequere; nam ea ſi aliquamdiu intermittas, hac te jactura parùm angi, ac proinde bonum illud, cujus recuperatio tam parùm tibi cordi eſt, non admodum te amare, oſtendis. Deinde oportet ſeſe demittere, & cœleſtibûs favori-

bûs

bûs indignum agnoſcere; non verò ſuperbè conqueri, & veluti per vim reperire velle. Denique dum differtur, oportet unà creſcere deſiderium tuum, ita, ut requiem non habeas, dum illum repereris. Ita quæritur JEſus. Tu verò, qui non ſemel Eum perdidiſti, hac in Eum ratione ne ſemel quidem inquiſiviſti. Erubeſce ſocordiam tuam in tanti momenti negotio, ex quo pendet ſalus, & perfectio tua. Propone, B. Virginem impoſterum imitari, eámque roga, ut hanc tibi gratiam obtineat, qua vel pietatis ſenſum deinceps non amittas, vel ſi amiſeris, eum inquiras tamdiu, donec repereris.

III. Conſidera, *ubínam JEſus inveniatur.* Non eſt inventus inter Conſanguineos, ſed in Templo, & in medio Doctorum. Cùm perdideris gratiam tenerioris affectûs, ac ſenſibilis pietatis, non invenies eam in rebus illis, quæ naturæ noſtræ ſunt conformes, ac ſenſibus noſtris blandiuntur; non in converſationibus, non in animi diſtractionibus, non in confabulationibus ad Portam, aut in Secularium domibus: *Nec invenitur in terra ſuaviter viventium. Job. XXVIII. v. 13.* ſed invenitur in Templo, id eſt, ubi per orationem agitur cum Deo, ubi leguntur libri ſacri, ubi narrantur exempla Sanctorum. Invenitur etiam inter Doctores Legis; volo dicere, cùm interiora omnia animi noſtri arbitro ſincerè panduntur; hunc enim Deus locô ſuô ſtatuit, ut viam nobis oſtendat, nósque

per ſemitam illam, qua inveniri poteſt, dirigat. Adverte jam ad modum adeò contrarium, quem in tuis adhuc animi ariditatibus tenuiſti. Tuâ negligentiâ perdidiſti dulcedinem Divinæ præſentiæ, & eam tuâ negligentiâ reperire neſciviſti, dum illam nec uti oportebat, nec ubi oportebat, quæſiviſti: *Si quæritis, quærite. Iſa. XXI v. 12.* Erubeſce ex utroque capite, & diſce, impoſterum eſſe cautior, & ferventior, ita, ut, quando gravi aliqua ſpiritûs tribulatione te oppreſſum adverteris, in orationis exercitio fideliter perſeveres, & ſenſuum tuorum ſolatia reſpuas: *Renuit conſolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus ſum. Pſal. LXXVI. v. 3* Recurre ad ſacratiſſimam Virginem, & beatiſſimum illius Sponſum, S. Joſephum, ut veritatem hanc imprimant cordi tuo; útque per dolorem illum, quem amiſſâ corporeâ JEſu Chriſti præſentiâ perſenſêre, & per illud gaudium, quod eo reperto guſtârunt, tibi gratiam obtineant, æqualiter proficiendi tempore ariditatis, ac tempore ſolatii, & in divino amore ſemper creſcendi.

SA-

Digitized by Google

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES SEXTA.

MEDITATIO PRIMA.

De Chriſti Tentatione in Deſerto.

I.

COnſidera *Præparationem*, qua ſe Chriſtus ad tentationem accinxit. Quemadmodum Ille ad noſtrum exemplum tentari voluit, ſic ad noſtrum pariter exemplum ad pugnam ſe parare voluit; ídque fecit per ſeceſſum, per orationem, per pœnitentiam. Ac primùm quidem ab hominum converſatione ſeceſſit, & in Deſertum abîit, ibique quadraginta dierum precibûs & jejuniô ad excipiendum Tentatorem ſe comparavit. Eſſe fors poterit, quòd in omnibus hiſce tribus multum tibi deſit. Nam fortaſſis in vicem ſecedendi & fugiendi pericula, ipſus illis obviàm procedis, dum oculis cæteríſque ſenſibus omnem indulges libertatem, & vanîs converſationibûs non modò tempus perdis, ſed & animum effundis. Deinde quomodo, & quo fervore, & quàm frequenter te Deo commendas, ut in animæ tuæ cuſtodia te juvet, & vel à dæmone tentari te non ſinat, vel ad illum ſuperandum ac fugandum tibi vires ſuppeditet? Hoc autem

Dei auxiliô quomodo te dignum reddis tam per internam affectionum tuarum victoriam, quàm per externam tui corporis afflictationem? Vincere quidem velles, ſed ad pugnandum te comparare non vis, ut laqueos deprehendas, antequam pedem figas; cuînam igitur imputare poteris damna tua, quàm tibiſmet ipſi, tuæque temeritati? Teipſum proin eapropter accuſa coram Deo, & ſincero corde culpam tuam deteſtare; propone, tam magnæ neceſſitati conſulere, & tanto defectui, ex quo pendere poteſt æterna tua ſalus, occurrere; ac Divinum illum Spiritum, qui Chriſtum deduxit in Deſertum, ut hæc ibi exempla tibi relinqueret, impenſè ora, ut vires tibi largiatur, ad amandam ſolitudinem, orationem, & pœnitentiam, útque hac ratione contra Tentatorem te invictum reddat.

II. Conſidera *Aſſultum*, adverſùs Chriſtum à dæmone triplici tentationum genere factum, ut, ſi una cecidiſſet irrita, alia certè deſideratum obtineret effectum. Prima tentatio fuit, qua Chriſtum ad minus aliquod peccatum allexit, nimirum ut miracula patraret ſine neceſſitate, & lapides converteret in panes; ídque eo fine, ut peccatum minus portam aperiret majori. Eadem te quoque ratione frequenter tentat, dum tibi perſuadet, exiguum id malum eſſe, quod tamen eſt grave; malum enim eſt initiô parvum, quod progreſſu fieri maximum poteſt. Sic amicitia quædam, quæ initiô ſolùm ſentitur,

fa-

facilè ad ſenſuum oblectationem deflectere, ac demum finiri poteſt cum amicitiæ divinæ jactura; inde jam colligere potes, quàm inſipienter adhuc egeris, dum non timebas, ubi tantam timendi cauſam habebas. Transformavit ſe poſtea dæmon in Angelum lucis, & majus Chriſto malum propoſuit, nimirum ut ſeipſum è templi faſtigio præcipitem daret; idque ſub ſpecie boni, ac fiduciæ, in auxilio divino collocandæ. Quoties & tecum ſic egit dæmon, dum tibi perſuaſit, eſſe prudentiam Caritatis, ſi ſociorum minùs Religioſorum genio te accommodes; cùm tamen id non eſſet niſi infirmitatis humanæ, & abjecti timoris indulgentia; dum tibi perſuaſit, eſſe demiſſionem animi, ſi illam erga Deum diffidentiam nutrias, quæ tamen reipſa non erat niſi mera tui ſpiritûs puſillanimitas. Hac illi ratione feliciter ceſſit negotium, ut te deciperet; nunc proinde, cùm majorem tibi lucem ſuppeditaverit Deus, diſce inimici tenebras agnoſcere. Denique cùm videret Satanas, primam ac ſecundam aggreſſionem à Chriſto eluſam fuiſſe, larvam depoſuit, eique rerum omnium, quæ humano cordi blandiri poſſunt, imaginem exhibuit, ac totius mundi dominium promiſit, ſi coram ſe procideret, ac veluti Deum ſe adoraret. Huc pariter collineat, cùm te ſuîs tentationibûs aggreditur; ubi ſimulando nihil profecerit, in apertam arenam prodibit, & vilia illa bona, quæ in mundo reliquiſti, & per ſancta tua vo-

vota Deo pridem obtuliſti, veluti ſumma tibi bona depinget, volétque impoſtor peſſimus, ut per defectionem manifeſtam Deo tergum obvertas, ſibi verò cordis tui claves præbeas. Vide igitur, quàm te oporteat eſſe vigilem, cùm negotium tibi ſit cum inimico, non minùs forti, quàm fraudulento; ac proin tuam hîc negligentiam agnoſce, cùm ad hanc uſque diem illius aggreſſiones parùm adeò curaveris. Non ita Viri Sancti fecêre, qui, licèt Leones eſſent, apertos tamen oculos etiam in ſomno habebant. Erubeſce de negligentia ac temeritate tua, & fatere etiam tu: niſi me Deus ſingulari ſua protectione ſervâſſet, hac ipſa hora non modò in abyſſum malitiæ decidiſſem, ſed in illa meam quoque manſionem nunc haberem: *Niſi quia Dominus adjuvit me, paulô minùs habitâſſet in inferno anima mea. Pſal. XCIII. v. 17.* Ora Deum, ut aſſiſtere tibi non deſinat, ſed in tuis tentationibus gratiam illam ſuppeditet, quam tibi promeritus eſt, dum amore tui tentari voluit.

III. Conſidera *Victoriam* Chriſti adverſùs omnes Tentatoris aſſultus, qui, denique in ruborem datus, abîit, cum animo tamen redeundi: *Receſſit ab Illo uſque ad tempus. Luc. IV. v. 13.* Jam ut vincendi artem tu quoque condiſcas, obſerva, quomodo Chriſtus victoriam hanc obtinuerit. Primùm igitur illico cœpit reſiſtere, & primis mox ſuggeſtionibus verba Scripturæ Sacræ oppoſuit.

ſuit. Deinde cum inimico congreſſus eſt magna cum animi tranquillitate, nec ullo modo perturbari ſe paſſus eſt. Denique tentationem magna cum animi fortitudine rejecit, ac dæmonem ſuæ vocis imperiô fugavit. In hac vincendi methodo veram cladium tuarum cauſam deprehendes. Primùm enim ſubſiſtis interdum, ac dæmoni colloqueris, ùt olim Eva cum ſerpente fecit, atque in faciem tentationis obtutum veluti defigis cum aliqua mora, cùm tamen illam primo ſtatim occurſu deteſtari deberes. Non meminiſti, munitam illam urbem, quæ incipit agere cum hoſtibus, à ſui deditione ac hoſtium ingreſſu parùm abeſſe? Aliàs à dæmone perturbari te ſinis, & quamvis ab animi tui arbitro ſis animatus, tuo tamen vis credere judicio, atque ita permittis, ut animi tui pacem tibi dæmon eripiat, qui in hoc affectuum tuorum turbido piſcari non infeliciter ſolet. In iis denique tentationibus, quæ apertiùs animæ tuæ machinantur mortem, & tollendæ divinæ gratiæ inſidiantur, quoties te nimis languidè geris, dum ſatis habes, quòd illi aſſenſum in animo tuo vix aliquantùm neges, cùm potiùs amici inſtar, ad perfidiam invitati, magno cum animo dæmoni reſiſtere, & non ſolùm oſtendere deberes, quòd illi non aſſentiaris, ſed & actus virtutis, tentationi contrarios, tamdiu exercere, donec inimicus, in ruborem & fugam datus, intelligat, ſagittas ſuas non ſolùm tibi vulnus non intuliſſe, ſed

in

Digitized by Google

ſtudium, & de ingenti bono, quod ſecum invehit ejusdem voluntatis abdicatio. Sed quid, ſi hæc ignorantia non ſolùm inter mundi aſſeclas, ſed inter ipſos etiam Religioſos inveniretur, qui tamen ſolemnî votô hanc propriæ voluntatis abdicationem promiſêre Deo? Ad reſtituendum perturbatum hunc rerum ordinem plurimùm proderit hæc lectio de Obedientia, ſi in illa virtutis hujus didiceris excellentiam, & ejus exercitandæ methodum.

Eſt igitur Obedientia virtus quædam moralis, qua voluntas noſtra fertur ad exequendas res imperatas, ideo, quia ſunt imperatæ. Flores omnes id habent proprium, ut Soli ſe obvertant, ac ſinum ſuum aperiant cœleſti illi calori, qui novam illis vitam impertitur; ſed nullus alius inter eos adeò ſe conſtanter vertit ad Solem, ut Heliotropium, quod illum reſpicere numquam deſinit, quamdiu Planeta hic non deſinit in cœlo fulgere. Eadem ratione virtutes omnes à Dei voluntate ſe dependere, & id fideliter exequi ſe profitentur, quod Deo placet; ſed Obedientia multò ſingulariùs ad hunc Voluntatis divinæ Solem ſe convertit, dum nos promptos efficit ad exequenda illa omnia, quæ à nobis requirit Deus, ex illo ipſo capite, quòd Ipſe nobis illa imperet, aut quòd illa nobis imperent Superiores, qui Ipſius locum obtinent, & ſuam ab Ipſo autoritatem acceperunt. Sunt porro bina Obedientiæ genera: Una

Digitized by Google

Una eſt naturalis, ac politica, cùm nimirum obeditur Superiori, ùt homini, ea ratione, qua filia Matri, Magiſtro diſcipulus, ſervus hero, ac ſubditus obtemperat ſuo Domino; altera verò eſt ſpiritualis, & Religioſa, in quam Deus influit, ùt finis; quia nimirum per illam obeditur Superioris voluntati, ut Dei, cujus Vicarius ac Miniſter eſt Superior, voluntati ultimatò pareatur. De poſtremo hoc Obedientiæ genere intelliguntur illa verba, amoris plena, quibûs olim Chriſtus declaravit, quòd oracula ſua per os Miniſtrorum ſuorum proponat, quódque ignominias, illis irrogatas, pro ſuis habeat: *Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Luc. X. v. 16.* Hæc inſuper à S. Auguſtino, & à S. Gregorio appellatur Virtutum omnium Mater, quia, uti S. Thomas advertit, Obedientia medium eſt, quo illæ & acquiruntur, & conſervantur omnes, ſicut illarum omnium finis eſt Caritas. *S. Thom. 2. 2. Qu. 104. art. 2. ad 2.* Qui hanc Obedientiam poſſidet, Superiorem non intuetur ùt hominem, ſed in eo conſiderat Perſonam JEſu Chriſti, & in hoc actu partim exercet virtutem Fidei in agnoſcenda Dei voluntate, partim Virtutem Spei, confidens, hac ratione ſe à Divina Providentia gubernari, partim etiam Virtutem Caritatis, dum beneplacitum divinum plùs amat, quàm omnem aliam inclinationem, & affectum proprium. Verbô, quemadmodum ſphæræ cœleſtes, quò

ſunt

Digitized by Google

ſunt altiores, eò minùs habent proprii motûs, eóque magis primi Mobilis impetu ſe circumvolvi ac gyrari ſinunt, ſic animæ ſanctæ, quò ſanctiores, & à naturæ ac humanarum paſſionum terra ſunt magis elevatæ, eò minùs habent propriæ voluntatis, & eò magis ab Obedientia, tamquam ab impetu primi Mobilis, quod eſt voluntas Dei, ferri ac gyrari ſe ſinunt. Si deinde huic Virtuti tam nobili, & tam perfectæ jungatur inſuper votum, uti fit ab hominibus Religioſis, quis explicare ſatis poterit, quantum illi pretium accedat? Credunt nonnulli, gemmas non aliud eſſe, quàm conſolidatos metallorum ſuccos; ac nominatim Adamantem non eſſe, niſi ſuccum aliquem, qui ex auro proveniat. O quàm pulcher itaque Adamas eſt Obedientia, per Votum ſolemniter Deo promiſſa, utpote quæ Virtutum omnium auro per promiſſum Deo factum ſoliditatem addit immobilitatis! Quin adeò, licèt Religioſi per Votum pariter & Paupertatem & Caſtitatem Deo promittant, longiſſimô tamen intervallô hæ duæ gemmæ cedunt valori Obedientiæ, illiúsque voto, ùt etiam obſervat S. Thomas *2. 2. Qu. 186. art. 8.* ob plures rationes; ſingulariter tamen ob hanc, quia per Obedientiæ votum homo plus offert Deo, quàm per reliqua duo vota; per paupertatem enim offert ſua bona, per caſtitatem ſuum corpus; at per Obedientiam offert ſuam voluntatem, ſuum judicium, ſuum ſpiritum, atque adeò ſeipſum totum.

Media, quibûs acquiri poteſt Obedientiæ Virtus.

PRimum, ùt nôſti, medium erit, ſummam hanc Virtutem impenſè à Deo petere: *Doce me, facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. Pſal. CXLII. v. 10*, dicebat S. David; veluti diceret: Tu ob infinitam tuam perfectionem jus infinitum habes in voluntatem meam, ut in omnibus & per omnia ſequar divinum beneplacitum tuum. Tu igitur, ô Domine! move mentem meam ad cognoſcendos, & inclina cor meum ad obſervandos nutus tuos in rebus omnibus. Ita & tu loquéris ad Dominum magna cum fiducia, Eúmque præterea rogabis, ut, ſi tu aliquando ab Ipſo voluntati tuæ ſatisfieri petîeris, petitionem tuam non exaudiat; tuis verò precibus annuat, ſi voluntatem Ipſius divinam impleri poſtulaveris; cùm ad hoc ipſum denique tenearis ideo, quia Ipſe Deus eſt, & Deus tuus; quia Ipſe & Sibi & tibi eſt plenitudo bonorum omnium: *Domine! doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Si Chriſtus JEſus, utì Beatiſſima Virgo Famulæ cuidam, ſibi valde devotæ, revelavit, cum ſingulari erga Obedientes amore eſt mortuus, & cum ſingulari pariter amore ſuos pro illis Cruciatus æterno Patri in cœlis obtulit, facilè perſuadere tibi poteris, quòd tibi denique Virtutis illius adeptionem negaturus non ſit, quæ Ipſi ſemper tantopere cordi fuit.

Al-

Digitized by Google

Alterum illius acquirendæ medium eſt, firmiter ſibi perſuadere, quòd alia non ſit ad Deum accedendi via, quàm Obedientia. Tres ad viam bonam conditiones deſiderari poſſunt; nimirum ut ſit *Facilis*, ut ſit *Secura*, útque ſit *Brevis*, quæ iter videlicet decurtet, & quàm citiſſimè ad deſideratum terminum perducat. Omnes háſce conditiones mirum in modum continet Obedientia.

Imprimis eſt Via *Facilis*, qua ad Deum accedere, & magnam perfectionem acquirere poſſumus: *Utinam attendiſſes mandata mea; facta eſſet ſicut flumen pax tua;* dicit Dominus per Iſaiam *cap. XLVIII. v. 10.* Anima, quæ Obedientiam ſibi ducem elegit, tam abundanti fruitur pace, quàm alveus præcipui alicujus Fluvii, qui numquam deficit quocunque anni tempore. Ratio hujus eſt, quia, dum conſiderat, quòd Deus per os Superioris fuerit locutus, ſéque per illum in hoc ſtatu, in hoc negotio, in hoc periculo conſtituerit, inſuperabili quadam repletur fortitudine ad excutiendum omnem timorem, & credendum firmiter, quòd Deus ſit allaturus auxilium, & periculum omne converſurus in ſecuritatem. Ex adverſo ſine Obedientia inquieta ſunt omnia, omnia terrifica, confuſa & perturbata omnia: *Confundetur Iſraël in voluntate ſua. Oſe. X. v. 6.* Jonas inobediens in navi, bene licèt inſtructa, pacem non invenit; & idem Jonas, ad implendam reverſus Obedientiam, in ventre Ceti tan-

Digitized by Google

tam reperit pacem, ut in eo compoſuerit Canticum ad laudandum Dominum. Certum eſt, quòd Beatorum felicitas tota conſiſtat in voluntate Dei; quî fieri proinde poſſit, ut Viatorum felicitas non conſiſtat pariter in voluntate Dei? *Beati ſumus, Iſraël! quia, quæ Deo placent, manifeſta ſunt nobis. Baruch. IV. v. 4.* Quælibet res in ſuo tantùm loco bene conſtituitur; jam verò creata voluntas locum ſuum habet ſub voluntate Dei; atque adeò, cùm ordinem hunc evertit, & ſupra divinam ſe Voluntatem extollit, eſt oſſis inſtar, quod emotum eſt è loco ſuo, &, quæcunque demum adhibeantur fomenta, nullam tamen quietem invenit, donec ad locum & juncturam ſuam redeat. Hoc porro ſolatium, & hanc animi pacem numquam aliàs magis experire licet, quàm in morte, in qua veri obedientes jam incipiunt frui guſtu quodam ingentis illius boni, quod illis paratum eſt in præmium; & quemadmodum frigidiſſimi venti Navigantibus in mari ſunt indicia, vicinam eſſe terram, ita refrigeratio illa, quam Obedientibus immittit Deus, in arrham illis ſervit appropinquantis propediem Paradiſi. Monachus quidam Ciſterciensſis, Gerardus nomine, in mortis adductus confinia, tribûs adeò diebûs omni ſenſuum uſu privatus jacuit; ſibi poſtmodum redditus, circumſtantes ita eſt affatus: O! quàm bona res eſt Obedientia! Adſtiti coram Tribunali divino, ubi mihi Deus oſtendit

dit beatas Religioſorum noſtrorum animas, & inter illas locum etiam aliquem, mihi deſtinatum, affirmans, eum non eſſe periturum, qui Obedientiam ac Reſigionem ſuam ex animo diligat. *L. de Doct. D. Bern.*

Hujus viæ facilitati conjuncta eſt *Securitas*. Verus Obediens non aliud habet, pro quo reddere rationem Deo debeat, quàm iſtud unicum, an videlicet accuratè ſit executus id, quod illi fuit impoſitum. Ad unicum iſtud caput reducitur omne illius examen, & omne illius judicium; unde exclamat S. Hieronymus: *O ſumma libertas, qua obtenta vix homo poſſit peccare!* S. Joannes Climacus ait: Quid rei putas eſſe, obedire in Religione? eſt inquirere in defenſionem & excuſationem pro tempore Judicii ſui. Nam ſi interrogatus ibi fueris, cur orationem longiorem non peregeris? cur aſperiorem non egeris pœnitentiam? cur generalem confeſſionem iteratò non feceris, ut magis ſecurum te redderes? cur ad S. Synaxin toties acceſſeris? & ſi quæ alia hujusmodi quæſita in examine tuo tibi proponantur, iisque omnibus tu reſpondere poſſis, quòd ita juſſerit Superior tuus; non procedetur ulteriùs in tuo Judicio; &, ubi S. Job non ſperabat, ſe vel uni ex mille Dei quæſtionibus poſſe reſpondere: *Non poterit ei reſpondere unum pro mille. Job. IX. v. 3.* anima obediens ad mille quæſita unicô verbô reſpondebit integre: Feci voluntatem Superiorum meorum;

& hoc ſolo verbo victoriam obtinebit. Hujusmodi ſecuritatem habere Mundi Aſſeclæ, quantumvis probi, non poſſunt, quia vix poſſunt in omnibus ſuis operibus per ſolam Obedientiam dirigi; & ille ipſe animi Arbiter, à quo dirigi volunt, ab ipsiſmet eſt electus, non verò ab ipſo Deo illis immediatè datus eo modo, quo Superior ab Illo datus eſt Religioſis. Antiqui Navarchi, quia neque Acum Nauticam, neque Tabulas Geographicas pro Navigatione habebant, de die ſolùm progrediebantur, & littora duntaxat radebant, metuentes, ne in Alto ſubmergerentur; nunc temporis verò Navarchi noſtri non de die ſolùm, ſed & de nocte progrediuntur, & in altum mare ſecurè provehuntur, quia ſemper nôrunt, ubi ſint, & in tabulis ſuis Geographicis notatos habent ſcopulos, & portus omnes. Adverte jam, quòd ſimile omnino diſcrimen ſit inter bonos Religioſos, & bonos etiam Mundi Aſſeclas; hi enim apertîs ſemper oculîs invigilare debent deprehendendis tot ſcopulis, qui in ſuo illis itinere occurrunt; Religioſis verò ſufficit, ſi ad id unum attendant, quod illis imperat Obedientia; & hujus ope inter meras etiam tenebras iter ſuum proſequi ſecurè poſſunt. S. Simeon Stylita, ùt alibi dixi, in illa ſua columna tam inſolitam, & naturæ viribûs adeò ſuperiorem agebat vitam, dum uni ſemper eidémque pedi inſiſtebat, ut Eremi Patres dubitare cœperint, annon locum fors aliquem habere illic poſ-

Digitized by Google

poſſet illuſio quædam diabolica; itaque ad ineundum ea ſuper re conſilium congregati, decreverunt, hac via in rei veritatem inquirere. Omnium nomine Legatum ad Virum Sanctum miſerunt cum hoc imperio, ut ille de ſua columna quamprimum deſcenderet, & ad vitam communem reverteretur. Privatim unà monuêre Legatum hunc, ut, ſi Vir Sanctus ad obediendum illicò ſe componeret, etiam ipſe mandatum illico revocaret, eúmque Patrum omnium nomine hortaretur ad proſequendam vitæ ſuæ methodum; at è contrario, ſi in obtemperando ſe difficilem exhiberet, adhibita etiam vi illum è columna detraheret, nec eum diutiùs in illa perſiſtere ſineret. Abîit Legatus, & S. Simeoni Superiorum ſuorum voluntatem indicavit, qua vix audita, Vir Sanctus illico cœpit uno pede deſcendere; ſed à Legato ſtatim inhibitus, &, revocatô imperiô, Patrum omnium nomine ad perſeverandum eſt animatus. Adeò verum eſt, quòd inter omnia vitæ ſanctioris pericula Sancti illi Viri majorem ſecuritatem invenire nequiverint, quàm in vera obedientia.

Et tamen adhuc plura ſuperſunt, quia Obedientia non ſolùm eſt facillima, & ſecuriſſima, ad Deum accedendi via, ſed etiam eſt *Breviſſima.* Sancti obedientiam ſolent comparare Martyrio, quia, ſi per Martyrium caput reſcinditur noſtro corpori, per Obedientiam caput reſcinditur propriæ no-

ſtræ voluntati; quódque prius illud Martyrium obtinet horrore ſuo, poſterius hoc Martyrium obtinet diuturnitate ſua: *Horrore quidem mitius, ſed diuturnitate moleſtius.* Quamvis obedire præceptis Dei ſit magni ſemper meriti, videtur nihilominus, quòd executio divinæ Voluntatis, cùm illa nobis per Superiores indicatur, ſit majoris adhuc meriti, quàm ſi ab ipſo Deo nobis immediatè ſignificaretur. Quis eleemoſynam non largiretur libentiſſimè, ſi JEſus Chriſtus ipſe in Perſona propria ad eam petendam deſcenderet? & ideo, ſiquis in Perſona Pauperum agnoſcat Chriſtum Dominum, & moleſtias, quæ inde proveniunt, patienter perferat, illiſque ſubſidium magnô animô ferat, certum eſt, quòd plus exerceat Fidei, plus Humilitatis, plus Patientiæ, quàm exerceret, ſi JEſus Chriſtus vel Angelum mitteret, vel ipſe veniret ad petendam eleemoſynam. Idipſum de Obedientia dicere potes. Unde in hanc ſententiam Frater Ægidius, carus adeò S. Franciſci diſcipulus, affirmabat, majus quid eſſe, obedire homini, qui eſt Superior, ex amore Dei, quàm ſit obedire immediatè ipſimet Creatori. Itaque per Obedientiam id, quod de ſeipſo bonum eſt, ſemper evadit melius, éſtque dulcis inſtar liquoris, qui, ſi aureo infundatur vaſi, ſemper efficitur dulcior. Per Obedientiam inſuper res parvæ fiunt magnæ; unde B. Henricus Suſo dicere ſolebat, quòd

quòd libentiùs vellet eſſe ex voluntate Dei veſpertilio, quàm ex voluntate propria Seraphinus. Deinde ipſa etiam opera indifferentia, quæ ex natura ſua neque bona ſunt, neque mala, uti ſunt dormire, manducare, laborare, ſe recreare; omnésque paſſus, & motus omnes grande omnino pretium per Obedientiam acquirunt. In cœnobio S. Odonis regulâ ſtatutum erat, ut ad menſæ finem colligerentur micæ, & manducarentur; aliâ ſimiliter regulâ cautum erat, nequid ampliùs finita lectione quisquam manducaret. Accidit autem, ut Monachorum aliquis, cùm ſuas collegiſſet micas, eáſque ori inſerere jam pararet, finem lectionis audiret; itaque micas ſuas manu continens ad Abbatem acceſſit, ut in omnium præſentia de ſua negligentia ſe accuſaret; & ecce! cùm manum aperiret, viderunt omnes, quòd micæ in totidem gemmas converſæ fuerint; quo miraculo bonos illos Religioſos docere Deus voluit, non eſſe actionem adeò indifferentem, quæ per Obedientiam in conſpectu Dei ſummum pretium non obtineat. Hîs poſitîs non miraberis, quòd antiqui illi Eremicolæ, poſtquam multos annos in ſolitudine ſeveriſſimas inter pœnitentias, altiſſimáſque contemplationes vitam humanâ ſuperiorem egêre, nonnunquam è ſolitudine ad cœnobium reverſi fuerint, ut in obedientia ſeſe exercerent; quòd Virtutis iſtius meritum omnibus aliis exercitiis anteponerent.

Ita narrat Caſſianus *Collat. 19. cap. 2.* de quodam Monacho (Joannem appellat) ſanctitatis eximiæ Viro, qui, cùm annis viginti admirabile omnibus vitæ exemplum in communitate præbuiſſet, in Deſertum abîit, ibíque alios viginti annos poſuit in oratione adeò ſublimi, ut nonnumquam extra ſe raptus, & unà cum corpore ad DEum fuerit ſublevatus. Nihilominus, cùm profectum in ſolitudine obtentum, & illúm, quem hauſerat in cœnobio, inter ſe diu comparâſſet, ad cœnobium redîit, ut ſub obedientia viveret, ſeſéque Tyronibus adjunxit, faſſus, quòd lucrum illud, quod omiſsîs diuturnîs contemplationibûs relinqueret, ſibi cum fœnore compenſetur per humilem Obedientiam, Superioribus exhibitam; unde etiam ob immutatam hanc videndi rationem admodum contentus vixit.

Hæc omnia, opinione mea, ſufficient ad confirmandum te quamplurimùm in amore erga ſupremam hanc Virtutem. Si tamen illa non ſufficerent, oportebit, id agere cum anima tua, quod fieri ſolet cum domibus, ruinam minantibus, quarum fundamenta ſtabiliuntur. Omnis igitur Obedientiæ tam excelſa moles duobûs nititur fundamentîs; primum eſt, quòd verum bonum noſtrum, profectus noſter, meritum noſtrum unicè conſiſtat in adimplenda voluntate Dei; cùm enim Dominus ſit Deus virtutum, nullus unquam virtutis actus eſſe altior poteſt, quàm placeat

placeat Divinæ ipſius Voluntati. Alterum fundamentum eſt, quòd ad cognoſcendam hanc Voluntatem Divinam non alia ſecurior ſit regula, quàm obedire Superioribus in rebus omnibus, ubi peccatum apertè non deprehenditur. Hæc regula nullam patitur exceptionem; unde qui ſibímet ipſi non eſt penitus inimicus, non poteſt quidquam aliud ſibi quidem utilius, Deo verò glorioſius agere, quàm ſi ſe totum Obedientiæ manibus permittat, ab eáque ſe dirigi ſinat; cum hac ratione ſit certus, quòd in rebus & conſiliis omnibus faciat, ac aſſequatur id, quod melius eſt. Hoc igitur poſito, quæ prudens ratio retrahere te poterit ab hac obedientiæ via, cùm ipſæ adeò revelationes te non poſſint adeò ſecurum reddere, utì Superioris tui imperia? Id perbene intellexit S. Thereſia: idcirco licèt interdum DEus illi revelaverit novum aliquod conſilium, quod illi capiendum erat; & quamvis ipſa nullam haberet dubitandi rationem, an revelationes illæ provenirent à Deo, nihilominus nihil ipſa priùs exequebatur, quàm à Superioribus fuiſſet approbatum. Quid igitur ampliùs hac de materia vis intelligere? Si DEum amas, & ſi ſalutem ac animæ tuæ profectum amas, ſufficient hæc, ut túte hoc argumento convincas: Omne bonum conſiſtit in Obedientia Deo præſtita; at Obedientiam Deo meliùs præſtare, & majori cum ſecuritate beneplacitum Illius invenire non poſſu-

poſſumus, quàm ſi obtemperemus Superioribus, qui illius locum & autoritatem obtinent; igitur in hac Obedientia, quam Superioribus exhibemus, conſiſtit omne, & maximum bonum noſtrum.

Actus, quibûs exercetur Obedientia.

TRibûs actibûs cœleſtis hæc Obedientiæ virtus integre ac perfectè exercetur; *exequendo* nimirum, *volendo*, & *judicando.* Studebo ſingulos tres clarè & breviter explicare.

Primus igitur actus eſt, imperia, & ipſos etiam nutus eorum, qui præſunt, *Exequi* cum diligentia & promptitudine. Si vivaciter tibi perſuaderes, vocem Obedientiæ vocem eſſe Dei, id ſolum tibi ſufficeret ad abrumpendas omnes moras, & tollendam omnem negligentiam. Lentus arteriæ pulſus in Juvene ſatis certum eſt ſignum, quòd brevì ſit moriturus; tu verò, ſi lentus ſis ac languidus in exequendis Superiorum imperiis, vaticinabor ego, brevem fore Obedientiæ vitam; nunc lentè moveris, pòſt paulò ſtabis omnino firmus: nunc victimam ad ſacrificium trahis, & paulò pòſt ſines illam abire liberam, & vagam pro libitu ſuo. In quacunque occaſione Obedientiam exerceas, myrrha tua numquam erit electa, ſi tam languidè ac lentè profluxerit, neque mirabiles illos effectus, illáque tu ſenties

auxilia

auxilia, quæ Diligentes interdum experiuntur. S. Columbanus in ſuo quondam Cœnobio multos eodem tempore habebat infirmos, útque eorum periclitaretur virtutem, juſſit illos omnes quamprimum è lecto ſurgere, & in aream ad colligendum & flagellandum pro totius anni commeatu triticum deſcendere. Quidam paulò ferventiores, vix auditô Superioris imperiô, petiêre veſtes, & eas alacriter induerunt; & hi omnes illico ſanitati ſunt reſtituti. Alii è contrario ſe aliquamdiu detinuerunt in examinando hoc imperio, & concluſerunt, impoſſibile eſſe, ut ſurgant, & magis adhuc, ut labori tam operoſo ſe impendant; & hi morbos ſuos invaleſcere ſenſerunt, & annô integrô plurimos paſſi ſunt dolores in exiguæ ſuæ fidei & tardæ Obedientiæ pœnam. Igitur hac te pigritia occupari non ſine, ſed auditô Obedientiæ ſignô, mox alia ſepone omnia, etiamſi ad complendum aliquod in ſcribendo verbum non niſi unica deeſſet litterula. S. Franciſca Romana, cùm antiphonam unam, in recitando officio inchoatam, tertiùm interrupiſſet, ut quamprimum id exequeretur, quod maritus juſſerat, totam demum antiphonam litterîs aureîs exaratam invenit. Profectò multum de Obedientia tua lucratur dæmon, ſi illius tibi florem decerpere & ſuffurari poteſt.

Secundus actus eſt *Velle*, dum videlicet operis executio cum voluntatis affectu conjun-

jungitur. Si opere tantùm obedias exteriùs, ſed cum interna quadam animi querimonia, Deo quidem corpus afferes, ſed absque anima, eritque ſacrificium tuum nihilô penè melius ſacrificiô Caini; certè ſimile non erit Sacrificio Abeli, in quo affectus, quo cum offerebatur, longè majoris erat pretii, quàm fuerit ipſa victima. Et profectò, ſi hac ratione libenter exequaris res imperatas, quæ adverſantur tuo genio, certiſſimum omnium habebis indicium, quòd verè ſis obediens. Cùm perforata ſitula immerſa eſt puteo, cognoſci non poteſt, an fracta ſit, vel integra, quia plena eſt aquâ, non minùs ac altera, quæ eſt integra. At ſi in altum extrahatur illa ſitula, mox apparet, an integra ſit, & aquam retineat. Quamdiu tibi imperantur ea, quæ conformia ſunt appetitui ac genio tuo, dignoſcere non potes, an habeas Obedientiæ Virtutem; at idipſum illico deprehendes, ſi imperata tibi fuerint appetitui ac genio tuo contraria; mox enim intelliges, an pro operandi regula tuam, an divinam voluntatem adhibeas. Quid autem, ſi ex eo ſolùm capite res aliqua tibi diſpliceat, quia tibi fuit imperata; ita, ut, ſi è tuo fuiſſet prognata cerebro, minimè tibi viſa fuiſſet difficilis; quoniam verò ab Obedientia tibi fuit impoſita, videatur tibi prorſus intolerabilis? Tum profectò parum boni expectari à te poterit, quamvis de cætero magna facias; quia voluntatis tuæ duritia reddet illa

ſaltem

ſaltem ad Dei gloriam inutilia. Cedri optimum forent lignorum genus, quod pro magno ædificio ſervire poſſet; ſed inutiles ſunt, quia clavos, qui illis, ut aptentur operi, immittuntur, reſpuunt, & repellunt. Miſerum tuum animum, ſi reſpuat imperia, quæ illi committuntur, eáque non admittat niſi corpore tenus! non ſerviet ad erigendum Deo templum; & Obedientia tua, ut ita loquar, vix ſuperabit Obedientiam Mancipii, imò, ſi dicere liceat, obedientiam canis, quam is exhibet ſuo Domino.

Ultimus Obedientiæ actus eſt *Judicare*, qui complet ac perficit holocauſtum, dum non ſolùm promptè ac diligenter exequimur Superiorum imperia, nec ſolùm executioni voluntatem adjungimus, ea non violenter, ſed hilariter perficiendo; ſed inſuper ſociamus judicium, quo ea, quæ nobis injuncta ſunt, bene rectéque nobis imperata credimus. Infantibus præ cæteris membris primùm omnium increſcit caput; ita & Religioſis interdum évenit, qui quantò diutius in via pietatis ac virtutis incedunt, tantò majus proprii capitis, judicii videlicet, incrementum capiunt, quia credunt, ſe ſibi regendis magis idoneos eſſe, & eos, qui pro ſuo illos genio non dirigunt, velut inexpertos, & parùm prudentes vituperant. Tu noli ſic agere, ſed penitus tibi perſuade, quòd pejorem teipſo conſiliarium habeas neminem, quódque paſſiones tuæ te ſimilem infirmo

infirmo faciant, quem ea magis juvant, quæ palato minùs ſapiunt. Itaque ne omitte, integrum facere tuimet ipſius holocauſtum, offerendo per Obedientiæ votum non ſolùm potentias inferiores ad exequenda, ſed & ſupremas voluntatis & intellectûs potentias ad amanda & approbanda illa omnia, quæ tibi fuerint imperata. In hoc obediendi genere continetur cæca illa Obedientia, tantopere à viris ſanctis dilaudata; quæ non ideo appellatur cæca, quòd non advertat, an id, quod præcipitur, peccatum ſit, an non; ſed quia non attendit, an Superior ſit prudens, an parùm expertus, an moveatur juſtô Zelô, an animi paſſione; & quia in hoc ſolo ſuam figit cogitationem, quòd Superior ſit Dei Vicarius, & Ejus Miniſter, atque ab Illo autoritatem habeat; quòd DEus ſuâ Providentiâ nos velit regere per homines, & ſtudiosè invigilet, ut illorum errores in noſtrum cedant commodum; atque ita, velut illum in Evangelio cæcum, nos illuminet lutô, quod majoris potiùs cæcitatis neceſſaria cauſa futura videbatur. Concludamus omnem hanc materiam, de qua longior adhuc ſermo protrahi diu poſſet, duabûs tantùm animadverſionibûs. Prima eſt, quòd contra Obedientiam non agas, ſi rationes ac difficultates, quæ adverſûs imperia, tibi impoſita, forſan occurrunt, cum animi demiſſione Superiori proponas; nam denique Superiores Prophetæ non ſunt, qui animi

animi tui fundum penetrent; neque ſunt Angeli, qui ſimul cognoſcant omnia; ſed homines ſunt, qui, meliùs rerum veritatem edocti, opinionem ſuam mutare poſſunt. Verum eſt, quòd, antequam hujusmodi rationes proponantur, ſe Deo priùs oporteat commendare, & attendere, ne quis ab amore duntaxat proprio, & ſenſuum ſuorum appetitum explendi deſiderio ad eas proponendas moveatur; atque idcirco, poſtquam illæ ſunt propoſitæ, oportet conquieſcere, & æqualiter eſſe contentum, etiamſi Superior in dato ſemel imperio perſiſtat. In ejusmodi caſu non acquieſcere non ſolùm eſt indicium duræ voluntatis, & judicii, ſed inſuper tantopere Deo diſplicet, ut id comparet idololatriæ: *Quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. I. Reg. XV. v. 23.* quia, qui tali caſu non obtemperat, primam operandi regulam vult ſeipſum conſtituere; quæ tamen eſt prærogativa, Deo ſoli conveniens; & ſuum arbitrium ac judicium proprium pro idolo ſtatuit, illíque divinitatem quamdam tribuit.

Altera animadverſio eſt, quòd per varias induſtrias & machinationes velle Superiores inducere ad imperandum id, quod ipſi deſideramus, non ſit obedire Deo, noſtrísque Superioribus, ſed idem ſit, ac velle, ut Deus ac Superiores nobis obediant. Palliatæ hujusmodi Obedientiæ, & extortæ per violentiam facultates infelicem admodum eventum ſæpenumero habuêre. In Hiſtoria S. Domini-

nici *Part. I. Lib. 2. Cap. 5.* narrat P. F. Ferdinandus de Caſtillo de quodam Religioſo, qui, cùm ſuîs ad populum adhortationibûs magnum colligeret animarum fructum, & omnibus præberet Virtutis ſingularis exemplum, cœperit facultatem petere viſitandi externos aliquos ex caritate, & eosdem ſolandi deſiderio. Verùm Superiores cùm ejusmodi viſitandi officia crederent eſſe ſuperflua, hanc ei facultatem negârunt; ille igitur ſibi magis, quàm Superioribus confiſus, facultatem hanc ab ipſo Summo Pontifice ſtuduit obtinere, & reipſa quoque obtinuit; ſed obtinuit malô ſuô; cùm & illi, ùt olim formicæ, ex hac majori libertate natæ ſint alæ in damnum proprium; nam inde paulatim multa in ipſum incubuêre infortunia, cúmque aliquando modicum iter ingrederetur, in lethalem morbum incidit, & antequam advenirent Religioſi quidam, quos advocari juſſerat, ad alteram vitam abîit, relictô nonnullô indiciô, quòd non ſolùm ab hominibus, ſed ab ipſómet etiam Deo deſertus fuerit. Proinde petitiones tuæ ad eum duntaxat finem dirigentur, ut Dei voluntatem meliùs intelligas; eáque, ſi Superiores in priori ſuo imperio perſtiterint, intellectâ, aliud tibi non ſupereſt, quàm ut hanc Dei voluntatem, ab Obedientia tibi declaratam, admittas pro cibo tuo, qui ſpiritualem animæ tuæ vitam ſuſtentabit, vires tibi confirmabit, te oblectabit, & creſcere faciet: *Meus cibus eſt,*

ut

ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me. Joan. IV. v. 34.

MEDITATIO SECUNDA.

Pro ſexta Exercitiorum die.

De Duobus Vexillis.

I.

COnſidera, quòd in mundo ſint duo Domini, quorum unus eſt Rex legitimus, videlicet Chriſtus; alter verò Tyrannus, nimirum Lucifer. Uterque ſuum explicat vexillum, & conſcribit milites, atque ad ſuas partes quamplùrimos attrahere laborat. Imaginare tibi igitur JEſum Chriſtum, humilî locô ſedentem, amabili ac amœna facie, Diſcipulîs ſuîs circumdatum, quos circumire jubet terram omnem, ut ad ſuum famulatum convocent homines, & ſub Crucis ſuæ vexillum congregent. Ex altera parte propone tibi Luciferum, tenebrarum Principem, ſedentem in igneo throno, aſpectu illo terribili & monſtroſo, quo ſæpe aliàs ſe ſpectabilem præbuit, alta & aſpera fronte, oculîs ignei carbonis inſtar ardentibûs, ore ſanguineo, & fumum teterrimum exhalante, qui & ipſe cum inexplebili furore innumeris dæmonibus, quibûs undique cingitur, imperat, ut per orbem univerſum diſperſi, homines omnes ad rebellionem contra Deum excitent.

Digitized by Google

Porro quàm diverſi ſunt hi duo belli Duces, tam diverſa ſunt illorum arma, quibûs conſligi volunt. Lucifer vult, milites ſuos præliari contra Deum viribûs amoris proprii, qui triceps illud monſtrum eſt, quod olim vidit S. Joannes; videlicet *Concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. I. Joan. II. v. 16.* idcirco omnes invitat ad voluptates, ad divitias, ad honores, etiam in contemptum divinæ Voluntatis. Chriſtus JEſus omnino vult contrarium, ut nimirum ſui milites prælientur per ſanctum ſuimet ipſorum odium, & generalem inordinatorum affectuum omnium extirpationem: *Siquis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum. Matth. XVI. v. 24. Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Matth. VIII. v. 38.* Tu igitur utrumque hunc Ducem bene conſidera, & utriusque propoſitum attentè examina, antequam alterutrum eligas; ſi ſtatuas, uti debes, ſequi Vexillum Chriſti, memento, quòd illius commoda tibi cordi habere, Illius gloriam promovere, & Ipſius partes augere debeas, non ſolùm in teipſo per continuam tuæ carnis caſtigationem, ſed & in aliis, bona ipſis conſilia, bonáque exempla pro opportunitate impertiendo. Hoc demum eſt ſub Vexillo JEſu Chriſti militare. Quid verò, ſi tu, poſtquam per Sacri Baptiſmi Myſterium, & multò magis per Religioſam Profeſſionem Vexillo Luciferi renuntiâſti, vivere

mo-

Digitized by Google

modò velles ſecundùm illius dictamina, & quærere occaſiones fallendi temporis, commoditates, & honores? Quid, ſi JEſu Chriſti commoda non modò non promoveres, ſed illis etiam te opponeres, ſuggillando illos, qui ſtudioſiùs ad pietatem ac virtutem incumbunt, qui ſolitudini ac divinorum Myſteriorum frequentationi plùs cæterîs vacant? O! quàm horribiles hæ forent divini honoris injuriæ! Tu illas ſincero corde deteſtare, téque offer ad eas per contrariam penitus linguam deinceps reſarciendas.

II. Conſidera *Mercedem, quam hîc impertiuntur* militibus ſuis hi duo Belli Duces, Chriſtus & Lucifer, ut electionem tuam magis identidem ſtabilias. JEſus Chriſtus non loquitur niſi de Cruce, de Paupertate, de ſui contemptu, de odio ſuimet ipſius; ſed hic ſui contemptus eſt vera gloria; hæc paupertas eſt vera abundantia; hæc crux eſt veræ pacis fons & origo. Chriſtus non modò internum gratiæ ſuppeditat auxilium, ad difficultates in via ſpiritûs ſuperandas, ſed eas etiam per ſuam gratiam ita dulces efficit, ut Pœnitentium lachrimæ ſint multò jucundiores, quàm gaudia theatrorum. Propterea Servator dicit: *Ego veni, ut vitam habeant. Joan. X. v. 10.* atque ita, quemadmodum Amicus, dum ad convivium nos invitat, hîs ferè verbîs utitur: ut veniamus ad agendam apud ſe pœnitentiam, ad ſervandum cum ipſo jejunium, & ſimilibûs, ita Chriſtus omnes in-

vitat ad patiendum, poſtmodum tamen nos tractat adeò ſuaviter, ut vel ſolum bonæ conſcientiæ gaudium ſufficiat pro centuplo illo, quod etiam in hac vita pro omnibus noſtris laboribus promiſit. Contrarium omnino contingit in mercede, quam Lucifer ſolvit; hic enim Proditorum in morem ea promittit, quæ dare non poteſt, & quæ, ſi etiam poſſet, minimè daret; promittit voluptates, & non dat aliud, quàm anxietates; modicum verò illud voluptatis, quod dare ſolet, aut vanum eſt, aut vile ac pudendum, eáque propter tanta ſpiritûs inquietudine permixtum, ut mille hujusmodi voluptates unicô talî tormentô emi non mereantur: *Ecce univerſa vanitas, & afflictio ſpiritûs. Eccli. I. v. 14.* Examina præterita, & ſaltem tibímet ipſi crede. Quandónam tibi bene fuit ſine Deo tuo? & quandónam tibi malè cum ipſo fuit, cùm utique plus ſemper toleraveris in fugienda Illius Cruce, quàm toleraveris in eadem amplectenda? Penitus igitur tibi perſuaſum habe, quòd nulla ſis animi pace fruiturus, niſi totum te Deo tradas: *Quis reſtitit ei, & pacem habuit? Job. IX. v. 4.* Nemo unquam bellum divinæ Voluntati intulit, & ſecum ipſo pacem habuit; neque tu primus eris, qui aliud experiatur. Itaque propone, magno cum animo viam perfectionis ingredi, ùt obligatio tua, & divini tui Servatoris exempla, conſilia, & amor illi debitus, à te requirunt. Hanc electionem vel ſolo tui ipſius

ipſius amore, & tuæ quietis ſtudiô facere deberes; cur eam igitur non facias ob tot alia commoda, ob tot alias utilitates, quas illi percipiunt, qui Servatoris noſtri partibus adhærent? Erubeſce, quòd à Proditore, qui labores tuos non niſi fictîs ſemper voluptatibûs, & verîs compenſavit miſeriîs, tamdiu decipi te permiſeris. Gratias age Deo, quòd nunc te illuſtraverit; & bonis illis omnibus, quæ ſuppeditare tibi ſine Deo creaturæ poſſunt, nuntium remitte, Deúmque roga, ut, ſi aliquando diſcedere ab ipſo volueris, tot tibi tribulationibûs viam præcludat, ut reverti cogaris ad ſerviendum illi cum omni fidelitate.

III. Conſidera *Mercedem, quam in futurum promittunt* hi duo Belli Duces. Stipendium unum datur militibus durante belli tempore; alterum verò & majus præmium illis partâ jam victoriâ datur. Itaque & Lucifer hunc morem ſervat, & poſtquam adeò malè ſuos milites habuit in hac vita, illis in altera non dat aliud, niſi flammas: *Fur non venit, niſi ut furetur, & mactet, & perdat. Joann. X. v. 10.* Infernalis hic fur non aliud quærit, quàm ut in hac vita tibi auferat animi pacem, & bonum virtutis: *Venit, ut furetur.* Deinde vult inſuper animæ tuæ inferre mortem per lethale peccatum: *Ut mactet.* Ac denique animæ tuæ unà cum corpore vult inferre mortem ſempiternam in abyſſo inferni: *Ut perdat;* ſimul etiam te privare im-

menſo illo cœleſtis gloriæ bono, quo ſuâ culpâ & ipſe privatus eſt. At JEſus Chriſtus non ſolùm venit, ut in hoc mundo tibi daret vitam ſpiritûs: *Ego veni, ut vitam habeant;* ſed inſuper, ut in cœlo aliam tibi vitam daret, infinitè meliorem, & bonîs omnibûs abundantem: *Ut vitam habeant, & abundantiùs habeant. Joan. X. v. 10.* Finitô contra ſuos & tuos inimicos præliô, in æternitate magnam adeò felicitatem tibi promittit, ut ad eam tibi comparandam æternus Pater Filium ſuum Unigenitum dederit; Unigenitus æterni Patris Filius ſeipſum donaverit, & Spiritus Sanctus infinito cum amore ad donationem iſtam concurrerit. Tua proinde merces, ſi fideliter præliatus fueris, erit Vita æterna, id eſt, ejusmodi vita, cujus vel paucula momenta dulces omnino redderent omnes Damnatorum pœnas; cujus paucula duntaxat momenta Martyrum omnium tormentîs utiliter emi poſſent; ejusmodi vita, quæ te faciet æternùm vivere magis in Deo, quàm in teipſo, quæque te in pelago ſolatiorum omnium ſine fine ſubmerget. Et tu nihilominus in eligendo JEſu Chriſti vexillo, téque illi penitus ad omnem ejus voluntatem conſecrando torpebis? An imaginaris tibi forſitan, te ambobus hiſce Dominis, tam inter ſe contrariis, ſervire poſſe? At fruſtra es: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire. Matth. VI. v. 24.* Deinde in via teporis ſcitur quidem principium, ſed neſcitur finis, qui eſſe

eſſe poteſt funeſtiſſimus, téque à ſummo Bono æternùm ſeparare. Attende igitur, quia tempus breve eſt, & æternitas finitur numquam. Paulò pòſt in extremis te deprehendes, tum verò, quantopere te pœnitebit, quòd exempla Servatoris ſecutus non fueris, quòd perfectè non vixeris! Certè ſi ibi te non pœnitebit, pœnitebit te coram divino Tribunali, & iniquiſſimam hanc repulſam, qua oblatam tibi Servatoris tui gratiam rejeciſti, millies maledices. Quid verò, ſi ob hujusmodi repulſam tu quoque, ad cœli portam conſtitutus, ſimilem repulſam feras, & audire debeas amarum illud: *Neſcio vos?* Securum itaque te conſtitue, quia de negotio nimis quàm magno agitur; ac propone, domandis animi tui paſſionibus, & acquirendo ſingulari alicui amoris divini gradui, quo æternùm ſis beatus, omnî ſtudiô invigilare. Erubeſce præteritam tuam negligentiam, & roga Deum, ut tibi largiatur vires ſervandi tuum propoſitum, quo divinæ illius Voluntati te penitus obtuliſti, ſicut ad illud pro gloria ſua concipiendum tibi gratiam largitus eſt.

EXAMEN
Pro die ſexta.
De Modo, quo te geris erga Proximum.

I.

EXamina defectus, quos contra Proximum admittis *per Omiſſionem*. 1, An omit-

mittas, laudare alios, cùm id faciendi juſta ſe præbet occaſio? 2. An omittas, illum de aliquo defectu admonere, & corrigere, cùm id tibi vel ex officio, vel ex caritate incumberet? 3. An illius famam non defendas, cùm fortè laceratur, eámque defendere facilè poſſes? 4. An ejus converſationem ex animi averſione ſubterfugias? 5. An iis, qui conqueruntur, non condoleas, ſed potiùs eos, veluti nimis delicatos, vituperes? 6. An iram aliorum non impedias, quando id cum virtutis merito poſſes? 7. An aliis obſequium præſtare negligas, cùm id ratio ſuaderet? 8. An alios per orationem Deo commendare negligas cum obtentu, quòd preces tuæ parùm valeant?

II. Examina defectus *commiſſos in Cogitationibus*. 1. An aliquem penitus contemnas? 2. An Proximum temere judices, aut ſaltem ſine fundamento de illo ſuſpiceris? 3. An internam animi averſionem erga illum geras, &, quidquid ille agat, malè tibi actum videatur? 4. An aliis invideas, ſi plùs te laudentur, vel amentur, vel ſi ſua illis negotia feliciùs ſuccedant? 5. An actiones Proximi malè interpreteris, & interdum aliorum quoque intentiones, quæ occultæ tibi ſunt, in animo tuo condemnes? 6. An Perſonam aliquam ames, non ob animæ bonum, ſed ut genium tuum ſequaris?

III. In

III. *In Verbis.* 1. An alicui perſonæ aduleris, ad aucupandam illius gratiam; aut approbes ac defendas illius defectus, plùs quàm oporteat? 2. An alterius imperfectiones iis aperias, qui illas ignorant; aut malè de Proximo loqui audeas, non ex fine bono, ſed ex vituperandi libidine? 3. An alios cum injuria culpes? 4. An de aliis, ſive abſentibus, ſive præſentibus, cum aliquo contemptu, vel cum indignatione loquaris? 5. An alios ſiccô reſponſô, repulsâ, verbîs aſperîs, aut arrogantibûs, aut mordacibûs, & affligentibûs offendas? 6. An alteri minas intentaveris, illúmve imprudenter, & ſine autoritate reprehenderis; aut illi nimiùm acerbè imperes; aut ſuas illi imperfectiones, & naturales etiam defectus exprobres? 7. An alios ludum facias, aut pungas, ipſos, vel eorum conſanguineos, vel perſonas, ad eos pertinentes, traducas? 8. An Proximo mala conſilia ſuppedites? 9. An ea reveles, quæ alii tibi ſecretò commiſerunt? 10. An ſemines diſcordias inter unum & alterum, & placere tibi oſtendas, ſi malè ipſis inter ſe convenire videas? 11. An tuam opinionem, aliorum opinioni contrariam, ſuperbè ac pertinaciter defendas? 12. An bona, quæ faciunt alii, hypocriſin appelles, aut alio quocunque modo per linguam tuam Proximo præbeas occaſionem indignandi, tibíque iraſcendi, aut etiam jurandi, quia verbis illius, aut excuſationibus fidem te non habere oſtendis?

IV. *In Operibus.* 1. An aliquid agas ad vindicandum te adversùs eos, à quibus es offenſus? 2. An, ubi quempiam offendiſti, perperam facta reſarcire non ſtudeas, te demittendo & factum excuſando? 3. An aliorum intentionibus impedimentum opponas, ut ne propoſitum ſuum obtineant, túque illos malè contentos videas? 4. An ea facias, quibûs alii jure merito offenduntur? 5. An aliis in ſuis infirmitatibus non libenter inſervias, & in eorum querelis te durum illis exhibeas, aut morborum culpam inordinato ipſorum vivendi modo, vel nimio illorum fervori adſcribas? 6. An aliquorum converſationem fugias, veluti tetricam, & non libenter eidem interſis, ac vultum illis triſtem exhibeas? 7. An aliis malum exemplum præbeas? 8. An aliorum facta clanculum obſerves, & alicubi te abſcondas, ut audias, quid inter ſe colloquantur.? 9. An tibi meliora ſemper eligas, & locum ubique cæterîs honoratiorem quæras? 10. An ſocios tuos ſemper inſtruere velis, & numquam ab iis doceri te ſinas; & cupias, ut tuam in rebus omnibus voluntatem ſequantur, tuáſque imperfectiones tolerent, quin tamen & tu tolerare velis alios? 11. An faſtidioſum te exhibeas, téque in cubiculum tuum recipias, non amore ſolitudinis, ſed ut oſtendas, te ab aliquo fuiſſe offenſum? 12. An pauperes importunè faceſſere jubeas, & illis bona ſaltem verba non des, quæ dari tamen

ſemper

Digitized by Google

ſemper poſſent? Deprime te ob defectus tuos, quos inveneris, & exerce conſuetos actus, ut aliàs eſt dictum.

MEDITATIO TERTIA
Pro ſexta Exercitiorum die.
De Vocatione Religioſa.

I.

Conſidera immenſum divinæ Vocationis *Beneficium*, quo te JEſus Chriſtus ad ſerviendum ſibi in Religionem vocavit, voce quidem minùs ſenſibili, non minùs tamen amabili, quàm illa fuit, qua ſuos olim Apoſtolos vocavit. Atque ut tantò firmiùs id tibi perſuaſum habeas, conſidera locum, unde te avocavit, & locum, in quo te collocavit. Evocavit te de mundo, id eſt, de medio ſocietatis eorum hominum, qui in prædam relicti ſunt inordinato voluptatum carnalium, divitiarum, & honorum amori, ex quo identidem profluit peccatorum fluvius, qui ſocietatem hanc inundat, & JEſu Chriſto inimicam reddit, atque, velut Excommunicationis pœnâ irretitam, à divinis Ejus orationibus excludit: *Non pro mundo rogo. Joan. XVII. v. 9.* Et quamvis non omnes illi, qui in mundo degunt, perverſi ſint, negari nihilominus non poteſt, quòd in magno perverſè vivendi periculo ſint conſtituti

ti ob continuas peccandi occaſiones; ob mala, quæ intuentur, exempla; ob moleſtias, quas à mundi ſectatoribus perferunt, ſi tueri velint innocentiam, & ad mundi leges conformare ſe nolint. Ita in Regionibus inſalubris etiam auræ inveniuntur ſani; qui tamen in magno ſemper imminentis ſibi morbi periculo vivunt; præterea robuſta illa corporis conſtitutio, quæ illos in loco inſalubri conſervat, quantum illis adderet virium, ſi in loco ſalubri viverent? Numquid igitur vel per hoc ſolum, quòd de mundo tam maligno te avocaverit: *Mundus totus in maligno poſitus eſt. I. Joan. V. v. 19.* gratiam tibi ſummam contulit? Quanta igitur erit gratia, quòd in Sacra te Religione collocaverit? Hîc non ſolùm procul es remotus ab impedimentis, quæ ab acquirenda perfectione in mundo te prohibent, ſed inſuper omnia prorſus ad manum habes adjumenta, quæ ad illam obtinendam requiruntur; vota nimirum, regulas, ſacrorum Myſteriorum, & orationis frequentiam, bonorum exemplorum ſtimulum, ſacrorum librorum, piorum colloquiorum, & Verbi Divini pabulum, & ſuper omnia internas Dei te viſitantis voces, uberiorem gratiam, & infuſum cordi tuo Religionis ſpiritum. An negare potes, quòd DEus ſingulariter te amaverit, dum te præ innumeris aliis ſelegit, ut è tantis te malis liberaret, & tantum tibi præſtaret boni? Eſſe poteſt, quòd fortuito

tuito veluti caſu ad Religionem veneris, ſed fortuito caſu ad eam Deus te non deduxit. Favorem hunc ab illo non petîiſti; tuîs illum operibûs non es promeritus; quia vita tua ſaltem erat perpetua Dei tui oblivio; & nihilominus in hac tam ingrata ſui oblivione ipſe recordatus eſt tui, téque ſeriò & efficaciter voluit in Arcam inducere, ut ab univerſali tanti populi diluvio te eximeret: *Salvum me fecit, quoniam voluit me. Pſal. XVII. v. 20.* Gratias igitur Illi ſincero ex corde age, & propone, te totum illi Domino donare, qui tam inſigni te prærogativa præ tot aliis donavit, Eúmque roga, ut oblatum hoc donum admittat, & ſtabilem cordis tui poſſeſſionem capiat, ex eóque id omne, quod Ipſe non eſt, ejiciat.

II. Conſidera, quomodo tam ſingulari beneficio *reſponderis.* Numerare potes annos Religionis; ſed num illi anni ſunt pleni? Ubinam eſt fructus bonorum exemplorum, quæ à cæteris tuis fratribus vidiſti? ubinam fructus è Divinis Myſteriis, ex converſatione cum Deo per orationem, ex inſpirationibus, quas ille tibi immiſit, ex tot aliis ad bene agendum adjumentis, quibûs fuiſti tam abundanter inſtructus? Miſiſti, ùt Propheta dicebat, theſauros iſtos omnes in ſacculum pertuſum, qui, quantum ex una parte admittebat, tantundem ex altera parte ſinebat perire. Si ſpiritualia illa bona, quæ collata in te fuêre, in integram aliquam Commu-

nitatem

nitatem fuiſſent diſtributa, ſatis illa fuiſſent ad eam omnem faciendam ſanctam; & tamen, cùm in te uno collecta fuerint ſimul omnia, prorſus otioſa remanent. Reliquiſti mundum; ſed an illum reliquiſti verè, an eum tecum in Religionem attuliſti, ſervando nimirum cor plenum terrenîs affectibûs, ideîs ſecularibûs, curioſitate, vanitate, commoditatum ſuperfluarum deſideriô, ut denique nec Religioſus, neque Mundanus ſis, ſed monſtrum aliquod ex utroque compoſitum, quod unicam ſolùm partem Deo, qui totius eſt Dominus, donare cuperet? Excuſabis te forſitan, ac dices, exiguum illud eſſe, quod Deo negas? ſed hoc ipſum te multò graviùs accuſat. Propter hoc exiguum igitur Deo tuo non integre ſatisfacis? propter hoc exiguum intimæ illius familiaritati renuntias? propter hoc exiguum evertis divinæ ipſius Sapientiæ propoſita, quorum causâ in Religionem te vocavit, ut in hac vita Illi majori cum perfectione ſervires, & in altera majori cum gloria Ipſo fruereris? Et tu, dum tanti amoris abundantiam contemnis, ac negligis, putas, te facere ſatis, quòd geſtes ſacrum habitum? dum interim hunc ipſum habitum aſpergis infamiâ, eóque abuteris, ut ſolùm ſerviat ad obtegendos defectus tuos, poſsítque etiam tibi ignominioſum illum titulum tribuere Propheta: *Ignominia domûs Domini tui. Iſa. XXII. v. 18.* Erubeſce igitur pro menſura delicto-

lictorum tuorum; pete veniam præteritæ tepiditatis tuæ; propone, tantò majori cum fervore illam reſarcire, & roga Deum, ut ingrati animi tui abyſſum abyſſô caritatis ſuæ ſuperare dignetur.

III. Conſidera *Periculum*, quod Religioſus incurrit, ſi non reſpondeat fini, quem DEus per illius vocationem Religioſam intendit. Morem hunc habet DEus, quòd multa exigat ab eo, cui multum dedit: *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo. Luc. XII. v. 48.* Miſericordiam illam, quam inveniſſes in mundo, noli credere, quòd inventurus ſis etiam in Domo DEI; quemadmodum iis evénit, qui, cùm Idolis ſervirent in Babylonia, puniti non ſunt; ſed cùm Idolis ſacrificare pergerent in Terra ſancta Palæſtinæ, ubi poſtmodum habitavêre, ſunt à Leonibus devorati. Non ſemel profectò contigit, ut DEus illum, qui in teporem paulatim incidit, cum nauſea rejiceret; unde poſtmodum miſer æternùm periit. Si hanc ſeveritatem non extimeſceres, malum id tibi prognoſticon foret; indicaret enim, quòd DEus jam nunc incipiat te punire, ſubtrahendo ſua lumina, ſuáſque gratias, & quòd in mentis cæcitatem & cordis duritiem devolvi te ſinat, atque adeò incidere in duo maxima Juſtitiæ Divinæ ſupplicia. Memento, quòd Judicia Divina fundum non habeant: *Judicia tua abyſſus multa. Pſal. XXXV. v. 7.* quódque diſſoluta

Religioſi vita non ſit aliud, quàm continua peccatorum catena; quia opera illius omnia defectibus implet, eóque illum deducit, ut malè etiam agat, cùm facit opera bona: *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter. Jer. XLVIII. v. 10.* Sed miſſo etiam hoc; ſi in Religione aliud à te expectari non debuit, quàm virtus imperfecta, cur tales oportuit impenſas facere, quales ſunt deſerere mundum, & libertatem propriam in vincula dare? Terrena igitur quædam amicitia, negotium aliquod, gradus aliquis, vel honor nullius momenti te impediat à conſequenda perfectione, & forſan etiam ab æterna ſalute? Quid tandem perderes, ſi híſce mundi reliquiis, quæ tuo etiamnum animo adhæſerunt, penitus renuntiares? perderes miſeriam aliquam. Et ſi illis renuntiares, quid non lucrareris, cùm DEum ipſum lucrifaceres? Eja igitur! generoſum fac propoſitum, quòd totus velis eſſe Dei ac Domini tui; concipe cogitationes tuo ſtatu dignas; vide, quid feciſſe velles, cùm jam ſalvandus comparebis ante conſpectum Dei, qui ex amore tui tot tantáque fecit; cúmque te videbis conſtitutum in medio Religioſorum innumerabilium, qui pro Ipſo tanta fecerunt, ac paſſi ſunt. Si erubeſcere tunc poſſes, quantùm non erubeſceres, quòd Divinæ Voluntati non reſponderis, quódque tam debilî filô humani reſpectûs, & cujusdam ſolatioli, quod creaturæ tibi offerebant, terræ te alligari

gari permiſeris! Denique Deo te commenda, ut, poſtquam per ſacratiſſimi Sanguinis ſui merita Vocationis Religioſæ gratiam tibi eſt impertitus, per illa ipſa novum tibi largiatur auxilium, ut dignè ambules vocatione tua, & debitam illi fidem, quam denuo ſpondebis, ad mortem uſque ſervare valeas.

MEDITATIO QUARTA

Pro ſexta Exercitiorum die.

De Doctrina Evangelica, quam Chriſtus in octo Beatitudinibus explicavit.

I.

COnſidera Evangelicæ Doctrinæ Magiſtrum, ipſius Doctrinæ qualitatem, & ſcholam, in qua illa docetur, ut illius majori cum ſtudio condiſcendæ deſiderium excites. *Magiſter* eſt JEſus Chriſtus: *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus. Matth. XXIII. v. 10.* in hunc Ille finem miſſus eſt in mundum, non ſolùm ut illum redimeret, ſed & ut illum doceret: *Ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati. Joan. XVIII. v. 37.* útque tantò certius hujus magiſterii ſui teſtimonium acciperet,

 Pater

Pater æternus ſolemniter nobis imperavit, ut Eum audiamus: *Ipſum audite. Matth. XVII. v. 5.* idque tantò magis, quia non ſolùm eſt Magiſter, ùt alii, qui verbîs docent, ſed eſt Magiſter, qui longè plus docet operibûs. Unde non ſolùm Ipſum audire, ſed & videre oportet juxta promiſſum, jam olim datum: *Erunt oculi tui videntes Præceptorem tuum. Iſa. XXX. v. 20.* Perpende igitur, quàm carò conſtiterit Servatori tuo, quòd hoc docendæ veritatis onus in ſe receperit. Ut res omnes, & nos cum illis crearet, alio non opus erat, quàm unicô verbô; at ut ſuîs nos inſtrueret principiîs, oportuit, ut ſuîs ſe ſpoliaret excellentiîs, ac ſervi formam indueret: *Formam ſervi accipiens. Phil. II. v. 7.* imò ut formam peccatoris aſſumeret: *In ſimilitudinem carnis peccati. Rom. VIII. v. 3.* Quid igitur ampliùs facere potuit Veritas eſſentialis & infallibilis, quàm ut fieret noſtra Veritas? *Ego ſum veritas. Joan. XIV. v. 6.* & tam carô demiſſionis, contemptuum, infirmitatum & pœnarum pretiô nos doceret viam, qua pervenitur ad vitam? Quam igitur excuſationem habere coram Ipſo poterimus, ſi Doctrinis Ejus fidem non præſtiterimus, & in Ejus lumine non ambulaverimus? Erubeſce, quòd toties fallacia mundi, carnis, & dæmonis principia ſecutus fueris, & quod increatæ Sapientiæ conſiliis præhabueris terrenæ cujusdam, animalis, ac diabolicæ ſapientiæ ſuggeſtiones,

ſtiones, nec altiùs aſpiraveris, quàm ut amareris, ac æſtimareris à creaturis, útque ſenſibus tuis, tuiſque paſſionibus ſatisfaceres per vitam, commoditatibûs & quiete plenam. Pete idcirco veniam, & emendare te ſtatue; Deúmque roga, ut ſecundùm merita tua te non caſtiget, neque deſinat tibi loqui, téque inſtruere, ſed potiùs ignorantiæ tuæ miſertus, velit eſſe lux tua, & unà ſimul illuſtrare mentem, & voluntatem accendere ad amandum & exequendum id, quod te docet.

II. Conſidera *Doctrinam* cœleſtis iſtius Magiſtri, quam in primo ſermone ſuo, in monte habito, explicavit: *Et aperiens os ſuum docebat eos. Matth. V. v. 2.* & diviniſſimas ejus dotes maturè expende, quæ ſunt Sublimitas, Certitudo, & Utilitas. Doctrinæ hujus Sublimitas ex eo manifeſtè apparet, quòd omnium Sapientûm mentibus ad eam uſque diem abſcondita fuerit: *Eructabo abſcondita à conſtitutione mundi. Matth. XIII. v. 35.* Ad id uſque temporis credebatur in mundo, illum eſſe magis beatum, qui plus divitiarum, bonorum, & recreationum haberet. Quàm attentum igitur eſſe debuiſſet univerſum genus humanum, cùm excelſam adeò Doctrinam audivit, quòd beati ſint pauperes, beati, qui lugent, beati, qui perſecutionem & calumnias patiuntur? Maximè, cùm hæc tam ſublimis Sapientia, ſimul etiam eſſet veritatis infallibilis, utpote quæ procedebat ex ore ipſius altiſſimi Dei: *Ego ſapien-*

Digitized by Google

tia ex ore Altiſſimi prodivi. Eccli. XXIV. v. 5. Unde quisquis illam audivit, vel unam ejus ſyllabam prudenter in dubium revocare non poterat. Denique tam erat hominibus utilis ac proficua, quàm erat certa; quia fuit Scientia Salutis: *Ad dandam Scientiam Salutis. Luc. I. v. 77.* continebátque omnia principia Doctrinæ moralis Chriſtianæ, & perfectè nos tam circa bonum, quàm circa malum dirigebat, dum nos partim veteri homine exuebat, ac partim induebat novo. Quid ad iſta ſenſus tui dicunt? quid dicunt animi tui paſſiones? quid cor tuum? Ex una parte Servatori noſtro negari poteſt Magiſtri dignitas, nec illius Doctrinis negari poteſt fides, uti nôſti; quia ſunt adeò certæ, ac certa ſunt omnia noſtra Myſteria; unde ſicut errares, negando Trinitatem Divinarum Perſonarum, ita erras pariter, ſi neges, beatos eſſe Pauperes ſpiritu, vel eos, qui perſecutionem patiuntur propter Juſtitiam; quia tam una, quàm altera iſtarum veritatum nititur ſcientiâ, ac teſtimoniô JEſu Chriſti. Ex altera verò parte quomodo fidem hanc operibûs oſtendis? Dum Evangelium tibi proponit veritatem aliquam ſpeculativam, ut appellant Theologi, illius te dictaminibus ac principiis ſubjicis. At quando illud hæc ſua dictamina dirigit ad veritates practicas, ad mores tuos rite ordinandos, omnes animi affectiones adverſùs illud inſurgunt, & leges illius admittere nolunt; & quanquam veram

veram eſſe doctrinam credas, vivis tamen, veluti ſi falſam eſſe crederes. Bene igitur attende, nam idipſum in judicio condemnationem tuam promovebit: *Qui — non accipit verba mea, habet, qui judicet eum; ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die. Joan. XII. v. 48.* Si non credis, quòd beatus ſit ille, qui amore JEſu Chriſti rebûs omnibûs terrenîs ſe expoliat, qui luget peccata ſua, qui cum patientia & hilaritate ſuas perſecutiones, ſuáque mala ſuſtinet, condemnaberis tanquam infidelis; at ſi hæc omnia credas, & nihilominus juxta mundi & carnis principia vivas, condemnaberis tanquam inimicus tuæmet fidei, quam vitâ tuâ tantundem impugnas, quantùm linguâ tuâ illam adſtruis. Harum igitur exprobrationum terrore temetipſum excita, fidem tuam rurſum accende, tuum amorem erga divinum hunc Magiſtrum denuo inflamma. Erubeſce, quòd in hanc uſque diem in corde tuo nutriveris tantum odium illorum omnium, quæ ſuîs Ille & exemplîs & doctrinîs approbat; fatere, quòd Illius lucem non ſequi ſit ambulare in tenebris; propone, aliam deinceps vivendi regulam non ſequi, quàm Evangelium; & roga DEum, ut, cùm Ille ſit Dominus cordium, hoc in te dominium oſtendat, tibíque donet affectum ad amandum, & vires ad exequendum id, quod Ipſe docet.

III. Conſidera *Scholam*, in qua cœleſtis hæc Doctrina docetur. Schola hæc eſt mons; *Aſcendit in montem. Matth. V. v. 1.* quod idem eſt, ac dicere, Scholam hanc eſſe Sanctam Eccleſiam, & in illa, juſtiore adhuc titulo, Religionem ſacram. Quilibet Chriſtianus per vocationem ſuam tenetur, doctrinam hanc profiteri, divitiis, voluptatibus, honoribus ſaltem ita renunciando, ut legem Domini Dei ſui magis æſtimet, quàm omnia bona terrena, útque paratus ſit omnia potiùs alia perdere, quàm divinam Illius amicitiam: *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Luc. XIV. v. 33.* Sed hæc eſt infima claſſis in Schola Chriſti. Longè altiùs aſcendere debet Religioſus, qui non ſolùm præcepta, ſed etiam conſilia divini hujus Magiſtri ſe amplecti profitetur. Quàm horribile proinde foret, ſi is, qui ratione ſui ſtatûs eſt electus adeò diſcipulus, illius, quam profitetur, doctrinæ fieret inimicus, & proteſtari auderet, quòd eam ampliùs audire nolit: *Scientiam viarum tuarum nolumus. Job. XXI. v. 24.* Ita omnino ageret, qui deſineret lectitare libros ſacros, agere cum Præfectis Spiritûs, aut animi arbitris, audire ſacras inſtructiones, ne dormientem animi conſcientiam excitet; atque ita feneſtras occluderet, ut tranquilliùs dormiat, quin interim advertat, quàm facilè hujuſmodi teporis ſomnus in mortis lethargum deſinere

re poſſit. Si aliquando hunc in modum indormîſti, funeſtum hunc ſomnum deteſtare millies; erubeſce, quòd poſt impenſos in Schola Chriſti tot annos, prima etiamnum elementa non didiceris, videlicet teipſum abnegare, renuntiare tuæ voluntati, perverſas tuas affectiones crucifigere; adeò, ut, dum ad aliorum tibi ſimilium emollienda corda unicum JEſu Chriſti verbum ſatis erat, ad commovendum te ſatis non fuerit, tot aſſiduè lectiones Magiſtri tui cœleſtis audire. Propone, quòd impoſterum maximum tuum ſtudium ponere velis in conſiderandis principiis Evangelicis, ut eorum veritatem clariùs identidem cognoſcas, & ſecundùm illa tuas actiones efficaciùs ordines. Denique Deum roga, ut, quoniam uſque adhuc id omne ſubterfugiſti, quod ipſe amplectendum docuit, & hucusque id omne quæſiviſti, quod ille contemnendum docuit, dignetur tibi cor tuum immutare, illúdque purum adeò reddere, ut, terſiſſimi inſtar ſpeculi, formas omnes, omnéſque Doctrinas Magiſtri tui cœleſtis ad vivum exprimat.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES SEPTIMA.

MEDITATIO PRIMA.

De Inſtitutione SS. Eucharistiæ.

I.

COnſidera, tria poſſe concurrere, ut donum aliquod reddant æſtimatione dignisſimum; ipſius videlicet doni magnitudo, donantis affectus, & utilitas, quæ inde dimanat in eum, qui donum accipit. Jam verò tria hæc omnia admirabilî modô inveniuntur in diviniſſima Eucharistia. Itaque conſidera primùm *Magnitudinem Doni.* Magna jam dona hominibus dederat DEus; dederat nobis nos ipſos, & dederat nobis pariter per ipſum creationis & conſervationis beneficium creaturas innumeras; ſed hæc denique omnia, licèt ingentis cæteroquin pretii, erant nihilominus certîs incluſa limitibûs. Per Incarnationem deinde donum hominibus infinitum dedit; ſed donum iſtud uni duntaxat Naturæ humanæ JEſu Chriſti immediatè collatum eſt, mediatè verò & nobis per illam. Atque adeò ſupererat adhuc aliquid, quod dare nobis poſſet; ſi nimirum Seipſum Fidelium ſuorum cuilibet ſeorſim dare voluiſſet, ut ita extenderet

ac

ac dilataret immenſum ejusdem Incarnationis beneficium. Et hoc ipſum eſt, quod agit per Evchariſtiam, in qua nobis communicat, quidquid divitiarum ac bonorum habet; ſuum videlicet Corpus, ſuum Sanguinem, ſua Merita, ſuas Virtutes, ſuam Animam, ſuam Divinitatem, inventione tam admirabili, quæ ipſis cœli Seraphinis per omnem æternitatem ne in mentem quidem veniſſet. Non poteſt igitur modò quid amplius à Servatore noſtro deſiderari; & ſiquid aliud peteremus in hac vita, Ipſe reſpondere nobis poſſet, quòd, quantumvis ipſe ſit Plenitudo bonorum omnium, nihil amplius tamen habeat, quod dare nobis poſſit, cùm dederit nobis omnia in frumento Electorum, & in vino, quod germinat Virgines: *Frumentô, & Vinô ſtabilivi* te, *& tibi poſt hæc, fili mi, ultrà quid faciam? Gen. XXVII. v. 37.* In comparatione igitur liberalitatis tam abundantis, quam DEus impertitur animæ tuæ, quàm, putas, evaneſcet tua in illum parſimonia, ſi modicum illud libertatis, quod tibi ſupereſt, integre illi non offeras? Omnibus aliis Dei donis in hanc uſque diem reſtitiſti; ſed num reſiſtere poteris Deo, qui tibi Seipſum donat? Quid Sancti in cœlo dicere debebunt, qui duo hæc extrema, profuſam videlicet Chriſti liberalitatem, & anguſti cordis tui ſorditiem, tam apertè cognoſcunt? Erubeſce ingratum tuum animum; propone, te totum illi dare, qui Se totum ſine exceptio-

ceptione tibi dedit; gratias age Deo pro tam abundanti erga te Munificentia, Eúmque roga, ut iſtis tam magnis favoribus etiam hunc adjungat, novúmque tibi ſpiritum, & cor novum largiatur, ut eosdem & æſtimare, & iis, ùt oportet, reſpondere valeas.

II. Conſidera *Affectum*, quo JEſus Chriſtus hoc tibi tam inſigne bonum largitur. In hoc quàm maximè conſiſtit beneficium; quia donorum anima eſt affectus & amor; id verò, quod donatur, eſt veluti corpus. Jam autem hic JEſu Chriſti amor, quo Divinam nobis Evchariſtiam eſt impertitus, magnus adeò fuit, ut ſupremos amoris terminos attigerit: *In finem dilexit eos. Joan. XIII. v. 1.* Itaque ſicuti fornax calorem, quem in ſe continet, per flammas demonſtrat, quas evomit, ita immenſus hic amor nonnihil ſe manifeſtat per circumſtantias temporis, quo Diviniſſimum hoc Sacramentum inſtituit, per modum, quo illud inſtituit, & per difficultates, quas in eodem inſtituendo ſuperavit. Tempus fuit illud ipſum, quo conſtituerant homines, Illum crudeliſſimæ morti tradere; & hoc ipſum fuit tempus illud, quo Ipſe conſtituit hunc illis cibum vitæ præbere, modúmque invenit, quo nobiſcum manere ſemper poſſet, dum Illum inimici è mundo tollere magìs, quàm aliàs unquam laborabant: *Pridie quàm pateretur, accepit panem.* Modus, quo ſe nobis donavit, hic eſt, quòd nimirum ſub forma cibi ſe nobis communicaverit, tam per-

perfectè futurus noſter, ut, quemadmodum nutrimentum illud, quod per omne corpus noſtrum diffuſum jam eſt, nulla omnino arte ſeparari à noſtra ſubſtantia poteſt, ita & nos nulla penitus arte, nullîs viribûs ſeparari ab Illo poſſimus. Verùm præ aliis omnibus hæc illius caritas apparet ex difficultatibus, quas ſuperavit, ut bene nobis faceret; cùm enim prævideret immenſum cumulum ignominiarum, contemptuum, & ſacrilegiorum, quæ à tot Infidelibus, imò & Chriſtianis vel tepidis, vel impiis, ſanctiſſimo ſuo corpori eſſent inferenda, nihilominus ſe reſolvit ad hæc omnia toleranda, ut conjungere ſe intimè poſſet cum anima noſtra; quódque amplius eſt, non ſolùm hæc pati voluit, ſed pati etiam deſideravit, & deſideravit vehementiſſimè: *Deſideriô deſideravi.* Dúmque deſiderari priùs ipſe, & per tot ſecula expectari voluit, ut in mundum veniret, & carnem noſtram aſſumeret; nunc, ut in cor noſtrum veniat, ipſémet ſolicitè quærit cum deſideriis, ſuo duntaxat divino corde dignis. Quis unquam hujusmodi amoris abundantiam ſibi potuiſſet imaginari, niſi fides illam nobis aperuiſſet? Sed unde proveniunt in corde tuo affectus adeò contrarii, ut, dum Deus tantopere deſiderat conjungi cum anima tam miſera, qualis eſt tua; eadem deinde anima tam parùm deſideret conjungi cum Illo, qui ſummum eſt Bonum? An fortè rationem aliquam habes, cur huic Illius amori tam copioſo non ſatisfacias? An

ra-

rationem aliquam habes, ut te convertas ad deſiderandas Ægypti cepas, quæ ſenſuum tuorum ſunt oblectamenta, poſtquam toties divinum hoc Manna in cibum tuum admiſiſti? Quid ampliùs JEſus Chriſtus debebit facere, ut tuam denique duritiem vincat? Fatere illam apertè in conſpectu Dei, eámque millies deteſtare; offer te Illi totum, ut divinam hanc conjunctionem perficiat; & eapropter ſummum in te horrorem excita cujuscunque maculæ, quæ vel corpus, vel animum tuum inficit, poſtquam in eo toties ſuum Deus diverſorium habuit. Denique Illum roga, ut ſuam tibi gratiam impertiatur, qua poſſis amorem amori reddere, quin ulla te imposterum terreri ſinas difficultate, quæ ad inducendum tibi frigus obviàm ſeſe tulerit.

III. Conſidera *Utilitatem* hujus doni, ſanctiſſimæ videlicet Evchariſtiæ. Ideo vocatur Communio, ut intelligas, quòd illa communicet animæ omnia JEſu Chriſti bona, adeò, ut primaria illa immenſi pretii Summa, quam JEſus Chriſtus per vitam & mortem ſuam accumulavit, tota nobis applicetur in magno hoc Myſterio, quo Deus in particulari quolibet homine eosdem vult affectus renovare, quos divina ſua Paſſio in univerſo mundo produxit. Itaque non ſolùm oſtendit, quòd reverti vellet ad patiendum, ut bene nobis facere poſſet, ſed etiam, quòd ſatis ſibi eſſe non videatur, in uno ſolùm corpore pro ſalute noſtra fuiſſe paſſum, dum illud

idem

idem ſuum corpus ſine ullo pene fine multiplicat, ut in noſtrum commodum ſine ullo fine ſe impendere poſſit. Hunc ipſum in finem, cùm ſuam nobis gratiam dare per creaturas poſſet, ùt in aliis Sacramentis accidit, in hoc ſuámet illam manu vult nobis impertiri, dum divinâ ſuâ præſentiâ mentes noſtras illuminat, corda noſtra inflammat, animi noſtri paſſiones mitigat, ſenſus noſtros in ordinem redigit, & vel in gravi ac terrena corporis noſtri maſſa relinquit immortalitatis ſemina, ex quibus aliquando in vitam æternam reſurget. O igitur Deum in nobis amandis & adjuvandis ſemper mirabilem! Quid negare tibi poterit, poſtquam tibi tanta jam dedit? Et tu quid Illi negare poteris? Si Deus vel ſemel hac ſeſe ratione donâſſet uni è Supremis cœli Spiritibus, ſatisfacere ille ſibi non poſſet, ſi amore Dei ſui vel in ipſum nihilum ſe redigeret; & tu, qui toties illum recipis, exiſtimabis, te facere ſatis, ſi vicem illi reddas per victoriam levis alicujus difficultatis; imò ſi nec iſtam quidem rependere interdum velis? Erubeſce miſeriam tuam; erubeſce, quòd ex divina iſthac menſa tam exiguum fructum referas, dum ſemper manes idem, ſemper iracundus, ſemper vanus, ſemper in bono, quod agis, negligens. Propone, majorî deinceps virtutis ſtudiô, & diligentiorî affligendæ carnis exercitiô ad Sacram te Communionem præparare; & precare Deum, ut, poſtquam ingratum tuum animum tanto jam tempore

ſu-

ſuſtinuit, de illo triumphare nunc tandem velit; cúmque tot fecerit miracula, ut fieri cibus tuus poſſet, jam hoc quoque miraculum faciat, téque in Seipſum per ardentiſſimum amorem convertat.

LECTIO
Pro die ſeptima.
De Virtute Religionis.

DIci poteſt, quòd homo in brutis animalibus omnium Virtutum moralium veſtigia quædam inveniat, excepta ſublimiſſima Religionis Virtute. Nôſti, quòd Salomon Pigrum ad condiſcendam Prudentiam adire formicam juſſerit: *Vade ad formicam, ô Piger! Prov. VI. v. 6.* atque ita homines omnes ad Leones pro fortitudine, ad Apes pro juſtitia, ad Turtures pro caſtitate, ad Elephantos pro animi gratitudine, ad Canes pro fidelitate, ad Ciconias pro pietate in Parentes addiſcenda mittere potuiſſet. Verùm pro agnoſcendo & adorando primo ſuo Principio mitti homines ad ſcholam aliam nequeunt, quàm ad Scholam Beatorum Spirituum, qui illud venerari nunquam deſinunt: *Et requiem non habebant die ac nocte dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Apoc. IV. v. 8.* quia de cætero infra hominem ne vel umbra quidem Virtutis hujus reperitur; adeò nimirum illa ſublimis eſt. Hoc poſito, gratum haud dubiè tibi erit, ſi Virtutis hujus

&

Digitized by Google

& theoriam & praxin hîc te doceam, ùt in hac lectione facere jam aggredior.

Itaque Religio eſt Virtus, quæ omnes cæteras virtutes morales antecedit, & hominem dirigit ad exhibendum Deo cultum, ob ſuam excellentiam, ac dominium, in omnes omnino res creatas Illi debitum. Dicitur, reliquas omnes virtutes morales nobilitate præcedere, quia nobiliſſimum omnium habet objectum, quod in terris poſt Deum eſſe queat, nimirum divinum Illius cultum; numeratur tamen & ipſa inter virtutes morales, quanquam ſit adeò nobilis; quia videlicet eſt certa quædam Juſtitiæ ſpecies, quam voluntas noſtra Deo reddit, dum ex una parte Illius magnitudinem ac excellentiam agnoſcit, ex altera verò parte ſervitutem noſtram, atque ab illo dependendi neceſſitatem. Sed quoniam eò pertingere non poteſt, ut magnum hoc debitum ſolvere poſſit ex integro, ideo nec ad rigoroſæ Juſtitiæ naturam aſcendit, ſed ei ſolummodo accedit, eámque imitatur. Hoc ipſum nihilominus, quòd Deo reddere non poſſit æquivalens, eſt hujus virtutis inſigne pretium; dum ipſa in terris honorare conatur Magnum illud Eſſe, quod vel in cœlo ſatis honorari non poteſt; & in hunc cultum impendit omnes virtutes reliquas, etiam Caritate in ſocietatem adhibita; cum hoc diſcrimine, quòd Caritas virtutes omnes ad Deum referat, tamquam bonum Dei; Religio verò ad Deum illas referat,

tamquam rem Deo debitam, & velut Vectigal, quod infinitæ Illius Magnitudini præſtare tenetur ſubmiſſio noſtra. Ad Religionem denique pertinet, opera noſtra omnia tam interna, quàm externa ad magnam hanc Honoris Divini metam dirigere; hinc illius ſphæra latior & capacior eſſe non poteſt. Serviat tibi hoc ipſum, quòd fortè non ſatis intelligas, ad concipiendam quàm maximam Virtutis iſtius æſtimationem, quæ & nomen tribuit tuo ſtatui, vi cujus Religioſus es, tantóque magis te obſtringit ad eam perfectiùs exercendam.

Media, quibûs acquiri poterit Virtus Religionis.

PRimus excellentis iſtius Virtutis Magiſter fuit JEſus Chriſtus, qui eodem ipſo momento, quo conceptus eſt, Sanctiſſimæ Virginis uterum mutavit in Templum, ubi methodo, numquam hactenus uſitata, tantum Deo cultum exhibuit, quantum divina Illius Excellentia merebatur, & abunde ſatisfecit pro omni eo, quod hac ex parte obligationi hominum vel antehac defuit, vel deerit in futurum. Tu igitur ad hunc Dominum tuum, & ſanctiſſimam ejus Matrem, quæ Illum in hac pulcherrima virtute tantô ſtudiô eſt imitata, te converte, eóſque impenſè roga, ut infirmitatem ac paupertatem tuam juvent, téque dirigant ad id omne cum perfectio-

ctione exercendum, quod ad cultum divinum pertinet.

Quoniam verò Religio totum hominem vult occupare in hoc Dei cultu, reliqua duo illam acquirendi media erunt, ſuperioribus noſtris potentiis, intellectui videlicet ac voluntati, virtutis hujus exercendæ cauſas altè imprimere; ſuperiores enim potentiæ, ſi moveantur, faciliùs deinde movent potentias inferiores, & executrices.

Prima igitur hujus machinæ rota eſt, maximam in animo noſtro concipere æſtimationem de Altitudine Dei; nam ſi cuilibet excellentiæ & altitudinis gradui ſuus reſpondere debet gradus honoris, qualis honor, obſecro, non debebitur Excellentiæ Dei infinitæ? In eadem ſimpliciſſima Natura poſſibiles omnes continet perfectiones; unde cùm Ipſum inter, & nos ſit diſtantia ſine termino, oportet, ut noſtra adverſùs Illum demiſſio pariter ſit absque termino. Ipſe eſt in omni loco per ſuam immenſitatem; igitur, ſi omnes in Aula regia ſe demittunt, cùm intelligunt adeſſe Regem, quæ demiſſio par erit huic Dei noſtri immenſitati? Ipſe fuit, & erit omni tempore; igitur ſi Nobilitas, quantò eſt inter nos antiquior, tantò plus obtinet honoris, quantus non impendendus erit honor Æternitati divinæ? Ipſe novit veritates omnes, & obtutu vel unico in ſeipſo comprehendit ſcientiam omnem poſſibilem; igitur ſi diſcipulus tanta cum reverentia ſe coram

Magiſto ſuo gerit, quam, obſecro, reverentiam ignorantia noſtra teſtari & exhibere debebit divinæ Illius Sapientiæ? Ipſe poteſt, quæcunque vult, & malum ullum velle non poteſt; non indiget inſtrumentîs, non indiget auxiliô, non indiget conſiliîs, non indiget ſubjectô vel materiâ; ad efficienda quælibet ſatis eſt unicum ipſius verbum; quod igitur obſequium ſufficiet ad colendam hanc immenſam potentiam, ſi tantîs obſequiîs Rex aliquis terrenus colitur, qui tam pauca, nec niſi per ſuos ſubditos, poteſt, & per ſe ſolum efficere poteſt omnino nihil? Ipſe eſt infinitè Sanctus; igitur ſi magnæ alicujus Virtutis homo inter nos tam ſtudioſè colitur, ut illius etiam cineres poſt mortem ſint in pretio, quale pretium, qualem æſtimationem jure merebitur ipſa Summi Boni infinita Sanctitas? Ipſe denique eſt noſter & rerum omnium Dominus, neque ſolùm nos è nihilo produxit, ſed omnî nos momentô conſervat, ne in nihilum noſtrum naturale relabamur; annon igitur æquiſſimum erit, ut omnî poſſibilî ſervitiô reſpondeamus primæ & unicæ origini omnis noſtri boni, ſine qua ne poſſibiles quidem eſſemus?

Hæ cauſæ maturiùs expenſæ facilè lucrantur intellectum noſtrum, eúmque in favorem Religionis inclinant; & facilè pariter Voluntatem movent; ſed ut hanc potentiùs adhuc ad ſublimis iſtius Virtutis exercitium impellant, multùm proderit, ſi proponatur illi

magnum

Digitized by Google

magnum divinæ Gloriæ bonum, ſummáque hominis felicitas, quam obtinet, ſi Domini ſui commoda promovere poteſt. Hæc igitur Dei gloria, qua divinæ Perfectiones creaturis illius magis innoteſcunt, bonum eſt ratione quadam infinitum, cùm ſit bonum, pertinens ad ipſum Deum. Cæterùm hoc illud bonum eſt, quod Deus in omnibus ſuis operibus tamquam finem reſpicit, quia in illis præ omnibus aliis vult ſuam Bonitatem oſtendere; ac proinde, ſi hæc eſt meta, ad quam Deus Naturam, Gratiam, & Gloriam ordinavit, quanta erit felicitas noſtra, ſi nobîs, ùt inſtrumentîs, uti dignetur Deus, ad manifeſtandam hanc ſuam gloriam? ídque tantò magis, quia idipſum eſt unicum illud bonum, quod reddere Deo poſſumus, qui, cùm in ſemetipſo ſit plenitudo Perfectionum omnium, alterius boni recipiendi capax non eſt, quàm hujus externi, ſui videlicet honoris. Unde cùm illius efficaciter procurandi occaſionem in poteſtate noſtra relinquat Deus, quanta eſt noſtra dignitas, dum Illum oblectamus, tanta erit noſtra deformitas, & monſtroſa ingrati animi noſtri nota, ſi Enti huic Supremo rem adeò caram, illíque tot titulîs debitam, quot ſunt illius Perfectiones, & noſtræ miſeriæ, negare vellemus.

Quibûs Actibûs exercenda ſit hæc Virtus.

PErgamus modò ad exercitium ſublimis Virtutis hujus, nimirum Religionis.

Omnes illius Actus facilè ad hos quinque reduci poſſunt: *Cultus mentis*, *Cultus cordis*, *Cultus oris*, *Cultus corporis*, *Cultus Virtutum*; quorum unum poſt alterum breviter explicabimus.

Primus Cultus, quem anima Deo reddit, eſt *Cultus mentis*, dum opinionem de Deo ſummam concipimus, tamquam de Creatore, ac ſupremo totius Mundi Domino; ſimúlque de nobis ipſis viliſſimam habemus æſtimationem, utpote qui ex nobis ipſis nihil ſumus, nihil habemus, & nihil poſſumus, ſed omnî momentô, quidquid ſumus, ab Ipſo accipimus, tamquam eleemoſynam, uti & omnia opera noſtra, quæ fundantur in eo, quod ſumus. Actus hic eſt magnæ efficaciæ, & repeti frequenter debet, præſertim in oratione; & hæc nos inter & Deum comparatio, hic de noſtra vilitate ſenſus, mirum in modum ſervit Virtuti Religionis, tamquam proteſtatio & agnitio Excellentiæ Divinæ, quamvis unà ſimul Virtuti Humilitatis deſerviat.

Secundus Actus Religionis eſt *Cultus cordis*; poſtquam enim intellectus ſummè conveniens eſſe judicavit, ut nos Deo ſubjiciamus, & ſupremum Illi honorem reddamus, propterea, quòd Illius Majeſtas ſupra vilitatem noſtram ſit infinitùm elevata, voluntas hanc noſtram ſubjectionem approbat, ſibíque in hac indigentia ſua magnopere complacet, eandémque hiſce tribûs potiſſimùm actibûs profitetur; *offerendo* nimirum, *peten-*

tendo, & *gratias agendo.* Deſiderabat S. Thereſia, ut quævis Perſona Religioſa qualibet die iterum iterúmque Deo ſeſe offerat. Et profectò, cùm ex una parte ſit adeò magna paupertas noſtra, ex altera verò parte ſit adeò magna Dei bonitas, in æſtimandis non ſolùm operibus, ſed etiam deſideriis noſtris, magna omnino foret negligentia, ſi hac in re parùm eſſemus curioſi, vel ſoliciti. Aſſueſce igitur, ſæpiùs renovare Ordinis tui Vota; ſingulîs diebûs de novo te Deo conſecra, & proteſtare, quòd ex Divina Illius Providentia in omnibus dependere velis, & in nulla unquam re ab ipſius Voluntate diſcedere. Quantum ad petitiones attinet, manifeſtum eſt, quòd illæ magnum Deo tribuant honorem; dum enim in noſtris neceſſitatibus ad Deum recurrimus, non ſolùm nos ipſos Illi ſubjicimus, ſed indicamus inſuper, quòd Illum habeamus pro inexhauſto bonorum omnium Oceano, pro infinitè divite ac liberali in diſtribuendis ſuis gratiis absque ulla parſimonia, & in ſervandis ſuis promiſſis infinitè fideli. Eodem modo maximopere Deum honoramus, cùm Illi gratias agimus; nam ita reddimus Illi gloriam, quam Ipſe, uti vidimus, pro operum ſuorum omnium fine conſtituit; præterea per gratiarum actionem nos diſponimus ad accipiendas novas gratias, quod ipſum & Deus in bonum noſtrum deſiderat. Tres iſti Actus, offerendi te Deo, petendi Ipſius bona, & agendi gratias pro iis, quæ tibi contulit, ma-

Digitized by Google

magnam orationis tuæ partem implere debent, ſi deſideras, ut illa magno tibi cum fructu ſuccedat.

Sequitur Cultus, qui per linguam Deo tribuitur, ſive *Cultus oris*, qui orationes præcipuè vocales comprehendit, & præ omnibus aliis Officium divinum. Cultus hic, ut Deo placeat, & debitum Illi reddat obſequium, ſine actuum internorum comitatu incedere non debet; nam alioquin Deus jure merito conqueri de nobis poſſet: *Populus iſte ore ſuo, & labiîs ſuîs glorificat me; cor autem ejus longè eſt à me. Iſa. XXIX. v. 13.* Quin & tu ipſe quam utilitatem caperes, ſi divinis laudibus ac officio divino ſolam impenderes linguam? Hoc enimvero eſſet idem, ac comedere favum, ſed ſine melle; & mandere ceram, quin inde capiatur nutrimentum. Si reminiſcàris, dum ad Chorum accedis, quòd ad laudandum cœli terræque Dominum eas, nomine totius ſanctæ Eccleſiæ; alia non indigebis ratione, quæ attentum te in orando faciat: *Quoniam Rex omnis terræ, Deus; pſallite ſapienter. Pſal. XLVI. v. 8.*

Ad quartum Religionis caput reducitur Cultus exterior, ſeu *Cultus corporis*; quamvis & hic ſine cultu interiore incedere numquam debet; nam aliàs id foret offerre Deo victimam mortuam, non viventem. In hoc genere continentur præcipuè Adorationes,

Sa-

Sacrificia, & Honor, qui omnibus rebus aliis, ad Deum pertinentibus, exhibetur.

Adorationes & inclinationes corporis noſtri ſunt Actus Religionis, quia miſeriam noſtram, & nihilum noſtrum, unáque Divinam Domini Majeſtatem declarant; ac proinde, quando cum interna illa reverentia conjuncti ſunt, ùt oportet, magnum Deo reddunt obſequium. Unde obſervatum eſt, quòd inter omnes illos, qui ad Chriſtum pro obtinenda aliqua gratia recurrerunt, nemo unus à Chriſto duriùs tractatus fuerit, quàm mulier illa Cananæa, & Regulus; ſed Cananæa duriùs fuit habita, ut probaretur, & virtutis incrementum faceret; dum interim Regulus ita fuit habitus in pœnam exiguæ reverentiæ, Chriſto exhibitæ, dum ſe in terram non demiſit, ùt ſolebant alii ſupplices, JEſum Chriſtum adoraturi priùs, quàm aliquid ab Illo peterent.

Verùm ſuper omnia reliqua ſummus à nobis honor ac reverentia requiritur, dum diviniſſimo Miſſæ Sacrificio aſſiſtimus. Hoc opus eſt ſublimiſſimum ex operibus omnibus, quæ vel in cœlis, vel in terris fieri poſſunt, éſtque veluti Religionis centrum, in quo omnes denique cæremoniæ ſacræ & ritus omnes terminantur; neque illi aſſiſtere idem eſt, ac ſpectatorem duntaxat eſſe tam magni operis, ſed idem eſt, ac partes etiam Actoris ſuſtinere. Quàm igitur foret indecens ac turpe, illi aſſiſtere animô diſſipatô,

aut vagîs oculîs, dum Angeli præ reverentia tremunt, & Sacerdos infinitæ dignitatis, qui Chriſtus eſt, infiniti pretii victimam, ſuum videlicet Corpus, pro nobis offert, & ſacrificat?

Hæc demum reverentia debetur etiam rebus omnibus, quæ ad Deum pertinent; locis nimirum ſacris, uti ſunt Eccleſiæ; ſacris temporibus, uti ſunt dies feſti; Perſonis ſacris, uti ſunt Sacerdotes; rebus ſacris, uti ſunt Reliquiæ; & præ aliis omnibus SS. Sacramenta, quæ à Servatore noſtro ſunt inſtituta, ùt ait S. Thomas *P. 3. Qu. 65. Art. 1.* non ſolùm in remedium contra defectum peccati, ſed etiam ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei, ſeu Religionem Chriſtianæ vitæ.

Supereſt ultimum Religionis obſequium, quod appellatur *Cultus Virtutum*, qui in eo conſiſtit, quòd omnes alii virtutum actus in hunc finem ordinentur, ut Supremæ Divinæ Majeſtatis Excellentiæ pro tributo ſerviant. O! quàm amplus hîc ſeſe campus aperit Religioſis illis, qui Deum ſuum honorare deſiderant! poſſunt enim illi omnia ſua opera ad ſublimem hunc finem dirigere, ut Deo gloriam in conſpectu creaturarum ſuarum tribuant, & altiſſimum Illius nomen benedici, & adorari faciant. Ex una parte intentio eſt anima bonorum operum; adeóque tantò nobilius eſt opus bonum, quantò nobilior eſt intentio, qua illud animatur. Ex altera verò parte quæ intentio poteſt eſſe nobi-

bi-

bilior, quàm velle promovere gloriam Dei, ſive id fiat ex Caritate, qua ſuum Deo bonum volumus, ſive fiat ex Virtute Religionis, qua debitum Deo, tamquam Enti primo, & primo ac ſupremo noſtro Principio homagium præſtare cupimus. Hoc ſolum profectò ſingulare tuis actionibus pretium tribuet. Maximè verò, ſi hæc intentio tua fuerit generalis, quæ omnia tua opera complectatur, & ſimul actualis, ùt appellant, ita, ut frequenter illam renoves, & gaudeas, te in hac vita poſſe divinæ gloriæ trophæum eſſe, quòd in Illius duntaxat honorem conſervetur. S. Simeon Stylita præ cæteris omnibus Sanctis hanc prærogativam habuit. Pro habitatione ſua columnam ſibi delegit, in eáque annorum adeò ſeptuaginta ſpatiô ſtetit; toto eo tempore primarium illius negotium fuit laudare Deum, Eúmque tam profundè adorare, ut fronte ſua ſuóſmet pedes tangeret. Narrat Theodoretus, quòd, cùm ipſe aliquando cum alio quodam ſocio ad videndum hoc Sanctitatis prodigium iviſſet, ipſius ſocius brevi illa temporis mora, quam in obſervando illo poſuerant, mille ducentos quadraginta quinque profundas hujuſmodi adorationes numeraverit; donec denique numerando fatigatus, cœptum negotium intermiſerit. Tu quoque illum imitare, quantùm tua tibi debilitas indulget; manè mox incipe cum adoratione profundiſſima Creatorem tuum honorare, & ita fac, ut omnis actio tua, &, ſi fieri

fieri poſſit, omnis tui corporis motus ſit tributum reverentiæ, Deo tuo præſtitum. *Cœli*, ùt ait Propheta, *enarrant gloriam Dei. Pſal. XVIII. v. 1.* Omnes homines deberent eſſe cœli, hoc ſpiritu animati, & præ cæteris longè magìs Religioſi; & quemadmodum Apes primùm omnium in Alveari ſuo cellulam conſtruunt pro ſuo Rege; ita omnium prima rationalis creaturæ cura eò debet collimare, ut in iis, quæ ad Dei Cultum attinent, & in honorando Deo ſuo magna cum diligentía ſe exerceat. Accuratè igitur de modò dictis quinque capitibus te examina, & obſerva, quantam de incomprehenſibili illa Majeſtate habeas æſtimationem; quas Deo grates referas pro beneficiis, quæ tibi tam immenſa contulit; qua fiducia, & qua animi demiſſione in tuis Illum neceſſitatibus invoces; qua cordis amplitudine tua vota renoves, téque Deo rurſum offeras; qua animi devotione & attentione recites divinum Officium, cæteráſque tuas orationes; qua ſanctitate dies feſtos, præcipuè ſolemniores, exigas; qua reverentia in locis ſacris, & erga Perſonas Deo ſacratas te geras; qua reverentia ad Sacroſancta Myſteria te conferas, & ſancto Miſſæ Sacrificio aſſiſtas; verbô, quomodo negotium tuum omnium præcipuum perficias, quod eſt, & ſpiritu & corpore dare Deo gloriam illam, quam requirit? Memento, quòd ideo in mundum veneris, ut in illo, velut in templo, offeras Deo Sacrificium

Digitized by Google

cium laudis, & gratiarum actionis; quòdque in hunc finem vitam tibi Deus in hanc uſque horam indulſerit, omnî te momentô conſervârit, & à millenis te periculis defenderit; quòd in hunc finem tibi ſerviant omnes creaturæ non minùs cœleſtes, quàm terreſtres; ac proinde, ſi huic tam magno, tibique ab ipſa natura ingenito debito non ſatisfacias, merearis, ut te Sol non illuminet ampliùs, ut terra deinceps te non ſuſtineat, ut ignis te numquam calefaciat, ut Angeli te non ampliùs cuſtodiant, verbô, ut omnes creaturæ tuo ſe ſubtrahant imperio; qui enim ex ſua parte promiſſa non ſervat, non meretur, ut ex altera parte eadem illi ſerventur: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

MEDITATIO SECUNDA.

Pro ſeptima Exercitiorum die.

De Cauſis, ob quas in Horto Chriſtus ſudavit Sanguinem.

I.

COnſidera cauſas effectûs tam inſoliti, qualis eſt, videre Dei filium ex omni parte ſacratiſſimi ſui Corporis totum perfuſum ſanguine. Cauſæ iſtæ fuerunt præcipuè tres: Dolor, quem Chriſtus habuit ob impendentia ſibi mala; Dolor, quem habuit ob noſtra peccata; Præſcientia ingrati animi noſtri.

Pri-

Prima igitur fuit *Dolor, quem Chriſtus habuit ob impendentia ſibi mala.* Ex una parte perfectiſſimè cognoſcebat immenſam Sacroſanctæ Humanitatis ſuæ dignitatem, & quàm Illi meritò omnis inter homines honor, & omne debeatur ſolatium; cognoſcebat perfectiſſimè Vitæ ſuæ Divinæ pretium, cujus momentum vel unicum pluris æſtimari debebat, quàm omnium poſſibilium etiam creaturarum vita. Ex altera verò parte diſtinctiſſimè videbat vivam ideam omnium opprobriorum, omnium tormentorum, omnium inſtrumentorum, in acerbiſſima ſua Paſſione ſe manentium, flagellorum, ſpinarum, clavorum, fellis, & Crucis, verbô, totius vaſtiſſimi illius dolorum & malorum maris, in cujus profundo ſubmergi paulò pòſt debebat. Quis igitur imaginari ſibi poterit, quomodo conflictatum ibi fuerit Redemptoris noſtri cor, maximè cùm appetitus inferior eodem tempore fuerit omnî privatus ſolatiô, eíque Chriſtus, ut puri prorſus meríque eſſent dolores ſui, non permiſerit, ut cogitare poſſet de cauſis illis, quæ aliquod ipſi levamen afferre potuiſſent; atque ita gaudium omne in parte animæ ſuprema continuerit, ne vel una illius ſtilla in potentias inferiores redundaret. In hoc igitur conflictu, quem in corde ſuo Servator ſuſtinuit, anticipata jam toleravit omnia Paſſionis ſuæ tormenta, eáque conjuncta ſimul omnia, quæ in ipſa poſtmodum Paſſione ſeorſim duntaxat tolerare debe

be

bebat; ac denique toleravit etiam illa, quæ in ipſa Paſſione toleraturus non erat, uti Matris ſuæ ſanctiſſimæ derelictionem, quæ primùm erat poſt mortem ſuam futura, & crudele vulnus, quo illi latus erat aperiendum. Tantorum itaque malorum horror, cùm ſanguinem omnem verſùs Cor JEſu impuliſſet, invenit ibi, tamquam in arce munitiſſima, Illius erga Patrem & nos amorem, à quo maxima cum generoſitate repulſus, è venis erupit, & per omnes ſacratiſſimi Corporis poros profluxit, in ipſam adeò terram effuſus. Quid jam dicis ad hoc ſpectaculum tam dolorificum? Tormenta illa, quæ apparabant inimici, JEſu Chriſto ſatis non ſunt; Seipſum anticipatîs jam cruciatibûs vult affligere; & Is, qui ſuas Martyribus pœnas etiam miraculîs, & prodigiosîs ſolatiîs mitigaturus olim erat, easdem ſibímet ipſi immenſùm vult augere, & jam ante tempus bibere amariſſimum Paſſionis ſuæ calicem, quin eum vel unicâ gaudii ac ſolatii ſtillâ temperaret. Cur in conſpectu Sanguinis iſtius tuum in redamando Illo, qui tanta cum abundantia te amavit, tantáſque pro te patiendi artes invenit, rubore non ſuffunditur frigus? Poteríſne impoſterum nimiùm graves judicare tribulationes illas, quas tolerare te oportebit in Illius ſervitio? Poteríſne delicias & voluptates ſectari in facie Domini tui, tantîs oppreſſi doloribûs? Age JEſu Chriſto gratias, quòd amore tui ſit ſui Sanguinis adeò prodigus, & ab Illo gut-

guttulam unicam divini Liquoris hujus in abſolutiſſimum malorum tuorum remedium pete.

II. Conſidera ſecundam prodigioſi hujus ſudoris cauſam, quæ fuit *Dolor, quem Chriſtus habuit ob noſtra peccata.* Etiam iſta divinis ipſius oculis ad unum omnia fuêre propoſita, ab iisque ſimul omnibus, velut à totidem ſerpentibus, Divinum illius cor eodem tempore obſeſſum eſt; unde dolor & horror, quem inde concepit, major longè fuit, quàm omnis alius, quem ullus unquam in hoc mundo mortalium eſt expertus. Nam, ſi unius duntaxat peccati malitia eſt veluti immenſa, quantam igitur malitiam continebit abyſſus omnis iniquitatis, ab hominibus omnibus, tam præteritis, quàm præſentibus, ac futuris admiſſæ, vel admittendæ? Et tamen de omni hac malitia doluit Chriſtus ſecundùm menſuram immenſi illius amoris, quo ferebatur in Patrem ſuum Divinum, & in noſtram omnium ſalutem; hinc peccatum quodlibet erat inſtar lanceæ, in intimum illius cor infixæ, infligebátque illi vulnus longè crudelius, quàm erant illa omnia, quæ ſuſtinebat in corpore; & accidebant illi peccata noſtra, ipſa etiam morte graviora, magísque intolerabilia; cùm ipſémet mortem elegerit, ut penitus deſtrueret, totóque mundo expelleret monſtrum hoc maximum, peccatum. Hic itaque immenſus adeò iniquitatum noſtrarum

rum cumulus fuit torcular illud, quòd Redemptoris noſtri cor & membra compreſſit, indéque ſanguinem ex omni parte profluere fecit. Vide igitur quantam peccata tua partem habeant in gravi hoc JEſu Chriſti onere, & erubeſce in conſpectu Ipſius ob novum illum dolorem, cui prævisâ tuâ malitiâ cauſam præbuiſti; quantum tibi voluptatis indulſiſti, tantum Illi doloris addidiſti, & ſi minùs tu peccâſſes, minùs Ille paſſus fuiſſet. Millenas itaque gratias Illi redde pro amore, quo in ſinum te ſuum admiſit, tuique miſertus eſt, licèt omni miſeratione tam indigni, & roga Illum, ut, quoniam Ipſe ſanguineîs lachrimîs peccata tua deflevit, donare tibi gratiam velit, qua eadem & tu ſerii doloris lachrimîs defleas, antequam tempus adveniat, quo de illis judiceris.

III. Conſidera tertiam ſanguineæ hujus pluviæ cauſam, quæ fuit *Ingrati animi noſtri Præſcientia.* Si homines omnes pleno corde reſpondiſſent amori ac doloribus noſtri Servatoris, dubium non eſt, quin juſtiſſimam ſe in omnibus ſuis doloribus ſolandi cauſam habuiſſet; & fas eſt dicere, quòd hac ratione Paſſionis ipſius mare evaſiſſet quodammodo mare lacteum. Sed quantam Illi amaritudinem non addidit, quòd innumeram illorum præviderit multitudinem, quibus omnis hæc ſua Paſſio ob ſuam ipſorum culpam reddenda inutilis, ejúsque San-

guis non niſi ad ſcribendam ſeveriſſimam in illos ſententiam ſerviturus erat! O DEUS! tantæ in homines factæ ſint impenſæ, pro illis è Servatoris noſtri venis divinus ſit erutus theſaurus, pro iis in opprobriorum ac dolorum diluvio vita ipſius Dei ſit ſuffocata; & nihilominus hæc ipſa tam pretioſa Medicina apud innumeram damnandorum multitudinem ſit absque fructu; apud reliquos ſit minùs efficax, ſitque illis occaſio tepiditatis, qua divinis ipſius auxiliis reſpondebunt? Quis capere poſſit anguſtias, in quas redactum eſt Cor JESU Chriſti per hunc dolorem, qui denique purus erat, ac merus dolor, utpote qui non erat, ùt alii dolores, aliquâ Patris æterni gloriâ, vel redundante in nos homines utilitate permixtus? Hujus etiam doloris quantam tu Salvatori tuo partem præbuiſti per ingratum tuum animum? Omnia Chriſti membra Ipſius in te amorem, & ingratum tuum erga Ipſum teſtantur animum; & Sanguis ille, qui in Illius membris deſcripſit Ejus in te amorem, in iisdem etiam deſcripſit ingratæ mentis tuæ notas. Tu verò eundem vivendi modum proſequi jam voles, & tam languidè ſervire Deo tuo, cui tam ingentî ſanguinem ſaltem pro Sanguine reddendi debitô es obſtrictus? Erubeſce, & amariſſimè plange præterita, & firma fac in futurum propoſita; in tepiditatis tuæ ſatisfactionem offer eundem hunc divinum Sanguinem, tanto fervore & amore plenum

Digitized by Google

plenum, ut veluti Myrrha electa, non expectatîs vulneribûs, ſua ſponte ad te ſanandum profluat.

EXAMEN
Pro die ſeptima.
De Modo, quo te erga teipſum geris.

I.

EXamina te de *Omiſſionibus.* 1. An ſæpius elabi ſinas occaſiones teipſum affligendi? 2. An ſilentium, & debitam animi collectionem non obſerves? 3. Annon ex pertinacia conſuetudines communes transgrediaris? 4. An manè, datô ſurgendi ſignô, non ſtatim è lecto te proripias? 5. An defectus aliquos Spiritûs Arbitro nolis aperire, quia te in illis emendare non vis? 6. An à communibus te oneribus eximas, ut rebus genio tuo gratis te impendas? 7. An promiſſa, aliis data, non ſerves? 8. An rebûs inutilibûs tempus libenter dilapides?

II. Examina te de *Cogitationibus.* 1. An in tuis propoſitis ſis inconſtans? 2. An triſteris, ſi tua tibi conſilia non ſuccedant? 3. An ſis nimis ſolicitus pro iis, quæ ad corporis curam attinent, & nimiùm timeas, ne in morbum incidas? 4. An in animo tuo tibi complaceas ob laudes tuas, quamvis exce-

exteriùs te illas non admittere ſimules? 5. An magnam æſtimationem habeas de temetipſo, tibíque videaris aliorum conſiliîs non indigere? 6. An animum deſpondeas, quando res tuæ non approbantur? 7. An plus virtutis ac habilitatis poſſidere te exiſtimes, quàm fortè poſſideas? 8. An nolis videri cedere aliis in donando, & in explendo officio, quod tibi commiſſum eſt? 9. An opinioni tuæ nimis adhæreas, & ægre feras, ſi alii tibi contradicant? 10. An exiguam habeas curam in rebus parvis, & non advertas, quòd ex parvis res magnæ dependeant? 11. An averſionem animi geras à ferventioribus, & eorum virtutem pro tua reprehenſione habeas? 12. An in rebus omnibus eminere velis, & ubique ſingularis eſſe? 13. An ædificia conſtruas in aëre, & in rebus inanibus cum delectatione te occupes? 14. An ab omnibus amari velis, & eorum tibi gratiam ſolicitè comparare ſtudeas, ſive temporis fallendi cauſâ, ſive ut hac via dignitatem aliquam obtineas? 15. An in rebus omnibus teipſum quæras, tuam oblectationem, tua commoda, tuum honorem?

III. Examina te de *Verbis*. 1. An de tuis & propinquorum tuorum rebus libenter loquaris? 2. An defectus tuos excuſes? 3. An cum tuis Superioribus & æqualibus non agas ſincerè, ſed verbîs tantùm ambiguîs? 4. An apertè mendacia dicas, cum obtentu, quòd nemini damnum inferas? 5. An libenter loquaris

quaris de rebus inanibus, aut cum civilitate nimis exquiſita? 6. An exiguam virtutis æſtimationem præteferas? 7. An aliis Sacrorum Myſteriorum frequentiam exprobres, cùm defectum aliquem admittunt? 8. An aliis mala conſilia ſuggeras? 9. An tuas occupationes identidem exaggeres, velut illarum pondere ſemper oppreſſus? 10. An tuos labores libenter aliis narres, vel ut inde ſolatium capias, vel ut alios ad tui miſerationem inducas?

IV. Examina te de *Operibus*. 1. An cum iis, qui tibi inſerviunt, te minimè contentum oſtendas, &, quidquid demum agant, neque approbes, neque æſtimes? 2. An diebûs feſtîs aliquem manuum laborem exerceas? 3. An præceptîs jejuniorum diebûs nimiùm te ingurgites, aut ſolitô plus cibi ſumas, propterea, quòd ſequenti die jejunare debeas, vel quòd præterita die jejunaveris? 4. An in eosdem defectus identidem relabaris? 5. An immoderatè rideas? 6. An te libenter absque neceſſitate recrees, ut genio tuo ſatisfacias, non verò ut vires reſtaures, aut obedientiam exerceas? 7. An pœnitentiæ exterioris actus invitus obeas, & eorum exiguam æſtimationem oſtendas? 8. An nimiùm afficiaris veſtium concinnitate? 9. An nimiùm tibi placeas, ſi alii te cantantem, vel ad populum perorantem audiant, vel ſi ingenii tui partus ad aliorum manus, & oculos perveniant? 10. An in Con-

Confeſſibus vel Capitulis, ùt vocant, ſecundùm privatas amicitias, non verò ſecundùm jus & æquitatem ſuffragium feras? 11. An vivas cum certa quadam libertate, veluti fores tui ipſius dominus, nec haberes, cui debeas actionum tuarum rationem reddere? 12. An deſideriis tuis nihil poſſis negare? 13. An tuæ ſciendi libidini ſatisfacias, legendo libros vel facetos, vel tuo ſtatui minùs congruos? 14. An nimiô ſomnô, vel nimiô cibô utaris? 15. An officia magis abjecta, vel genio tuo repugnantia fugias? 16. An tibi gratos nimis frequenter inviſas, & nimiam præteferas æſtimationem vanitatum, veſtium, recreationum, quibûs utuntur mundi ſectatores? 17. An vanam oſtendas lætitiam, ſi res tuæ pro voto ac deſiderio tibi ſuccedant, aut nimiam oſtendas triſtitiam, ſi contrarium tibi quid eveniat? Ob defectus, quos repereris, te in animo tuo demitte, & actus alios exerce, ùt in prioribus Examinibus notatum eſt.

MEDITATIO TERTIA

Pro ſeptima Exercitiorum die.

De Injuriis, Chriſto irrogatis apud Tribunalia.

I.

CONſidera tres potiſſimum injurias, præ cæteris notabiles, quas Servator noſter paſſus

paſſus eſt coram Tribunalibus, in quibus, antequam vitam pro nobis perderet, perdidit honorem, qui æqualis habetur vitæ. Prima igitur injuria Illi facta eſt coram *Annæ Tribunali per colaphum*, à milite quodam, ut Domino ſuo adularetur, publicè impactum. Attentè hîc conſidera injuriam iſtam tam ex parte offenſi, quàm ex parte offendentis, & ipſius offenſæ. Offenſa: ſive injuria erat plena crudelitatis; nam colaphus Chriſto impactus eſt manu obarmata ferrô, ut ſub id temporis apud milites in uſu erat, indéque ſacratiſſima Chriſti facies obducta eſt livore, & hujus colaphi notas in ipſam uſque mortem retinuit; erat plena ignominiæ, quia colaphus hic impactus eſt Chriſto præſentibûs omnibûs Senioribûs, qui in cauſis Religionis Synagogam regebant; erat plena injuſtitiæ, quia Chriſto impactus eſt ob reſponſum, à Cœleſti Sapientia dictatum. Offendens pariter non ſolùm fuit homuncio vilis, ſed & mortalium omnium ingratiſſimus; Malchus enim is fuit, cui paulò antè Chriſtus abſciſſam auriculam ſuîs ipſe manibûs conſanaverat. Offenſus denique fuit Virginalis ille Servatoris vultus, in quem deſiderant Angeli proſpicere in Paradiſo; fuit ille Homo-DEus, qui ſub finem temporum tanta cum Majeſtate nos judicaturus veniet. Mirantur hîc Sancti, quòd ſol non fuerit obſcuratus, quòd cœli non ſubſtiterint, quòd non aperta fuerit terra ad horro-

ris tanti ſpectaculum; vel quòd areſacta ſaltem non fuerit impia manus illa, quæ adeò fuit temeraria. Fateri neceſſum eſt, quòd ingens admodum ſit noſtra Superbia, cùm violentîs adeò remediîs indigeat, ut perſanetur. Quid verò, ſi nec iſta ſufficerent? quid ſi & tu, poſtquam hæc Myſteria ſæpius es meditatus, linguam adhuc ſolveres in querelas ob aliquam voculam, contra te prolatam, ob terminum aliquem minùs urbanum, quem tolerare te forſan oportet? Erubeſce delicatum tuum animum, & propone, deinceps JEſum Chriſtum, Exemplar tuum, in perferendìs opprobriis imitari. Loquitur rectè, & colaphô percutitur, ut nimis liberæ ac mordacis linguæ tuæ debita ſolvat; tu veniam ab illo pete, & Patrem æternum roga, ut in Vultum dilecti ſui Filii, à peccatoribus colaphô percuſſi, oculos defigat, eóque obtutu moveri ſe ſinat ad impertiendam tibi miſericordiam, & largiendas vires ſeriò te emendandi.

II. Conſidera ſecundam injuriam valde notabilem, quam Chriſtus retulit *coram Tribunali Herodis*, ubi ligatus funibûs, inſtar Rei, demiſſo adſtans capite, non ſe excuſavit, non ſe defendit adverſùs inimicorum ſuorum fraudes, & à ſuperbo illo, adultero, ac ſanguinario Rege, totáque illius Curia, & omni exercitu pro ſtulto eſt habitus. Poterat Servator patratô unicô miraculô ab omnibus his ignominiis ſe liberare; at

at Ipſe jam conſtituerat patrare miracula, non ad minuendam, ſed potiùs ad augendam Paſſionem ſuam. Præterea quódnam majus prodigium, quàm conſtans adeò inter tot tantásque calumnias ſilentium, & tam inſolita vultûs animíque inter tot opprobria ſerenitas? Et Religioſus, qui hæc omnia Fide divina credit, & videt Sapientiam æternam eò deveniſſe, ut habeatur publicè pro ſtulto, etiamnum habere poſſit rationem aliquam illius judicii, quod mundus ac homines ferunt? poſſit animi pacem, ac ſomnum adeò perdere, quòd à creaturis eo non habeatur loco, quo haberi deſiderat? Certè ſi tuus ad propriam exiſtimationem affectus in aſpectu tam inſolitæ Humilitatis ipſius Filii Dei non emoritur, neſcio ſanè, quando ſit moriturus. Quo cum pudore tu adſtabis in divino Judicio, cùm rationem reddere debebis de exemplis iſtis, poſt quæ omnia vixiſti tanta cum ſuperbia, veluti ſi illa Chriſtus tibi numquam reliquiſſet? Huc igitur deveniſti, ut vel JEſum, qui te docuit eſſe humilem, ſpernere debeas, quemadmodum Illum ſprevit Herodes, vel conſentire, ut ſpernaris ab aliis, quemadmodum ſpretus eſt JEſus ab Herode, ut Eum imiteris. Gratias Illi age pro iis omnibus, quæ ad doctrinam tuam pati dignatus eſt; erubeſce, quòd eorum adhuc tam exiguam rationem habueris; Eúmque roga, ut, ſi deinceps gratiam tibi fecerit, aliquam de divinis ſuis ignominiis partem obtinendi,

vires etiam ſuppeditet, eandem, uti decet, acceptandi & æſtimandi.

III. Conſidera tertiam injuriam, quam Chriſtus retulit *apud Tribunal Pilati;* ubi Servator à Judice illo timido comparatus eſt cum Barraba, latrone & homicida, in materia tanti momenti, qualis eſt mors in patibulo crucis. Et nihilominus unanimi & publico totius populi, totius Nobilitatis, omnium Legis Doctorum, & omnium Sacerdotum conſenſu cauſâ cecidit: *Clamaverunt ergo rurſum omnes, dicentes: Non hunc, ſed Barrabam. Joan. XVIII. v. 40.* Si Chriſtus JEſus comparatus fuiſſet ſupremo alicui Seraphino, divina tamen Illius Perſona injuriam paſſa fuiſſet oppidò ſingularem; jam igitur quantam paſſa fuit injuriam, cùm non modò homini peſſimo, & Reorum omnium, qui in totius Judææ carceribus detinebantur, improbiſſimo eſt comparatus, ſed eidem inſuper poſtpoſitus, idque cum univerſali omnium conſenſu & approbatione? O peſſimam electionem! Et tamen tu illam toties renovâſti, quoties paſſionum tuarum inſtinctu. ut amori proprio ſatisfaceres, eidem voluntatem Dei poſthabuiſti. Ut injuriam hanc repares, ſaltem impoſterum libenter patere, ut alii te præcedant, tu verò neglectus à tergo maneas; ut aliis ſit de rebus omnibus bene proſpectum, tui verò non ſit ulla memoria. Offer te ex animo,

ad

Digitized by Google

ad perdendnm in omnibus hujuſmodi comparationibus honorem tuum, & opta, creaturarum omnium pedibûs conculcari. Neque locô tam abjectô & humilî terreri te ſine; hic enim eſt locus Magiſtri tui, qui amore tui pro hominum omnium poſtremo haberi, & pedibûs conculcari voluit, veluti ſi vermis eſſet, & non homo. Quantò igitur abjectiorî & humiliorî locô fueris, tantò illi eris vicinior, tantóque gratior, & à Patre ipſius cœleſti magis æſtimatus. Roga DEum, ut cordi tuo veritatem hanc profundiſſimè imprimat, & vires tibi largiatur, ad divinorum ſuorum exemplorum honorem ipſo opere eandem exercendi.

MEDITATIO QUARTA.

Pro ſeptima Exercitiorum die.

De Negatione Sancti Petri.

I.

COnſidera, undénam horribilis lapſus S. Petri, tam ferventis antea Chriſti Diſcipuli, poſtea perjuri, & in Magiſtrum ſuum blaſphemi, provenerit, ut illius lapſu tantò magis in bono confirmeris. Primum Petro impulſum dedit Superbia, qua de præterito ſuo fervore nimis magnam habuit opinionem; deinde progreſſus eſt ad ſpernendos omnes reliquos Diſcipulos, iisdémque ſe prætulit, affirmans, etiamſi omnes reliqui

Chri-

Chriſtum negaturi eſſent, in eorum tamen numero ſe neutiquam futurum: *Etſi omnes ſcandalizati fuerint in te; ſed non ego. Marc. XIV. v. 29.* Denique eò devenit, ut ne quidem rationem haberet verborum ipſius Magiſtri ſui, quibûs Ipſe huncilli lapſum prædixerat: *At ille ampliùs loquebatur: & ſi oporteat me ſimul commori tibi, non te negabo. Marc. XIV. v. 31.* Hæc ipſa ſuperbia illum induxit, ut temere ſe exponeret periculo, & non ſolùm in domo Pontificis Militum turbæ ſe immiſceret, ſed etiam inter illos quietè conſidéret ad focum, acſi reipſa non ille dæmonem, ſed illum dæmon timere deberet. Quid igitur mirum, quòd turpiter adeò ceciderit? quomodo, pedibus inſiſtere poterat ad tantæ præſumptionis impulſum? *Contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus. Prov. XVI. v. 18.* Etiam S. Joannes ingreſſus eſt Caiphæ Palatium, ſed quia ſuis viribus non ita confidebat, tantæque præſumptioni locum in animo ſuo non dabat, exivit iterum, quin Divinum ſuum Magiſtrum negaverit. Væ igitur tibi, ſi unquam de tuis viribus præſumas, & innitaris tuis meritis, velut ea te ſatis ſecurum redderent! ſic enim innitereris arundini confractæ, quæ non modò te non ſuſtineret, ſed manum etiam tibi perforaret. Quî dubitare de hoc poteris, niſi ſuperbiæ tuæ fumô te ex cæcari ſinas? Omnes Gentes, ut Iſaias

Pro-

Propheta loquitur, ſunt coram Deo *Quaſi ſtilla ſitulæ. Iſa. XL. v. 15.* hanc tu ſtillam in tot particulas divide, quot ſunt, fuerunt, ac erunt, quin & poſſibiles ſunt homines; & illa particula ſtillæ, quæ te in hac innumerabili hominum multitudine tangit, illa tu es in conſpectu Dei, & vires tuæ juſta tibi proportione reſpondent. Hac facta diviſione ſuperbire jam aude, ſi cauſam invenias, & ſi nullam de teipſo præſumendi cauſam invenias, in abyſſum uſque nihili te demitte, & nil aliud magìs time, quàm temetipſum; ſic enim ſecurum te facies; ſecus verò imminebit tibi ruina: *Si non in Timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubvertetur Domus tua. Eccl. XXVII. v. 4.* Quoties igitur ingenti huic ruinæ proximus jamiam fueris? Deteſtare nunc præteritam ſuperbiam tuam; erubeſce, quòd, cùm tot habeas demiſſè de teipſo ſentiendi cauſas, nihilominus teipſo, tuíque exiſtimatione ſis adeò plenus; & roga DEum, ut, quemadmodum divino oculorum ſuorum obtutu Diſcipuli ſui cæcitatem illuſtravit, poſtquam is ceciderat, ita nunc tuam illuminet cæcitatem, ne aliquando cadas.

II. Conſidera ſecundum impulſum, quem S. Petro ſua dedit *Negligentia. Petrus verò ſequebatur à longè. Luc. XXII. v. 34.* Hæc negligentia clarè patet ex modo, quo ſecutus eſt Magiſtrum ſuum, ex fine, & ex effectibus. Modus fuit hic, quòd eum ſecutus

cutus eſt à longè, dum neque penitus Illum deſerere, neque penitus Illum ſequi voluit, tum ut honorem Diſcipuli conſervaret, tum ut vitam ſuam periculo non exponeret. Finis ipſius non erat, ut unà cum Chriſto mortem oppeteret, ſed Eum ſecutus tantùm eſt ex vano quodam deſiderio, eventum denique videndi tantæ rei: *Ut videret finem. Matth. XXVI. v. 58.* Effectus fuêre, quòd verborum Magiſtri ſui & monitorum, in cænaculo primùm, poſtea & in horto, de vigilia ſuíque ipſius cuſtodia ſervanda datorum, immemor fuerit. Hæc tam ſupina negligentia quem alium finem habere potuit, quàm ruinam manifeſtam? *In pigritiis humiliabitur contignatio. Eccl. X. v. 18.* Jam teipſum inſpice, ac ſeriò examina cor tuum, quod interdum non minùs aliis, quàm tibímet ipſi occultum eſt. Erit fortaſſis horum defectuum aliquis in tuo ſpiritu; ita, ut facilè monitionum internarum, quibûs tuum tibi DEus teporem identidem exprobrat, obliviſcaris. Erit forſitan talis quædam vana ſciendi libido, dum per orationem agis cum Deo, veluti ſi eò collimares, ut plures cæli favores obtineas, quàm alii; & potiùs videri velles ſpiritui deditus, quàm reipſa talis eſſe. Denique forſan & tu cuperes invenire viam mediam, qua nec tótum te Deo dones, nec totum te Illi neges; qua illi ſervias, ſed absque labore; qua illum ſequaris, quin támen deſinas amori tuo proprio ſatisfacere. O infelicem

tibi

tibi negligentiam, ſi eam non deteſteris, ùt meretur! Negligentia S. Petri in Evangelio eſt annotata unà cum frigore tempeſtatis illius: *Quia frigus erat. Joan. XVIII. v. 18.* ſed negligentia tua notari fors poterit cum alio frigore, videlicet mortis, ex quo contingere poſſet, ut numquam ampliùs calefias. Agnoſce igitur hanc lapſuum tuorum cauſam, & ob eam coram Divino tuo Magiſtro erubeſce, Eúmque roga, ut, cùm à tua potiùs negligentia, quàm à dæmonis poteſtate timere debeas, ne impellaris in peccatum, tam ab hac quàm ab illa liberare te velit, maximè tamen à teipſo, qui propria tua voluntate tibímet es diabolus, omni alio diabolo pejor.

III. Conſidera impulſum ultimum, qui S. Petrum in ruinam egit, videlicet *Defectum Orationis.* Huic defectui cauſam præbuit ſuperbia, & modò dicta negligentia; qui enim ſecurum ſe credit, auxilium non implorat. Et tamen S. Petrus tot cauſas habebat ad orationem ſe convertendi, tum quòd à JEſu Chriſto cum reliquis ſimul Diſcipulis repetitò fuerit admonitus: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem. Marc. XIV. v. 38.* & ſingillatim quoque objurgatus: *Simon, dormis? non potuiſti unâ horâ vigilare? Ibid. v. 37.* tum quòd exemplô ſuô tam præclarô illi Chriſtus in horto præiverit, dum ibi tribûs horîs continuîs oravit. Nihilominus non ſuffecêre omnes hi ſtimuli ad eum excitandum, ut modô tam facilî uteretur ad com-

Digitized by Google

comparandas debilitati ſuæ vires. Vide igitur, quid homo ſit, quando non jungitur Deo ſuo, ejúsque gratiam non implorat. Diſcipulus ille tam amans Magiſtri ſui, & ab eodem tantopere amatus; ille, cui Pater cœleſtis tanta cum luce Divinitatem JEſu Chriſti revelaverat; ille, qui hanc ipſam coram cæteris Diſcipulis tam alacriter & generoſè fuerat confeſſus; ille, qui eam in monte Thabor tanta cum claritate transparentem viderat; ille, qui electus erat in lapidem fundamenti pro Sancta Eccleſia; ille ipſe, non vinctus à militibus, non examinatus à Judicibus, non flagellatus, non condemnatus ad mortem Crucis, ſed à vili ancillula ſimpliciter tantùm interrogatus, affirmat, ſe Divinum ſuum Magiſtrum, etiam ùt hominem, non noviſſe: *Non novi hominem. Matth. XXII. v. 72.* & magis identidem in profundum abiens, incipit coram univerſo illo infami lictorum cœtu jurare, & mille imprecationes eructare, ut ſuum mendacium confirmet. Numquid hoc eſt labi etiam ſine ullo velut impulſu? Huc igitur devenitur, cùm intermittitur Oratio ad Deum; devenitur ad eum derelinquendum ob rem adeò modicam, ut impoſſibile id videatur; & poſtquam Deus eſt derelictus, pergitur ulteriùs, & tantùm ab eo diſceditur, ab uno videlicet peccato in alterum incidendo, veluti ſi numquam cognitus fuiſſet Deus. Diſce ex his omnibus, ut nullo unquam impedimento ab oratio-

tione impediri te ſinas: *Non impediaris orare ſemper. Eccli. XVIII. v. 22.* nam alioquin dictum unicum, una vocula ſufficiet, ut omnium propoſitorum tuorum oblivionem inducas, & Dominum illum, qui ſuum Sanguinem, ſuam Vitam pro te impendit, omnino deſeras; & multò magis id ſufficiet in hora mortis tuæ, quando videlicet dæmon majori te furore tentabit. Proteſtare igitur, quòd omnis tua fiducia innitatur auxilio Servatoris tui, & nunc, & in futurum; quódque tamdiu pedibus tuis ſis inſtiturus, quamdiu ipſe tenere te perrexerit; roga Illum denique, ut hunc orationis ſpiritum tibi largiatur, quo, velut aurea clavi, gratiæ ſuæ theſauros aperire, atque inde pro neceſſitatibus tuis opportunè ditare te poſſis.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES OCTAVA.

MEDITATIO PRIMA.

De Flagellatione JEſu Chriſti.

I.

COnſidera *Dolorem*, quem Chriſtus Servator noſter in crudeli iſta carnificina ſuſtinuit. Quàm immanis hic dolor fuerit, ex quatuor potiſſimùm capitibus colligi

ligi quodammodo poteſt; ex teneritudine videlicet corporis JEſu Chriſti, ex carnificum furore, ex flagellorum qualitate, & verberum numero. Corpus Servatoris, utpote per miraculum efformatum, & in ſublimem adeò finem, ut nimirum Animæ Chriſti ſerviret pro inſtrumento, erat ſummè tenerum, & ſubtiliſſimi ſenſûs; erat prætereà maximopere debilitatum per Sanguineum Sudorem, & lethalem agoniam, quam in horto eſt paſſus. Carnifices non ſolùm naturâ crudeles erant, ſed ut tantò crudeliores fierent, inſtigati exteriùs erant à Judæis, interiùs verò ab ipſis dæmonibus; ſuccedebant inſuper aliis alii, ſeni ſenis, ad triginta omnino paria, ùt S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis divinitus eſt revelatum. Flagella erant nervi duriſſimi, nodoſæ virgæ, & funes ferreîs obarmati ſtellulîs. Denique verberum numerus aſcendit ad multa millia, & nonnullam habuit proportionem cùm peccatorum noſtrorum multitudine. Quomodo jam ad ſpectaculum adeò miſerandum emolliri non potes? Imaginare tibi, quòd & tu ſpectaculo huic interſis, & vide, ùt ictus undequaque perſonent, ùt initiô totum ſanctiſſimum Chriſti Corpus livore perfundant, poſtmodum illi cutem abſtrahant, ac denique ita dilanient, ut, dum vulnera vulneribus, & ictus ictibus acceſſêre, & ad quemlibet ictum pars aliqua Virginalis Illius Carnis eſt revulſa, multis in locis nudæ remanſerint coſtæ, & ſanguineus fere lacus co-

columnam circumdederit. En, quantô pretiô conſtiterint JEſu Chriſto voluptates illæ, quas contra divinam voluntatem admiſiſti! Et eris adhuc tam audax, ut vulnera vulneribus adjicere, & Illum rurſus offendere velis? eris tam audax, ut visîs tot vulneribûs, tam copioſo Sanguine, tantîs doloribûs Dei tui, quæras impoſterum tua commoda, quietem tuam, ſenſuum tuorum voluptatem, ùt feciſti uſque adhuc? Amaro pudore ſuffundere, dum recordaris, quantam in hac diriſſima flagellatione partem habueris; agnoſce inter tot ictus, etiam illos, quos tua peccata Chriſti humeris ac dorſo inflixêre, quósque Ille ſingillatim prævidit. Eadem peccata tua deteſtare millies, utpote tantorum Servatoris tui dolorum cauſas. Ipſum porro Illius Sanguinem tu Illi offer in tuum remedium, & ad obtinendam gratiam, Illum in æternùm non ampliùs offendendi.

II. Conſidera ſummum Chriſti *Pudorem* in hac flagellatione; dum enim in tot militum præſentia penitus eſt nudatus, & infamis illius ac ſacrilegæ cohortis riſibus eſt expoſitus, Virginali Pudore à capite ad calcem uſque perfuſus eſt, cum tanto tamen cordis ſui dolore, ut de illo, tamquam de pœna ſingulari per Prophetam expreſſè conqueratur: *Ipſi verò conſideraverunt & inſpexerunt me. Pſal. XXI. v. 19.* Profectò hujusmodi pudor, utpote ex peccato natus, locum habere non debebat in vultu Servatoris noſtri, qui

erat ipſa innocentia; voluit hunc nihilominus etiam Chriſtus in ſe admittere, tum ut tibi condonaret pudorem pœnæ, tum ut tibi pudorem ſalutis obtineret. Pudor pœnæ erat is, qui te manebat coram Tribunali Divino, quando ibi compariturus eras, ſpoliatus gratiâ, & omni virtutis habitu exutus; niſi Servator tuus per opprobria ſua tibi gratiam impetrâſſet, ſuîs te meritîs te contegendi. Pudor ſalutis ille eſt, qui è ſincera ingrati animi tui, tuorúmque peccatorum cognitione naſcitur; & hunc quoque Servator tuus habuit pro fine ſuo, dum amore tui ad ſtatum adeò pudendum ante oculos ſe intuentium redactus eſt. Et tu ex tanti pretii remedio fructum non capias in tuum commodum? Erítne poſſibile, ut ſuperbia tua erubeſcere non diſcat, útque pigritia tua non ſtatuat ſummo cum ſtudio acquirendis invigilare virtutibus, ut brevì coram Deo rite veſtitus, & ornatus apparere queas? Erubeſce de præteritis negligentiis tuis, & roga Deum tuum, ut tanta hac amoris ſui copia cor tuum expugnet denique, téque penitus ſuum faciat.

III. Conſidera *Amorem* JEſu Chriſti in hàc dira flagellatione. O! ſi ingredi poſſes in Divinum illud pectus, quàm citò in illo Amoris incendio in cineres abires! Profectò ſi carnifices figere aliquo modo potuiſſent obtutum ſuum in Divinum illud Cor, quamvis ipſi habuiſſent corda marmorea, mox tamen hæc fuiſſent emollita, projeciſſent omnia flagella

gella ſua, & Divinis illis pedibus ad obtinendam inexplicabilis temeritatis ſuæ veniam ſupplices accidiſſent. Excipiebat Servator omnes illos ictus cum amore tenerrimo, ut eos offerret Divinæ Juſtitiæ in ſatisfactionem debiti, ab omnibus ſuis inimicis, atque adeò etiam à te contracti; dúmque ſanguinem ex omni parte profundebat, lætabatur, quòd vulnera ſua medicinam pararent vulneribus tuis, quódque dolores ſui damnationem tuam impedirent. Ubi ſunt modò lamenta & querelæ tuæ ob leves quasque moleſtias, quas ab aliis tolerare te putas? An audebis impoſterum juſtas exiſtimare querelas tuas, & nolle parùm adeò pati ex amore illius Domini, qui tanta pro te, tantóque cum amore eſt paſſus? Diſce præterea, quomodo deinceps tractare debeas corpus tuum. Erubeſce mollitiem tuam, & ſuperbiam, & coram hac columna amorem tuum proprium immola, & quantumcunque is tibi honoris, commoditatis, & voluptatis offerat, omnia contemne, omnibus renuntia, ut unicè placeas Domino ac Magiſtro tuo Divino; denique Deum roga, ut huic columnæ inſolubilî vinculô tuam alliget voluntatem, ita, ut priùs mori velis, quàm tua libertate ad quid aliud uti, quàm ad illum amandum, prout meretur.

LECTIO

Pro die octava Exercitiorum.

De Caritate erga Proximum.

OMnes excuſationes, quas adducunt homines, ut dulciſſimæ legi amandi Deum ſe ſubtrahant, ad hanc unam præcipuè reducuntur, quòd Deum ipſi non videant. Inde, ſi bene res inſpiciatur, nata eſt Idololatria; poſtquam enim recens illa memoria, & ſenſibilis Dei Creatoris cognitio poſt diluvium evanuerat, cœperunt homines Deum ſibi efformare, ſenſuum ſuorum capacitati reſpondentem, útque Illum comprehendere poſſent Divinitatis ipſius Pelagus in tot rivos diviſerunt, quot in omnibus Mundi Partibus Deos adorabant. Ruditatem iſtam, & ſtolidam humani cordis ſimplicitatem diu toleravit Deus, dum denique miſericordiâ motus, noſtræ ſe naturæ accommodare voluit, & mortali carne veſtitus, inter nos comparere, ac velut unus ex nobis converſari nobiſcum dignatus eſt, ut exemplô tam admirandæ ſuæ ſubmiſſionis nos ad ſe pertraheret, & ipſis adeò ſenſibus noſtris omnem adimeret Ipſum amandi difficultatem: *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Baruch. III. v. 38.* Verùm (quis crederet?) neque hæc tam amabilis inventio ſatis fuit ad homines univerſùm omnes amori ſuo ſubjugandos; unde JEſus Chriſtus, qui tam grande

de negotium conficiendi onus in ſe recepe-rat, hoc inivit conſilium: Conſtituit, ut homines omnes ſuam, Dei videlicet, Perſonam gererent, & cum iis ſua commoda tali ratione permiſcuit, ut, quisquis ex amore Dei ſuum diligeret Proximum, intelligeretur amare Deum ipſum; eâque benevolentia, quam exhiberet imagini Dei, acceptaretur, velut ipſi exhibita Prototypo fuiſſet. Jam igitur nullam ampliùs excuſationem habes, ſi Amori divino cor tuum neges. Deus jam non ampliùs eſt procul à nobis, ſed factus eſt objectum noſtrorum ſenſuum, éſtque tam facile Illum amare, quàm facile eſt amare alium hominem: *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis. Matth. XXV. v. 40.* Et hic eſt ignis ille, quem Servator noſter è cœlis in terras attulit, & quem ubique deſideravit accendi, ac dilatari. Ut igitur in tuo quoque corde accendatur ac dilatetur, tria hîc breviter juxta præcedentium Lectionum methodum videbimus, primò quidem Virtutis hujus, Caritatis videlicet erga Proximum, Naturam, deinde Media, quibûs acquiritur, & Actus denique, quibûs exercetur.

Poſſumus autem hîc ad propoſitum noſtrum tria Amoris erga Proximum genera diſtinguere; *Amorem* nempe *Senſibilem*, *Amorem Virtutis*, & *Amorem divinum*.

Amor ſenſibilis eſt certa quædam benevolentia humana & naturalis adverſûs Perſo-

 nas,

nas, quæ vel ſunt ad noſtrum genium, vel noſtris ſerviunt commodis, vel ſanguine ſunt propinqui, vel amicitia nobis & familiaritate conjuncti. Quamvis hic amor ex natura ſua malus non ſit, nihilominus ſi nimiùm augeatur, præſertim inter perſonas diverſi ſexûs, plenus ſemper eſt inquietudine, & multoties periculô non vacat. Plenus eſt inquietudine, quia comitem habet Zelotypiam, éſtque ſimilis aquæ marinæ, quæ quantò fit calidior, tantò fit amarior. Periculô non vacat, quia, ſicut imagines primitus pingebantur fine bono, ut nimirum viva mortuorum conſervaretur memoria, poſtmodum verò ad uſum adhibebantur peſſimum, ut videlicet pro Diis adorarentur; ita multoties evenire ſolet in noſtra materia, ut amor ſenſibilis degeneret in appetitum inordinatum, & malum. Idcirco magnâ cavere oportet vigilantiâ, ne amor hic ſenſibilis aliquando penetret in animum noſtrum; eúmque, ſi occultè forſan ac furtim irrepſit, quamprimum oportet expellere. Signa verò, ex quibus amor hic deprehendi poteſt, ſunt hæc; De Perſona dilecta frequenter cogitare; &, ſi longiùs abeſt, ſæpius illius recordari, præſertim orationis, ac piorum exercitiorum tempore; cùm præſens eſt, nimis tenere cum illa loqui, & vix modum invenire abrumpendæ converſationis iſtius; res diverſas illi donare, & plura donandi occaſiones identidem quærere, ad conſervandam nimirum & promovendam mu-

tuam

tuam benevolentiam; ægre ferre, ſi & alii in illius ſe gratiam penetrent, ob metum, ne ipſe ejusdem gratiâ excidat; offendi, cùm alii Perſonam illam nonnihil vituperant, adeò, ut omnis palea videatur lancea, ſi in amatam Perſonam illam dirigatur; & alia his ſimilia, quæ illico produnt, flammam illam multô fumô permixtam eſſe.

Secundus eſt *Amor Virtutis*; éſtque illa benevolentia, quam erga Perſonas bene meritas, ac virtute præditas gerimus. Hic amor, licèt etiam malis ac perverſis hominibus ineſſe poſſit, cùm Virtus ad ſui amorem alliciat etiam eos, qui illâ carent; diutiùs tamen non reſidet niſi in animabus bonis; éſtque & ipſe bonus, quando provenit ab auxilio gratiæ, atque ad finem naturâ ſuperiorem dirigitur, hic nihilominus Amor non eſt Caritas.

Caritas eſt tertium genus Amoris in Proximum, éſtque verè *divinus Amor*; quia per illum propriè non amatur aliud in homine, quàm ipſe Deus; amatur enim Proximus ideo, quia ad Deum pertinet. Itaque imaginari tibi non debes, quòd duo ſint Caritatis genera, quorum unum tendat in Deum, alterum verò tendat in Proximum, ſive in fratres tuos. Nequaquam; unica ſolùm eſt Caritas; quemadmodum enim Pater, qui nutricem amat propterea, quòd ſuum aliquem filiolum lactet, reipſa duntaxat amat filiolum ſuum; ita, qui Proximo bene vult propter Deum, & ex amore Dei, reipſa Deum duntaxat

xat amat propter ſemetipſum. Ægyptus inter alia ſua admiranda hoc etiam numerat; duos nimirum fluvios, Nilum & Inópum, qui eadem omnino periodo & augentur ſimul, & deficiunt; quod ſi verum eſt, dicere planè oportebit, eos eundem omnino fontem, eandem habere ſcaturiginem. Id certè veriſſimum eſt de Caritate erga Deum & Proximum, quòd ſimul utraque creſcat, & deficiat eodem paſſu, cùm ab eadem cauſa movente dependeant, per eundem habitum bonum exerceantur, & eodem præcepto comprehendantur: *Hoc mandatum habemus à Deo, ut, qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum. I. Joan. IV. v. 21.* Itaque ſi examinare deſideras, ad quem gradum aſcenderit tuus in Deum amor, tantùm examina, quem in corde tuo gradum habeat tuus in Fratres tuos amor; & ſi hujus inſuper certam nôſſe menſuram deſideras, examina porro, an amor ille, quem erga Fratres, cæteróſque Proximos tuos geris, tres iſtas conditiones habeat; nimirum an amor hic ſit *gratuitus*, an ſit *conſtans*, an ſit *univerſalis*.

Vera itaque Caritas debet eſſe *gratuita*, adeò, ut, quà talis eſt, nec moveatur illîs beneficiîs, quæ recepit ab hominibus, nec illîs, quæ recipere deinceps poterit; nam alioquin convicta foret, quòd non Deum, ſed ſeipſam, non Creatorem, ſed creaturam quærat; quódque idipſum faciat, quod facit Electrum, dum ad ſe fumum è face, non flammam pertra-

trahit. Secunda conditio Caritatis eſt *Conſtantia.* Qui veram habet caritatem, is eam exercet omni tempore, utì teſtatur Deus ipſe: *Omni tempore diligit, qui amicus eſt. Prov. XVII. v. 17.* non ſolùm quando amata Perſona amori reſpondet, ſed & tunc, quando eadem non reſpondet; quia, quemadmodum Deus ſemper idem eſt, ita nec mutatur voluntas illa, quæ tota innititur Deo. Itaque ſi infirmo libenter inſervias, dum ille ſibi ſatis à te fieri prædicat; iniquô autem id animô facias, dum ille de te conqueritur, clarè oſtendis, quòd illi non inſervias ex puro Dei amore. Argentum vivum videtur auri amore penitus eſſe captum, cùm non obſtante, quam habet, gravitate, quodammodo alas induat, ut volare poſſit per aëra, & in aurum inquirere; verùm ſi aurum admoveatur igni, Argentum vivum, ne primi quidem ardoris patiens, mox aurum, tantopere priùs amatum, deſerit. Eadem ratione in Sacris etiam Religionibus invenies homines, qui mera videantur induſtria ac ſolicitudo ad inſerviendum illis, qui ipſorum genio ſunt conformes; at ubi aliqua diſſenſionis ac turbationis oritur occaſio, tota diligentia, tota induſtria in fumum abit, ac palam oſtendit, quòd naturam, non Gratiam habuerit pro fundamento. Denique debet Caritas eſſe *univerſalis*, ita ut complectatur Proximos omnes, etiam ingratos, etiam adverſarios. Plutarchus inter Animalium induſtrias hanc

Del-

Delphini proprietatem agnoſcit, quòd hominem, ùt hominem, amet; non uti reliquæ beſtiæ, quæ hominem amant, ùt nutritium, aut benefactorem ſuum, & illi duntaxat, qui eas nutrit, vel boni aliquid præſtat, bene ſe affectos oſtendunt. Caritas, at multò nobiliùs, bene vult Proximo, quà Proximus eſt, quiscunque demum ille fuerit, quia in quolibet Proximo æqualiter videt imaginem Dei, cæteráſque Dei dotes, quas inferiùs explicabimus; adeò, ut, quemadmodum fides tua, ſi vel unum articulum excluderet, ac nollet credere, non ampliùs foret genuina fides, ita pariter tua Caritas, ſi excluderet è ſinu ſuo vel unum è Proximis tuis, jam non ampliùs foret genuina Caritas. Verus Chriſtianus, uti Tertullianus loquitur, nemini eſt inimicus; quia, ſi Chriſti legem adimplet, cor ſuum negare non poteſt ulli, qui homo eſt. Hæc itaque menſura tibi demonſtrabit, quantopere fallantur illæ animæ, quæ in amore Dei multùm ſe profeciſſe autumant, quia longas recitant orationes, & ad Divinam Menſam frequenter accumbunt; interim verò curæ non habent, quód diuturnas in animo foveant averſiones à Proximo, illáſque etiam in ejus præſentia acerbîs nonnumquam terminîs prodant, vel certè in ejus abſentia mordacibûs etiam detractationibûs. Hiſce talibus in mortis articulo id eveniet, quod in libro Macchabæorum legitur, quòd nimirum, dum aliqui ſacrum ignem, qui in pu-

puteo quodam fuerat abſconditus, quæſitum irent, non invenerint niſi *aquam craſſam;* idipſum fiet, ſi in fundo cordis illorum quæratur ignis amoris Dei; nam quoniam amor Dei ab amore Proximi ſeparatus eſſe non poteſt, non invenietur ibi, niſi illius oppoſitum, averſio nimirum, & vindictæ ſtudium.

Media, quibûs acquiri poteſt Caritas erga Proximum.

PErgamus jam ad detegendam viam, qua pertingere poſſimus ad virtutis iſtius apicem. Primum, ut nôſti, medium eſt, eam inſtanter à Deo flagitare; quàm facile enim eſt, naturalem in mundo amorem reperire, tam eſt difficile, invenire Divinum hunc Caritatis amorem. Erat apud Perſas in more poſitum, ut ſemel annîs ſingulîs omnem ignem, qui per omnem Regionem erat, extinguerent, & per ſolicitos dein Ablegatos eundem iterum accendi curarent per ignem illum, qui in Regio Palatio identidem ardebat. Si in univerſo mundo id fieri poſſet, felices nos! ſi, inquam, omnis alterius amoris flammæ penitus extingui, & per beatum illum ignem, qui ſemper ardet in Paradiſo, accendi rurſum poſſent, ita ut non amaretur aliud, quàm DEus, & Proximus ex amore Dei! Igitur DEum aſſiduè roga, ut in tuo ſaltem corde experimentum hoc

hoc faciat, tibique ſanctum hunc Caritatis ardorem communicet, qui ſolius Ipſius eſt adeò grande donum: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum &c. Rom. V. v. 5.*

Alterum medium eſt, removere impedimenta, quæ ſe offerunt in corde tuo, ne DEus illud omne cœleſti hoc igne ſuccendat. Impedimenta verò omnia reducuntur ad animi noſtri Paſſiones, ex quibus oriuntur omnia diſſidia, lites omnes: *Unde bella & lites in vobis? nonne ex concupiſcentiis veſtris?* ait S. Jacobus in epiſtola ſua Catholica *cap. IV. v. 1.* Tu culpam exiguæ tuæ Caritatis rejicis in aſperum genium, in amara & aculeata verba illius Fratris ac Proximi tui; éſtque fere idem, ac ſi infirmus ſuum illum calorem, quo in febri exæſtuat, calidæ tempeſtati imputet. Vera virtus habitare in temetipſo debet, non in aliis, ita quidem, ut, licèt alii tibi præbeant occaſionem iraſcendi, & Pacis odium præſeferant, tu nihilominus non iraſcaris, ſed in Pace te contineas, uti dicit Propheta Regius: *Cum his, qui oderunt Pacem, eram Pacificus. Pſal. CXIX. v. 17.* Singulariter verò attendere oportet, ut devincatur ſuperbia; ab hac enim radice vires ſuas accipiunt omnia illa iræ, invidiæ, ac inordinati Zeli vitia, quæ bellum fraternæ caritati movent; hinc ubi regnat ſuperbia, Pax regnare non poteſt: *Inter ſuperbos ſemper jurgia ſunt. Prov. XIII. v. 10.*

Animi

Animi proin demiſſio, ſive Humilitas, maximum tollet ac unicum impedimentum, quod fraternæ Caritatis unitati obſiſtit; & ſi unitas iſthæc ex fragilitate humana nonnihil diſſolvatur, eadem hæc animi demiſſio mox aderit, ad illam multò firmiùs, quàm antea fuerit, conſtringendam; ſi enim tu ipſe, poſtquam per inadvertentiam, fratrum tuorum aliquem offendiſti, prior illum conveniās, coram illo te demittas, ac veniam roges, fortiùs quàm antè Caritas te inter & illum firmabitur: *Sola humilitas eſt læſæ Caritatis reparatio;* utì dicit S. Bernardus. Si os aliquod in corpore frangatur, tantas natura illi reſtituendo ſuppetias affert, ut, poſtquam illud ſanitati reſtitutum fuerit, ex quavis alia parte frangatur faciliùs, quàm ex illa, qua fractum eſt priùs. Idem præſtabit & Gratia per animi demiſſionem.

Verùm ut accendatur ignis, non ſatis eſt, quòd à frigido ligno removeantur impedimenta, ſed oportet inſuper, alias addere diſpoſitiones, ut ignem concipiat. Diſpoſitiones autem ad accendendam in te Caritatem erunt, bene expendere cauſas ad virtutem hanc moventes; tam illas, quæ ad hanc imperandam, quàm eas, quæ ad eandem exercendam faciunt. Frequentiùs igitur, & maturè conſidera, quòd omnes tui Proximi ſint à Deo & ad illum, ùt Creatorem, ùt Redemptorem, & Autorem ſuæ gloriæ pertineant; & mox intelliges neceſſitatem,

quam

quam habes, ad amandos illos omnes. Qui Perſonæ alicui cum vehementi deſiderio benevult, illius etiam amicis, illius liberis, illius famulis bene vult; viſa ſolùm illius imàgine, converſîs ſolummodò ad eam, in quà ſolet habitare, domum oculîs, mox emollitur ad amorem. Itaque ſi Proximus tuus ex omnibus hiſce capitibus ad DEum pertinet, quomodo illum non amabis? Quilibet Proximus eſt opus Manuum Divinarum, eſt Imagò Artificis Omnipotentis, eſt filius magni illius Patris cœleſtis; ſolum id, quòd ſit imago Dei, quamprimum tibi animum debet emollire, etiamſi is ab ira penitus eſſet inflammatus. Refert S. Cyrillus Alexandrinus de Populis quibusdam idololatris, quòd, cùm in ipſo prælii calore Deorum ſuorum imagines in hoſtium ſuorum ſcutis depictas cernerent, non auſi fuerint ſagittas ſuas in eos evibare. Et tu, ſi recorderis, Proximos tuos non pictas ſolùm, ſed vivas eſſe Dei ac Domini tui imagines, eos & linguâ & irâ tuâ etiamnum perſequi ac ferire poteris, veluti ſi in illis non vulnerares DEum tuum? Tantopere te perſequitur dæmon, &, ut ipſe nôſti, ad mortem te odit; ſed cur id? an tu forſan illius pœnæ cauſam aliquam dediſti! an tu forſitan illum de cœlo in flammas ſuas præcipitem egiſti? Nequaquam ſanè. Sed odio tamen lethali te perſeqitur, quia tu illius Domini es imago, qui illum cœlô deturbavit, & tantîs modò ſuppli-

ſuppliciîs caſtigat. Igitur ſi id unum, quòd ſis imago Dei, occaſionem dæmoni præbet, tam obſtinatè te perſequendi, an idipſum, quòd Proximus tuus ſit imago Dei, juſta tibi cauſa non erit, complectendi illum per Caritatem? Et ſi ſolus hic titulus ſufficeret, quid valere debebunt reliqui omnes, quorum facta jam eſt mentio?

Hæc ipſa cauſa majores adhuc vires acquiret, ſi conſideres, quòd Proximi tui non modò ad DEum Creatorem, ſed etiam ad DEum Redemptorem pertineant. Quid muſcâ vilius, ſecundùm ſe conſideratâ? & nihilominus viliſſima muſca, electro incluſa, in eóque ſepulta, eſt unum è pulcherrimis Regii cujusdam Ambulacri Mirabilibus. Non oportet intueri Proximos, ùt inopes, & defectibus obnoxios; ſed conſiderari debent, ùt JEſu Chriſti ſanguine tincti, & infinitô Redemptionis ſuæ pretiô nobilitati. Et ſi hoc illos obtutu conſideraveris, quomodo tibi cari non eſſe poterunt? profectò non aliter, quàm quòd JEſus Chriſtus tibi carus non ſit. Idque tantò ampliùs, quia Redemptor Divinus non ſolùm redemit omnes homines, ſed iis etiam ceſſit omnia illa debita, quæ apud Ipſum tu contraxiſti. Petit Apoſtolus à Philemone, ut Oneſimum ſuſcipiat, veluti ſeipſum: *Tu autem illum, ùt mea viſcera, ſuſcipe. Philem. v. 12.* Recipe Oneſimum, licèt mancipium, & fugitivum, ac liberaliter illum habe, ſicut re-

ciperes, ac haberes meipſum, ſi venirem in domum tuam. Idipſum & Chriſtus dicit ad omnes Fideles ſuos: Proximum tuum excipe, & ita habe, ſicut exciperes, & haberes meipſum; ego Meorum cuilibet omnia illa debita cedo, quæ à te repetere poſſem; quod mihi debes, ſolve cuilibet ex minimis meis, & ego in meis id acceptis referam. Cùm S. Joannes Dei ægro cuidam Pauperi pedes lavaret, ſéque, ut illos oſcularetur, inclinaret, vidit in illius pedibus lucem aliquam cœleſtem, & eodem tempore diſparuit illi Pauper ex oculis, ſimul verò dulciſſima iſthæc verba illius auribus ſunt illapſa: Joannes! quod fit Pauperibus, mihi fit. Jam ego te interrogo: Nihilne tu JEſu Chriſto debes? Si non tantùm ob beneficia, quæ ab Illo recepiſti, ſed etiam ob peccata, quæ adversùs Illum perpetrâſti, immenſa apud Illum debita contraxiſti, bene attende, quòd Dominus rationes ſuas ceſſerit Fratribus tuis, & omnibus tuis Proximis; quantáque proinde eſt felicitas tua, quòd tuîs te debitîs per Caritatem poſſis exolvere, tanta foret miſeria tua, ſi, neglectô tam facilî ſolvendi modô, velles à Divina Juſtitia condemnari, ad tua debita, & ingrati animi tui crimina ſummo cum rigore ſolvenda. Credebat olim cæcus in Ægypto populus, quòd Dii de cœlo in terras deſcenderint, & ſub exuviis ac figura certarum quarundam volucrum ſe abſconderint; idque ſatis erat, ut populus

lus hic magno ſibi piaculo duceret, ſi deinceps volucres illas vel occideret, vel afficeret ullâ moleſtiâ. Jam verò, dum fabula non eſt, ſed Evangelica veritas, quòd ſub perſona Proximorum noſtrorum lateat verus DEus, id tamen Chriſtianis non ſufficit, ut ament, ac tenere diligant quemlibet Fratrem ſuum, veluti ſi is foret ipſe Chriſtus! Itaque ſi deinceps tibi præbeatur occaſio inſerviendi Fratrum tuorum alicui, dic in animo tuo: nunc ego magnam hanc habeo felicitatem ſerviendi Perſonæ JEſu Chriſti; & intuere Proximum illum, veluti ſi videres DEum tuum, ut olim dicebat Jacob, dum Eſavo fratri ſuo deferebat obſequia ſua: *Sic vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei. Gen. XXXIII. v. 10.* Si verò ex humana quadam miſeria & infirmitate intepeſcere te aliquando ſentias in ſuſceptis ex Caritate laboribus, illam adhibe induſtriam, quæ ad reſtaurandas Adamanti vires, cùm eas ille perdidit, prodeſſe ſolet, & in eo conſiſtit, quòd is aliquanto tempore involvatur purpurâ; tu involve cor tuum conſiderationi pretioſi Sanguinis, à Chriſto JESU pro omnibus hominibus effuſi, & æſtimationi ingentis pretii, quo Ipſi conſtiterunt homines; inde vires accipies, homines omnes per ſanctum amorem ad te trahendi, quin vel unus excludatur.

Supereſt, ut aliquid etiam dicatur de tertio titulo, vi cujus Proximi omnes ad DEum

pertinent, ùt Autorem gloriæ. Et hoc intuitu magìs illos amore dignos judicare convenit, quàm ex quacunque alia cauſa. Non opus eſt, ut attendas ad id, quod modò eſt frater tuus cum imperfectionibus & defectibus ſuis, quibus eſt obnoxius, vel circumdatus; ſed oportet, ut illum aſpicias veluti talem, qualis olim erit in cœlo, plenus nimirum Deô. Magnorum Regum Primogeniti, cùm adhuc infantes ſunt, licèt loqui neſciant, & longè minùs ratiocinari, ab Aulicis tamen æſtimantur ſummopere; & felicem ſe exiſtimat, quisquis citiùs illis obſequi, famulari, ac blandiri poteſt; quia nimirum non attenditur ad id, quod modò ſunt, ſed ad id, quod fieri poſſunt, & ad Jus, quod habent, olim in Regno ſuccedendi. Jam ſi tibi fides oculos rite aperiret, quomodo te beatum non reputares, ſi amare, & ſervitiîs tuîs devincire tibi poſſes amicum Dei, qui habet jus adeò certum poſſidendi aliquando non Regnum aliquod terrenum per dies pauculos, ſed ipſum adeò Regnum Dei per infinita ſecula? Omne itaque malum noſtrum in eo verſatur, quòd de rebus omnibus ſecundùm id judicemus, quod oculis noſtris cernimus, non verò ſecundùm id, quod reipſa ſunt. Interim quî fieri poterit, ut has Proximum amandi cauſas in animo tuo frequentiùs revolvas, neque tamen cor tuum penitus inflammetur à Caritate?

At

At ſi etiam hoc, quòd Proximi ex tot capitibus ad Deum pertineant, & quòd ab Illo tantopere diligantur, necdum ſufficiat ad pervincendam tuam in illos duritiam, ſufficere ſaltem debebit, ſi intelligas damnum ingens, quod tibímet infers, Proximos non amando. Superiùs tibi dixi, quòd non poſſit amari Deus, niſi amentur unà & homines omnes; jam illud addo, quòd ſi vel unum è proximis tuis ab amore tuo velis excludere, fieri omnino nequeat, ut verè teipſum ames, ac ſalutem tuam: *Qui non diligit, manet in morte. I. Joan. III. v. 14.* Mortuus eſt igitur coram Deo, S. Joanne teſte, qui Proximum non amat; nec eſt, cur ſibi blandiatur dicendo, ſe agere multa bona, ſe diligere ſolum Deum; id verum non eſſe, apertè dicit Sanctus hic Apoſtolus: *Qui non diligit fratrem ſuum, quem videt; Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere? I. Joan. IV. v. 20.* Non poterat profectò JEſus Chriſtus terminîs efficacioribûs, magísque ſignificantibûs Caritatem à nobis exigere, quàm reipſa fecerit: Præceptum Caritatis vocavit præceptum ſuum: *Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem. Joan. XV. v. 12.* veluti præcepta reliqua, huic præcepto comparata, non admodum curaret; in hoc præcepto Legem omnem redegit ad compendium: *Qui diligit Proximum, legem implevit. Rom. XIII. v. 8.* A Patre ſuo cœleſti paulò ante mortem ſuam hoc petiit pro gratia: *Ut omnes unum*

ſint. Joan. XVII. v. 21. Pro menſura & regula Caritatis noſtræ ſuum ipſius erga nos amorem propoſuit: *Ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos. Joan. XV. v. 12.* Cùmque in Lege Moyſis ſufficeret amare Proximos amore tali, quo quis ſeipſum diligit; vult in Lege Chriſtiana, ut ametur Proximus amore tali, quo is amatur ab ipſo Servatore, nimirum ad uſque Sanguinis profuſionem, ad uſque vitam, cùm opus fuerit, inter mille tormenta finiendam. Quid ampliùs? Eò progreſſus eſt, ut Juſtitiæ ſuæ bilancem manibus noſtris committeret, nóſque penitus perſuaderet, quòd eodem Ipſe pondere, quo uſi nos fuerimus erga Proximum noſtrum, etiam erga nos uſurus ſit: *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis. Marc. IV. v. 24.* Tu verò, poſtquam Dominus toties ac tam apertè hæc omnia declaravit, etiamnum interrogabis, quam obligationem habeas diligendi fratrem illum, qui parùm adeò meretur diligi? Tantam nempe obligationem habes illum amandi, quantam habes amandi teipſum, & quantam habes amandi Deum tuum. Et hoc tibi ſatis non eſt?

Quibûs Actibûs exerceatur Caritas erga Proximum.

JAm intellexiſti, Caritatem erga Proximum eſſe Virtutem, quæ directè DEum reſpicit, & inde reflexa, in Proximum vertitur; hinc præceptum amandi Proximum à JEſu

JEſu Chriſto vocatur ſimile præcepto amandi Deum: *Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges Proximum tuum. Matth. XXII. v. 39.* Itaque lex amandi Deum præbebit tibi regulam ad amandos omnes alios ob amorem Ipſius; hinc ſi Dominus à nobis vult amari ex mente, ex corde, ex anima, & ex viribus noſtris; omnibûs etiam hiſce modîs exercere debebimus Caritatem erga Proximum; nimirum internè per cogitationes & affectus; externè verò per verba & opera, eadem omnino ratione, qua Ipſémet illam exercuit in Cruce; ubi, quemadmodum obſervat S. Petrus Damiani *Serm. 45. Os, manus, latus agebant pro inimicis*, & apud Patrem pro cauſa noſtra perorabant.

Oportet igitur primò Proximos amare *ex mente?* id eſt, bonam de omnibus opinionem habere, & ne unum quidem apud ſemetipſum contemnere. Tu non noviſti dignitatem Fratris tui Stephani, dicebat olim Angelus ad quemdam Monachum, qui de Sancto illo Abbate Stephano exiguam habebat æſtimationem. Poſteaquam nos Chriſtus ad dignitatem evexit Filiorum Dei, & Hæredum cœli, Chriſtiani, ùt loquitur S. Auguſtinus, jam non ampliùs ſunt homines, ſed totidem Dii; unde ad illa verba Prophetæ Regii: *Videbitur Deus Deorum in Sion. Pſal. LXXXIII. v. 8.* ſubjungit Sanctus hic Doctor: *Jam non Deus hominum, ſed Deorum, hoc eſt, Chriſtianorum. Epiſt. 25.* Ruſticus aliquis imperi-

tus, qui gemmam in luto jacentem videret, & nullam illius rationem haberet, quid poſtea diceret, ſi eam deinde politam in fronte diadematis regii coruſcare videret? Et tu quid aliquando dices, ſi, poſtquam contempſeris fratrem tuum, ſuo illum tempore in Paradiſi gloria adeò ſplendidum videbis? Aſſueſce igitur, ut nullum unquam Proximorum tuorum deſpicias, & multò minùs pejorem illum judices, quàm prima fronte appareat. Deus vult eſſe ſolus ad nos judicandos, & nihilominus identidem inter nos inveniuntur aliqui, qui hoc ſibi officium arrogant, & ſine juriſdictione, ſine examine, ſine judicialibus actis condemnant Proximos ſuos, atque ad interiora quoque penetrant, & illorum intentiones rimantur; quò tamen ne ipſa quidem Sancta Eccleſia progredi audet, licèt aſſiſtentem ſibi habeat cœleſtem lucem: *Eccleſia de internis non judicat.* Tu jam ita non age, ſed pro viribus tuis bonam de aliis opinionem conſerva, & in eorum defectibus vel ipſum factum, vel operantis intentionem, vel ejus denique fragilitatem excuſa; atque ita ſecurus eſto, quòd, uti narratur de illo Monacho, qui lætabatur in morte ob allata ſibi ab Angelo bona ſalutis ſuæ nuntia, propterea, quòd bene ſemper de aliis judicaverit, etiam tu ſperare poſſis, quòd ſub periculoſum illud tempus cor tuum Deus ſolatiô ſit perfuſurus, ſuóque ſtaturus promiſſô: *Nolite judicare, & non judicabimini. Luc. VI. v. 37.*

Pari

Parî modô interiora *cordis* tui in Caritatis ſavorem impende, & commiſerationem ac patientiam erga Fratres tuos in illud admitte; invidiam verò & averſionem ab eodem exclude. Magnum Electionis æternæ ſignum eſt tenera illa in Proximum habere viſcera, ejúsque labores, morbos, ac lapſus commiſerari. Ita nos certos reddit Apoſtolus Paulus *Coloſſ. III. v. 12. Induite vos, ſicut Electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ.* Et perferre ſeſe invicem in moleſtiis illis, quas communis ſimul vivendi ratio ſecum affert, res tantæ virtutis eſt, ut in ea, velut in compendio, tota JEſu Chriſti Lex comprehenſa videatur; uti perſpicuè nos docet Apoſtolus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Gal. VI. v. 2.* Invidia porro extra omne dubium eſt venenum Caritatis, dum videlicet homo aliorum commoda cum triſtitia videt, propterea, quòd arbitretur, alterius bonô imminui ſua commoda; dum interim Caritas, quæ de aliorum bonis lætatur, hac ratione facit, ut etiam illa in proprium ſuum commodum cedant: *Soror noſtra es; creſcas in mille millia. Gen. XXIV. v. 60.*

9.

Præ cæteris autem omnibus, ut Caritati in corde locus ſit, neceſſarium eſt, ut omnis ex eo pellatur averſio, ſive fundata illa ſit in quadam naturæ diſſimilitudine, ſive in diuturna acceptæ cujusdam injuriæ memoria. Fierîne poteſt, ut in ſacris etiam Cœnobiis aſylum

aliquod inveniat hæc memoria, cùm tamen à Chriſtianis omnibus deberet eſſe proſcripta? Ego hunc vel illum non odi, dicet forſitan Religioſus aliquis, ſed loqui cum illo non volo, aut ſaltem negotii cum ipſo quidquam deinceps non habebo. Quid verò cogitat, qui ita loquitur? Ergo Caritas, id eſt, Virtutum omnium Regina, totius Legis compendium, clariſſimum Chriſtianæ Virtutis ſignum, proprium Redemptoris noſtri Inſigne, reſtringi debet ad terminum negativum, ùt in ſcholis loquimur, atque ad non inferendum duntaxat Proximo ſuo malum? Si ita res habet, majori Caritate numquam abundabis, quàm cùm in utramque aurem profundiſſimè dormis; tunc enim neque malum ulli hominum infers, nec malè ipſi cupis. Procul abſint à Servo Chriſti tam cæcæ tenebræ, quæ etiam in Mundo ipſo lethale frigus inducunt; in ejus vicem tu illi, qui te affecit injuriâ, majorem amoris tui partem impende, ut promerearis pulchrum illum titulum, quem dat Electis ſuis Dominus, dum eos appellat Filios olei, id eſt, merum amorem: *Illi ſunt filii olei. Zach. IV. v. 14.* S. Ignatius de Loyola tam erat ſolicitus, ut bona redderet pro malis, ut inter familiares ipſius in proverbium pene abîerit: quisquis à Patre Ignatio cupit obſequium, oportet, ut injuriam illi inferat; tum enim certus erit, quòd ab eo quodlibet beneficium ſit obtenturus.

Si

Si interiora plena fuerint caritate, in morem ignis illa ſe occultare non poterit, ſed quamprimum erumpet in bona verba, & opera. Sapiens dicit, in poteſtate linguæ ſitam eſſe vitam & mortem: *Mors & vita in manu linguæ. Prov. XVIII. v. 21.* Experimentum capitur in Caritate; quia verba benigna, plena demiſſione, & quæ Proximi defectus excuſant, illúmque defendunt, dum querelæ adverſùs illum audiuntur, vel certè ſermonem hujusmodi aliò divertunt, aptiſſima ſunt ad dandam illi vitam, & inſtaurandam animorum concordiam, quam Dominus Amoris ſancti auxiliô reſtituere cupit; quemadmodum è contrario verba mordacia, & contentioſa, dum præſens eſt Proximus noſter, & verba contemptum illius redolentia, ejúsque famam lædentia, dum abeſt, ſunt totidem tela, quæ perdendæ penitus eidem Caritati, & occidendæ pariter loquentis animæ quàm maximè ſunt idonea; & contingit etiam hîc cum proportione idipſum, quod Medici dicunt, halitum nempe frigidiorem indicium eſſe, quòd calor naturalis jamjam exſpiret.

Sola denique verba forent ſterilia, neque ſufficerent conſervandæ Caritati, niſi illis adjungerentur etiam opera. Prima hæc ignis proprietas eſt, ſemper agere, & numquam conſiſtere, ùt Elementa reliqua ſolent conquieſcere. S. Thereſia ſibi firmiter propoſuerat, quotidie aliquod in Proximum exercere

cere Caritatis officium; & cùm illi oblata non fuiſſe videbatur commoda ejus exercendæ occaſio, expectabat veſperi, dum Moniales reliquæ venirent ad accendendum alicubi lumen; tum verò obviàm illis ibat, & lumen afferebat, ut qualicunque illarum incommodo parceret, & diem integram elabi non ſineret absque iſtius amabilis virtutis exercitio. Beatum te, ſi vitam tuam ornamentîs adeò pulchrîs decorare noveris, & multò adhuc magìs beatum, ſi illam ſimili quodam opere in morte finias ad exemplum Phœnicis, qui in rogo, à Solis radiis accenſo, moritur. Hoc itaque ſit continuum vitæ tuæ negotium, identidem exercere Caritatem, jam erga Deum, jam erga Proximum. Matrem imitare, quæ duos filios ægrotantes habet, & ab uno non diſcedit, niſi ut alteri ſerviat. Exemplum Chriſtianorum antiquorum ſemper ob oculos habe, qui omnes erant cor unum & anima una; non ſolùm cor unum, quod dividi poteſt; ſed & anima una, quæ dividi omnino non poteſt; & ſi aliquando hoc in genere delinquas, defectum hujusmodi in temetipſo ſummo cum rigore, maximóque cum dolore caſtiga, ut cor tuum in eum ordinem redigas, quem Deus à te deſiderat: *Animas veſtras caſtificantes in obedientia Caritatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentiùs. I. Pet. I. v. 22.*

ME-

MEDITATIO SECUNDA.

Pro octava Exercitiorum die.

De Spinea Coronatione.

I.

COnſidera *Cruciatum* acerbiſſimæ coronationis iſtius, qua pro JEſu Chriſti capite confectus eſt quidam quaſi pileus è ſpinis, quæ inflictorum verberum vi adorandum illud Caput omni ex parte ad oſſa uſque penetrârunt. Siquis dolor capitis unam duntaxat illius partem afficiat, totus afflictatus & proſtratus eſt homo; qualem igitur afflictationem Servatori tuo gignere debuêre plùs quàm ſeptuaginta ſpinæ, quæ, ùt ex variis Revelationibus eruitur, teneram adeò corporis partem, qualis eſt caput, in quo ſenſus omnes reſident, vulnerabant, atque à carnificibus tum cannâ, tum armatîs ferrô manibûs ita imprimebantur capiti, ut, perforatîs temporibûs, ſupra oculos & aures extarent, ac divinam illam faciem, quæ omnem cœlorum in ſe amorem rapit, ſanguine complerent? Unica interdum ſpina, Leonis alicujus pedi infixa, ſatis fuit, ut rugitum illi præ doloribus exprimeret; hinc tu dolorem collige, quem Chriſtus à tot ſpinis perſentire debuit; idque tantò magis, quia pœnæ hujus acerbitas mitigata non ampliùs fuit, ùt mitigatus eſt dolor flagellorum; ſed potiùs ad extremum uſque

uſque identidem crevit. En fructum, quem protulit terra cordis tui, ab ipſo Dei Filio tot laboribûs culta, tot inſpirationibûs fœcundata, tot ſudoribûs, tot Sanguinis rivîs irrigata! Aliud proferre neſcivit, quàm ſpinas novarum ſine fine culparum. Nec tamen times, ut terra tam ingrata, tam maledicta vivîs aliquando flammîs caſtigari debeat? Non multum abibit temporis, cùm ad Dei Tribunal evocaberis, ubi ratio tibi reddenda erit pro tot ingrati animi notis, quas opponere auſus es tot doloribus, quos pro te paſſus eſt Deus ac Dominus tuus. Quid agis igitur? cur modò te non demittis ad infernum uſque? cur eundem hunc Dominum non ex animo rogas, ut manum tibi porrigat ad emendandam vitam, & præteritas negligentias per tantò majorem in illo amando fervorem reſarciendas?

II. Conſidera *Novitatem* iſtius cruciatûs, cùm ille ad id uſque temporis nulli unquam alteri fuerit irrogatus. Satanæ rabies terris illum ex inferis intuliſſe debuit; & infinita Servatoris noſtri Caritas eum in ſuo capite experiri dignata eſt, tum ut à planta pedis uſque ad verticem non eſſet in Ipſo pars ulla ſine vulnere, quia & in homine à capite ad calcem uſque pedis pars ſana non erat; tum etiam, ut novo hoc patiendi modo ſatisfaceret pro tot inventionibus commoditatum ac voluptatum, quas ubique indagamus, ut corpori noſtro blandiamur. Vide igitur, quomo-

modo inter ſe contendant Chriſti erga nos amor, & noſtra malitia; Ille, ut novos pro nobis patiendi modos inveniat; hæc, ut novos inveniat modos Illum offendendi. An autem & tu iſtius diſcordiæ flammas nutrire ſemper voles? En, adeſt jam aliquando tempus eam finiendi, & imitandi Redemptorem tuum; dum enim Illi non ſufficiunt pœnæ, omnibûs præteritîs ſeculîs uſitatæ, niſi præterea inveniantur novæ, prioribûs ſeculîs inauditæ; tu ſatis non habe, quòd communem in Ejus ſervitio diligentiam adhibeas, ſed propone, ad amorem inſolitum & perfectum eniti. Præterita ingrati animi tui vitia, & amoris plena Domini tui inventa invicem compara, & erubeſce; Eúmque roga, ut, licèt Ipſum tantîs doloribûs coronaveris, dum interim Ipſe tantâ te coronavit gloriâ, tuam nihilominus malitiam velit ſuperare gratiarum ſuarum abundantiâ, & cor tuum Sibi quàm perfectiſſimè ſubjicere.

III. Conſidera *Myſterium* doloriferæ Coronationis iſtius; éſtque illud, ut intelligas, non eſſe digna ſub iſthoc ſpinoſo Capite membra, niſi ſolos illos, qui ſequuntur Chriſtum per viam Pœnitentiæ, & caſtigationis propriæ carnis. Quàm monſtroſa igitur eſt illius Religioſi perverſitas, qui non ſolùm patientem ſuum Dominum non imitatur, ſed & pro omnibus ſuis viribus quærit delicias, ſibíque roſas eligit, & JEſu Chriſto relinquit ſpinas? Quomodo hic talis in cœlo regnare vult,

vult, cùm priùs in terris per coronam laborum & dolorum non promeruerit illud immortale Gloriæ diadema? Ignorantia hujuſmodi vel Mundi ſectatores dedecet; & locum inveniat in Religioſorum Cœnobiis? Heu! quæ ſpinæ non jam caput, ſed cor illius lancinabunt, qui, cùm geſtaverit Inſignia Domini, ſanctum videlicet Religionis habitum, ſuam tamen vitam impendit fugiendis duntaxat afflictionibus, & inquirendis deliciis! Prô! quanti tunc non emeret vel dimidiam horulam illius pœnitentiæ, quam nunc tantopere abhorret! Erubeſce, quòd uſque adhuc pati horrueris, & indignum te reddideris, qui habearis pro ſervo Domini tui, cùm illi adeò diſſimilis fueris. Statue, ſecundùm alia dictamina tuam deinceps vitam inſtituere, & roga Deum, ut te corroboret ad conſervanda firmiter propoſita tua, ut ſua vulnera Patri cœleſti pro te exhibeat, ut ſua merita in debitorum tuorum ſatisfactionem offerat, & copioſam tibi miſericordiam obtineat.

EXAMEN
Pro die octava.
De Modo, quo te geris erga Religionem, & ſancta Vota.
I.

EXamina te 1. Quam æſtimationem habeas *de Vocatione Religioſa*, quæ eſt pignus Vitæ æternæ, ſi ad tuum profectum illa

illâ ſolerter uti noveris; éſtque gratia gratiarum, quia innumerabilem illarum numerum ſecum trahit? 2. An ſis ſolicitus, ut gratias Deo frequenter agas, quòd hac in parte tam ſingularî te privilegiô donaverit? 3. An æſtimationem iſtam etiam oſtendas, quando cum Mundi ſectatoribus loqueris, de tuo ſtatu laudabiliter loquendo, & contemnendo ipſorum vanitates? 4. An manè ſacrum habitum oſculeris, antequam illum induas? 5. An etiam afflictionum tempore ſortem tuam omnibus mundi dignitatibus præferas?

II. Examina te 1. Quam æſtimationem habeas *de omnibus ſacris Votis in genere*, utpote quæ ſunt nodus aliquis, quo ſtrictiùs Deo conjungimur? ob illa comparatur ſacra Religio ipſi Martyrio; & per illa, cùm offeruntur Deo, ſolvuntur omnia debita, per vitæ prioris, in mundo exactæ, culpas contracta. 2. Vide, an hæc tua vota cum magna cordis amplitudine renoves, & quàm frequenter? 3. An ſaltem in qualibet Sacra Communione, vel etiam, uti ſolent ferventiores aliqui Religioſi, ter de die, ad quemlibet videlicet pulſum Salutationis Angelicæ; renovando votum Caſtitatis ad illa verba: *Angelus Domini &c.* votum Obedientiæ, cùm dicunt: *Ecce Ancilla &c.* votum denique Paupertatis, dum orant: *Et verbum Caro &c.*

III. Examina te *circa Regularum tuarum cuſtodiam*. 1. An eas obſerves veluti leges,

quæ à Deo procedunt, & ad Deum dirigunt? 2. An eorum aliquam contemnas, velut exigui momenti, ignarus, quòd in rebus divinis nihil ſit contemptibile, quódque, ſi DEus tantam cujuslibet actûs boni rationem habet, ut pro illo immenſum ac æternum in cœlo præmium largiri velit, tu minimè debeas exiguam nunc illius rationem habere?

IV. Examina te peculariter de *Paupertate*, & primùm quidem circa hujus voti ſubſtantiam. 1. An nihil dones ſine facultate? 2. An ſine facultate ab aliis nihil accipias, aliis nihil commodes, nec aliquid ab iis commodatò accipias, & re nulla, tamquam propria, utaris? 3. An aliquid abſconditum habeas absque Superiorum notitia? 4. An rerum communium atque ad uſum tibi conceſſarum exiguam curam habeas? 5. An expenſas facias pro comparandis rebus vanis? 6. An plus aliis dones, quàm Superiorum facultas permittere tibi poſſit? aut penes te majorem pecuniæ ſummam retineas, quàm licitum ſit, eámque in locum aliorum Depoſitorum deferre negligas?

V. Examina te *circa Perfectionem hujus voti*. 1. An petas facultatem pro rebus ſuperfluis? 2. An inordinato feraris affectu erga illa, quæ tibi conceſſa ſunt, ita, ut multùm triſtareris, ſi tibi auferrentur? 3. An deſideres aliqua ſingularia in victu vel veſtitu? 4. An cogites de commoditatibus in mundo relictis? 5. An res paupertinas dedigne-

digneris? 6. An in tuis infirmitatibus deſideres, ut propter te multæ fiant expenſæ? 7. An velis, ut tibi magna cum accuratione ſerviatur, veluti ſi fores Dominus? 8. An res neceſſarias velis habere nimiùm quantùm accommodas? 9. An, cùm tibi deeſt aliquid, gratias Deo referas, quòd aliquo modo Sibi te ſimilem faciat? 10. An interdum luſtres cubiculum tuum, ut deprehendas, num in eo ſit aliquid ſuperfluum? 11. An in animo tuo ſis paratus, creaturîs omnibûs te privare, ut nullum te inter ac Deum ſit obſtaculum?

VI. Examina te *circa ſubſtantiam voti Caſtitatis*. 1. An ſis diligens in avertendo animo à cogitationibus impuris? 2. An procul ſis à ſermonibus, quæ tuo ſtatui quacunque ratione minùs conveniunt? 3. An caveas ab aſpiciendis periculoſis objectis, & legendis ejusdem farinæ libris? 4. An affectibus nimiùm teneris, & juſtô ferventioribus erga Perſonam aliquam locum indulgeas? 5. An eosdem foveas per munuſcula, litteras, aut verba, nimiam affectionem ſpirantia? 6. An exerceas, vel aliis permittas nimiam in converſando familiaritatem, & modîs aliîs, homine Religioſo non admodum dignîs, eam oſtendas? Reliqua non indigent explicatione.

VII. Examina te *circa Perfectionem hujus virtutis*, quæ te Angelis æqualem, vel omnino ſuperiorem facit, dum id per gratiam

tu poſſides, quod illi poſſident per naturam. Vide igitur 1. An nullam Perſonam ames ex alia cauſa, quàm ex amore Dei? 2. An numquam loquaris de forma corporis, de venuſtate, de ornamentis alicujus perſonæ, præſertim alterius ſexûs? 3. An, quod tuam perſonam attinet, cùm ſolus es, eam teneas decentiam, quam in aliorum præſentia teneres, præſertim cùm veſtes induis, ac deponis? 4. An ſis magnopere ſolicitus pro conſervando Puritatis theſauro, & adhibeas omnia media, ad hunc finem idonea; ſenſuum videlicet cuſtodiam, corporis caſtigationem, diffidentiam de teipſo, & recurſum ad DEum per orationem?

VIII. Examina te imprimis *circa ſubſtantiam Obedientiæ*. 1. An Superiorum Ordinationibus obedire negligas? 2. An gravatè, aut coactus tantùm obedias? 3. An tardè illuc te conferas, quò te vocat Obedientia? 4. An malè de iis loquaris, qui Dei locum obtinent, aut cum exigua, ſive cùm abſunt, ſive dum ſunt præſentes, reverentia? 5. An ob res, tibi contra tuum guſtum imperatas, conquereraris? 6. An difficultatem moveas propterea, quòd hujusmodi res hucusque tibi numquam injunctæ fuerint; aut ſine juſta cauſa te excuſes? 7. An eum eligas, vel habere cupias Superiorem, quem ſperas, tibi magis faventem fore? 8. An eos Superiores contemnas, qui tibi non favent, eósque fugias, aut illis ſubeſſe nolis?

IX. Exa-

IX. Examina te *circa Perfectionem Obedientiæ.* 1. An generoſè vincas omnem animi repugnantiam, & nullum illius ſignum exteriùs edas? 2. An in Superioribus Dei Perſonam agnoſcas, & hac ex cauſa illis obedias, ac ita quidem, ut obedires ipſi Deo? 3. An obedias voluntati Superiorum, etiamſi ſolo nutu, ſine expreſſo mandato, tibi ſignificetur? 4. An obedias Superioribus tam Majoribus, quàm Minoribus. 5. An tuum judicium illorum judicio ſubmittas, qui præcipiunt, quin aliam rationem inquiras? 6. An Obedientiam ames, eámque magnam eſſe judices Religioſi Statûs felicitatem, uti revera eſt?

De omnibus, quos inveneris, defectibus erubeſce, & pro iis extirpandis eos actus exerce, qui in aliis Examinibus ſunt indicati.

MEDITATIO TERTIA

Pro octava Exercitiorum die.

De Cruce, à Domino bajulata.

I.

COnſidera modum, quo JEſus Chriſtus portavit Crucem ſuam, ut illum imitari queas, cùm ſine Cruce ad Regnum Cœlorum perveniri non poſſit. Primò itaque portavit eam *Publicè*, ſub ipſam Meridiem,

per mediam Civitatem Jeroſolymæ, civitatem alioqui populoſam, ſub illud verò tempus longè populoſiſſimam ob multitudinem Judæorum, qui ab omni parte ad Paſcha celebrandum accurrebant. Progreditur cum illa Servator è Palatio Pilati inter duos latrones medius, coronam ſpineam in capite pro ignominia & majori ſupplicio ferens, conſuetíſque ſuîs veſtibûs indutus, ut faciliùs ab omnibus agnoſcatur. Præcedit Præco publicus, qui ad buccinæ ſonitum Ipſum proclamat mortis Reum; ſtipatur militibûs & carnificibûs, qui Illum trahunt, ut eum citiùs ad patibulum perducant; ſequitur populus innumerabilis, qui non modò Illius non miſeretur, ſed Illi inſuper inſultat. Imaginare tibi igitur, quantùm accreverit pudor JEſu Chriſti in hac longa & dolorifera ad Montem Calvarium via; quem tamen ipſémet elegit, ut ſatisfaceret pro malo quodam alio pudore, quo tu videlicet erubeſcis videri regularum obſervans, abrumpere ſermonem aliquem, ſtatui Religioſo minùs conſentaneum, ſacram Synaxin ſæpius frequentare, publicam aliquam pœnitentiam interdum ſubire, verbo: quo erubeſcis publicè portare Inſignia Domini tui, ex quibus omnes cognoſcere poſſent, quòd Illi ex animo ſervire cupias. O maledictos hominum reſpectus, qui tam iniqui ſunt, ac noxii, non in Mundo ſolùm, ſed & in ſchola Chriſti, in ſacra videlicet Religione!

Quan-

Quantùm non proficit vel modicô temporis ſpatiô anima illa, quæ ſuîs eos pedibûs conterit! Dum Chriſtus progrediebatur, veluti latronum Coryphæus, alligato ad collum fune, & conſtrictîs ambabûs manibûs; dum eum populus intuebatur veluti Reum, condemnatum ad mortem, & infamem; eodem tempore ſpectaculum hoc intuebantur Angeli, & præ admiratione rapiebantur in ecſtaſin; Juſtitia & Miſericordia æterni Patris infinito ſe honore affectas reputabant. Ita cùm derideri te contigerit ob aliquod virtutis exercitium, totum tibi cœlum applaudet, & æternam Gloriæ coronam tibi præparabit DEus: *Maledicent illi, & tu benedices. Pſal. CVIII. v. 28.* O mutuum proficuum! Et nihilominus majorem toties habuiſti rationem maledicentium tibi creaturarum, quàm benedicentis tibi Dei! Amaro igitur pudore ſuffundere, & propone, regularis obſervantiæ Crucem publicè cum Chriſto portare; erubeſce imposterum, contra Illius exemplum agere, Eúmque non imitari; & quia mundum corpore tenus reliquiſti, pete gratiam, illum etiam corde tenus ita relinquendi, ut ipſius laudes & vituperia æqualiter negligas, & contemnas; atque ita de te cum veritate affirmari poſſit, quòd *Sicut Angelus Dei - - nec benedictione, nec maledictione movearis. II. Reg. XIV. v. 17.*

II. Conſidera, quòd Chriſtus Crucem ſuam non ſolùm portaverit publicè, ſed etiam *Generosè*. Perbene noverat grave illius ligni pondus, in quo mundi totius iniquitates ferebat; perbene noverat virium ſuarum debilitatem ob magnam profuſi Sanguinis copiam, & internos externóſque Humanitatis ſuæ ſacratiſſimæ dolores; abunde pariter intelligebat iniquitatem illius ſententiæ, quæ Judicem vivorum & mortuorum, Sanctum Sanctorum, ac totius Univerſi Dominum condemnavit, ut mortem in Crucis patibulum ſuffixus oppeteret; & nihilominus hoc ipſum patibulum amplexatur, ad pectus apprimit, & intuetur velut altare, in quo ſuam ſit vitam immolaturus, intuetur veluti thronum Amoris ſui, ac velut inſtrumentum Redemptionis noſtræ. Huic tu magnanimitati jam compara modum illum, quo tuam tu Crucem bajulas, quantumvis illa ſit, ac dici poſſit Crux paleata. Primùm quidem viam omnem indagas, qua ſubterfugere id omne queas, quod corruptæ naturæ tuæ grave eſt, ac difficile; tum verò ſi nihilominus id ferre cogaris, toleras cum impatientia, imò forſan etiam cum ira & furore. Unde ſatis apparet, quòd non intelligas, quid rei ſit Crux adverſitatis ac pœnitentiæ, ne nunc quidem, poſteaquam ſuô illam exemplô ſacravit Dominus, eámque neceſſarium conſtituit medium intrandi ad Gloriam: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in*

Regnum

Regnum Dei. Act. XIV. v. 21. Verùm oportet, ut errorem dedócearis; ſine Cruce nulla tibi ſalus eſt; ſtatuta eſt hæc lex, in qua DEus ob teporem tuum relaxationem fieri non patietur. Teipſum igitur anima; vires, quæ tibi deſunt, ſuppeditabit tibi DEus; nam alioquin grande periculum erit, ne ſub onere cóncidas. Erubeſce, quòd adhucdum adeò procul receſſeris à bono tuo, & recuſaveris pati pro tuo Domino; roga Illum, ut infirmitatem tuam ſuâ gratiâ roboret; propone, Illum ad montem Calvariæ per veſtigia, Illius Sanguine in itinere illo ſignata, ſequi, donec ibi cum Illo moriaris.

III. Conſidera, quòd Chriſtus Crucem ſuam non modò publicè ac generoſè bajulaverit, ſed etiam *Perſeveranter.* Dum in laborioſo hoc plùs mille paſſuum itinere à Prætorio ad montem Calvarium Crucem in ſuis humeris Servator bajulabat, ejúsque extremitate verrebat humum, ad ſingulos propemodum paſſus ceſpitabat, atque ita non modò ſuos identidem renovabat dolores, ſed interdum etiam ſub onere concidebat; unde, cùm metuerent carnifices ac Judæi, ne in via moreretur, antequam Illum crucifigerent, Ei nonnihil ſublevando Simonem Cyrenæum ad ſubeundum Crucis onus adegerunt. Adverte igitur, quòd, uti ex parte inimicorúm Chriſti levamen hoc non erat commiſerationis, ſed crudelitatis effectus, ita ex parte Servatoris noſtri non

 fuerit

fuerit aliquod in ferenda cruce tædium, non aliqua de impoſito ſibi nimio pondere querela, non aliquod Crucis ab humeris projiciendæ deſiderium, ſed ſingulare Myſterium, quo ſignificare nobis voluit, quòd Electos ſuos omnes ſuæ quoque Crucis velit participes facere. De reliquo, quantum ex parte ipſius eſt, paratus eſt ferre Crucem, etiamſi ſub illa frequentiùs concidat, etiamſi ſub illius gravi pondere moriatur. At quàm malè hactenus hanc tu veritatem intellexiſti? Vix boni aliquid agere incipis, cùm levi quolibet occurrente obſtaculo iterùm deſiſtis. Levis quælibet mentis in tua negotia, in labores tuos evagatio ſufficit, ut Orationem intermittere te faciat; ſufficit aliquod tædium, ſufficit aliqua tentatio, ſufficit interdum dimidia tecum jocantis vocula, ut à bona, quam terere cœpiſti, ſemita reverti te faciat. Et hæc tua ſit perſeverantia? Sic reſpondes tanto ac tam profuſo Domini tui amori, quo ſalvare te cupit? Dole, ac erubeſce de ingrato animo tuo; gratias age Deo tuo, quòd à malitia tua ſe vinci non ſinat; Eúmque roga, ut impertiatur tibi gratiam, Illum ſequendi ad mortem uſque per Crucem Caſtigationis voluntariæ, quin eam dimittas ampliùs; qui enim Illum ita non ſequitur, dignus Illo non eſt: *Qui non accipit Crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus. Matth. X. v. 38.*

ME-

MEDITATIO QUARTA.
Pro octava Exercitiorum die.

De JEſu Chriſto Crucifixo.

I.

COnſidera, quòd Chriſtus ſit in altum ſublevatus ad omnium conſpectum, ùt ipſe de ſe dixit, in morem ſerpentis æneì, olim in Deſerto exaltati, ut nos omnes ſanet à vulneribus, ac veneno, non ſerpentium, ſed peccatorum. Intuere Illum igitur attentè, & primum obtutum defige in Ejus *Sacratiſſimum Corpus*, quod undique vulneratum, tot plagîs lacerum, transfixum manibûs pedibúsque, partibûs ob omnium nervorum, venarum omnium, & omnium arteriarum concurſum adeò delicatîs, perforatum plùs ſeptuaginta ſpinîs in capite, nudum, vilipenſum, contumeliîs affectum ab inimicis, oculîs à flectu madentibûs, facie pallore ſuffuſa, Sanguine undequaque defluente, ſine ullo interiori, exteriorîve ſolatio, dolore ac pondere ſácrorum ſuorum Membrorum identidem increſcente, paulatim emoritur. Tu, qui ne minimam quidem acûs punctionem ſine tui miſeratione ſuſtinere vales, quomodo poteris non miſerari Servatorem tuum, quem ſuus in ingratos amor ad miſerandum adeò ſtatum redegit? Si videres mancipium milleſima ſolùm ſuppliciorum iſtorum parte ob

ob ſua ſcelera punitum, colliqueſceres animô, & commiſerationem ſentires; quin miſerareris adeò, ſi vel canem hæc pati videres; jam verò totus es induratus, dum ipſe Deus, naturâ humanâ indutus, interiorum & exteriorum dolorum abyſſo immerſus langueſcit, ac emoritur, ſolùm ideo, ut Divino ſuo Sanguine omnibus animæ tuæ malis ſalubre balneum appararet, æternum illi ignem extingueret, eique æternam bonorum omnium poſſeſſionem acquireret! An igitur hæc omnia fide divina credere, & nihilominus in divino ſervitio frigidus perſiſtere, levis cujusque Religioſæ Diſciplinæ impatiens, & omnis exiguæ tantummodo moleſtiæ, quam ex amore Dei tui perlibenter deberes amplecti, eſſe pertæſus poteris? Si dolorem non ſentis Illius dolori ſimilem, non erit pariter duritia ſimilis duritiæ tuæ, niſi vel nunc invertere ſtylum incipias. Nunc quidem hæc tua durities monſtroſa tibi non videtur; ſed quando apparebis coram Domino, & cùm eam tibi talem exhibebit, qualis ea revera eſt, ſtabis attonitus, atque pro excuſatione tua nec os aperies. Itaque vel nunc utiliter erubeſce, & roga veniam, quòd tanto cum frigore immenſæ huic Dei tui Caritati reſponderis, quòd in rebus ad Ejus obſequium pertinentibus ſemper negligens, ad tua ſemper imperia, cum perpetua quadam tui ipſius adoratione, & idololatria, intentus fueris. Deteſtare præterita, & exopta tibi omnium An-

ge-

gelorum, & Sanctorum omnium amorem, ut eo culpas, & peccata tua reſarcire valeas; offer Illi ſuum Ipſius amorem, qui ſolus eſt illo dignus, Eúmque roga, ut cor tuum emolliat illâ Sanguinis ſui pluviâ, qua vel ipſam adeò terram humectavit.

II. Conſidera per alterum Amoris obtutum *Sacratiſſimum Cor* JEſu in Cruce pendentis, & profundè in immenſam illam Caritatis fornacem penetra, quæ non modò tantos inter dolores extincta non eſt, ſed majoribûs identidem flammîs aucta. Vox illa, qua dixit: *Sitio*, non ſolùm indicat, quòd ſitî laboret, ob effuſum jam omnem propè ſanguinem, ſed vult potiùs ſignificare, quòd inſatiabilem patiatur ſitim plura patiendi pro anima tua, adeò, ut, ſi Patri ſuo cœleſti placeret, paratus eſſet, non tribûs duntaxat horîs, ſed ad mundi finem uſque in ſua Cruce pendere. Adverte igitur, quòd debitorum tuorum apud JEſum Chriſtum contractorum ſumma non ſolùm ad mortem unicam, ad Paſſionem unicam aſcendat, ſed ad totidem Paſſiones, ad totidem Mortes, quot Ille inexplicabilî ſuô deſideriô ſuſtinere pro te cupiebat. Compara jam hanc Divini Cordis amplitudinem cum tuis illis anguſtiis, quibûs ea dimetiris, quæ ad Ejus obſequium præſtitiſti, veluti, ſi nimium aliquando præſtare poſſes. Quî poſſibile eſt, ut JEſus Chriſtus tuum amorem tantô Sibi pretiô comparare ſtudeat, & nihilominus illum inte-

te-

tegre poſſidere non valeat, adeò, ut, licèt leve quodlibet incommodum, quod in tui gratiam alii ſubeunt, tuo cordi lucrando ſufficiat, idipſum tamen lucrari nequeat tantorum dolorum copia, támque profuſus Dei Filii Amor, ut moriatur cum deſiderio pluris pro te fundendi Sanguinis, & plures in tuum commodum ponendi vitas! Si mortuus Ille fuiſſet ex mera lætitia, quadam tamen neceſſitate coactus eſſe deberes, ut pro tanto Illi beneficio reſponderes; nunc verò, dum moritur ex dolorum inexplicabilium vi, dúmque in ſuis doloribus nil dolet magis, quàm quòd illi non durent diutiùs, arbitraberis, te facere ſatis, ſi denuo Illum non crucifigas, vulnera non refrices, & clavos Illi non infigas fortiùs per novum aliquod mortale peccatum? Dum interea per occultam aliquam ſuperbiam, per politicum quemdam ex humanis duntaxat finibus operandi modum, per continuam Ipſius Amori redditam duritiem ac ſtupiditatem, Eum amaro duntaxat felle potas? Amariſſimè dole de præterita tua duritia, & veniam Illius corde ſincero flagita; teipſum Illi ad pedem Crucis offer, & tuam Illi libertatem integre dona. Deſidera millena corda, ut illîs omnibûs ingratum tuum animum deteſtari poſſes; exopta duos lachrimarum fontes, ut iîs, cum Servatoris tui Sanguine conjunctîs, cor tuum emollire valeas; ac denique Deum roga, ut tibi vitam auferat, ſi eam forſitan Illi victurus non eſſes,

qui

qui mortem pro te ſuſtinuit, juxta legem ab Apoſtolo promulgatam: *Qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt. II. Cor. V. v. 15.*

III. Conſidera miſerandum JEſu Chriſti, è Cruce pendentis, ſtatum, ac tertium obtutum conjice in *Sacratiſſimam Illius Animam;* quæ ob immenſos, quos interiùs patitur, dolores in quodam cruciatuum Oceano eſt ſubmerſa. Dolores externi, quos Redemptor noſter eſt paſſus, ab inimicorum ſuorum odio provenerunt; interni verò ſuam originem habuêre ab ipſius Chriſti Domini erga nos Caritate; ac proinde, quantùm iſta Carnificum ſuorum rabiem ſuperavit, tantò major fuit etiam internus hic animæ cruciatus, quàm fuerit cruciatus corporis exterior. Interna igitur hæc amarities enormis adeò fuit, ut de illa ſola inter omnes dolores alios apud Patrem ſuum cœleſtem ſuaviter conqueſtus ſit Servator noſter per illa verba: *Deus, Deus meus! ùt quid dereliquiſti me? Matth. XXVII. v. 46.* quibûs oſtendit, quòd Pater ſuus cœleſtis erga ſuam Humanitatem ita ſe geſſerit, velut eam penitus deſeruiſſet, illámque ſolùm ideo conſervaret, ne tam citò moreretur, ſed diutiùs in tormentis ſuis perduraret. Hinc Eum ibi Patrem appellare non voluit, ſed tantummodo Deum, ut nobis indicaret, quòd eo tempore Pater ſe Illi exhibuerit velut extraneum, imò velut adverſarium, cùm aliud Illi non

non daret ſolatium, quàm ad augendum Ipſi cruciatum. Quantum igitur hoc eſt prodigium, quòd, cùm Dominus JEſus ſuos Sibi dolores reddere potuiſſet dulces, ùt eos poſtmodum tot Martyribus dulces reddidit, ſuorum tamen cruciatuum calicem bibere voluerit omnino purum, in ſummo tam cœleſtis, quàm terreni ſolatii defectu; quódque, cùm levi moleſtia mille potuiſſet mundos redimere, tot modos tamen invenire voluerit, in abyſſum pœnarum ſe profundiùs identidem demergendi! Hæc omnia fecit, ut vivaciùs intelligeres amorem, quem Deo debes, & odium, quod debes peccato; atque, dum Christus ſeipſum veluti perdidit, ut perderet peccatum, & amore Patris ſui vitam profudit infiniti pretii, incomprehenſibilî pœnarum abyſſô ſubmerſam, apertè conſtaret omnibus, quòd Divina Voluntas aliis bonis omnibus ſit præferenda, & quòd offendere Majeſtatem illam infinitam ſit malum longè majus, quàm ipſius incarnati Dei mors ſummè dolorifera, utpote quam Ipſémet in tanti mali remedium elegit. Tu interea, quem hauſiſti profectum è cœleſtibus doctrinis iſtis? Forſitan ab odio peccati, & amore Dei tantopere diſtas, ut ne primam quidem Lectionem ſat bene perceperis. Vah ſummum probrum! Verbum incarnatum ſe totum exſpoliat, & velut in nihilum ſe redigit, ut in ſua Cruce veritates iſtas, quæ vel manibûs palpari poſſunt, apertè tibi demonſtret; & illæ ta-

tamen adeò parùm à te cognoſcantur! Agnoſce monſtroſam hanc tuam ignorantiam; atque ob illam in profundum uſque animô te demitte; obſtupeſce temetipſum, quòd inter tot negligentias, & novarum identidem ac novarum culparum acceſſiones adeò tamen te ſecurum exiſtimes; propone, quòd montem Calvarium impoſterum habere velis pro ſchola tua, & precare Deum, ut ſacrorum Clavorum ſuorum aliquo profundè id inſcribat cordi tuo, quod è Cruce ſua veluti Magiſter te docet.

ANNOTATIONES

Pro eo tempore, quod in Sacris Exercitiis tribuitur Viæ Unitivæ.

POſt ſublata peccatorum impedimenta, & introductas per imitationem virtutum JEſu Chriſti diſpoſitiones, aliud non ſupereſt, quàm ut in corde noſtro accendamus beatum illum ignem Caritatis perfectiſſimæ, quæ eſt ultimus ille terminus, ad quem Sacra nos Exercitia dirigunt. Id autem obtinetur per Meditationes ſequentes, quæ ad Viam, ùt rerum ſpiritualium Magiſtri loquuntur, Unitivam pertinent, cùm per amorem unus cum Deo ſpiritus efficiamur, uti nos docet Apoſtolus: *Qui adhæret Domino, unus ſpiritus eſt* cum eo. *I. Cor. VI. v. 17.* Itaque in hiſce meditationibus multò major adhiberi debet

attentio, ut tam grande bonum obtineatur, quantum eſt Uniri Deo, & velut in Illum transformari per memoriam, ſemper de Illo cogitando; per intellectum, magna cum claritate Illum cognoſcendo, & altiſſimam de Illius perfectionibus & immenſo in nos amore ideam concipiendo; per voluntatem, gaudendo de infinitis Ipſius bonis, deſiderando Ipſi uni in rebus omnibus placere, ex puro Ipſius amore omne peccati genus deteſtando, & ad ſanctiſſimam Illius voluntatem integre ſe conformando. Eum in finem magna cum diligentia ſervabis Annotationes, aliàs per Exercitiorum iſtorum decurſum tibi præſcriptas; & iis inſuper adjicies iſtas, quæ huic tempori ſunt magis propriæ.

I. Dum manè evigilas, cura, ut earum mox rerum memoriam habeas, quæ ad lætitiam te ſpiritualem excitare poſſunt, & iis conveniunt Myſteriis, quæ pro Meditationibus tibi proponuntur.

II. Utere in cubiculo tuo clariori luce, & aſpectu cœli, & omni eo, quod ſpiritum tuum excitare poteſt ad gratulandum non modò JEſu Chriſto, à Mortuis Reſurgenti, ſed & tibimet ipſi ob ſpem, quam habes, cum Illo reſurgendi, Eum amandi, & æternùm in cœlis Illo fruendi.

III. Pro auſteritate Pœnitentiarum & afflictationum adhibe jam in victu temperantiam, niſi tunc incidat tempus jejunii; nam ibi temperantia vertenda eſt in abſtinentiam.

SA-

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES NONA.

MEDITATIO PRIMA.

De Reſurrectione Chriſti.

I.

COnſidera, quòd, cùm Propheta nos hortetur ad lætandum ob Reſurrectionem Domini, debeamus primò *Gratulari JEſu Chriſto*, qui illa die tam ſibi beata cum immenſo fœnore id omne rurſum obtinuit, quod amiſerat in Paſſione. Quatuor perdiderat bona, Gaudium videlicet, Venuſtatem, Honorem, & Vitam; nunc verò dum reſurrexit, vitam ſuam recuperavit; ſed qualem Vitam? Vitam immortalem, vitam, quæ Mortem mori fecit, eámque moriendo triumphavit. Recuperavit ſuum honorem, dum Is ipſe, qui paulò antè non habebatur pro homine, & pedibûs conculcabatur, ùt vermis, modò comparet, & regnare incipit, ùt Deus. Recuperavit gaudium, dum ruptîs aggeribûs, qui amœnum illum Pacis Oceanum in ſuperiore animæ parte continuerant, totus alveus, annîs triginta quatuor ſuſpenſus, ſe ad inundandas inferiores potentias, & membra Servatoris effudit. Recuperavit denique venuſtatem, quia gratia & Majeſtas

Corporis JEſu Chriſti tam eſt excellens, ut ea in cœlis ſumma ſenſuum noſtrorum ſit futura beatitudo, & omnino ſuffectura ad faciendum illis Paradiſum, in quo per cuncta futura ſecula ſine ſatietatis faſtidio ſeſe oblectent. Imaginare tibi Solem adeò lucidum, ut ſuîs ſplendoribûs centies millies mille Soles diſparere cogat, uti hodie Sol noſter ſtellas omnes cogit diſparere; Sol tamen adeò lucidus, glorioſo JEſu Chriſti Corpori comparatus, non foret niſi carbo; illud enim ſuo lumine ſplendorem illum omnem abſorbebit, quo glorioſa Sanctorum Corpora, multorum millionum numerum excedentia, conveſtientur; quamvis & illa Solis noſtri materialis lucem ſepties omnino ſuperabunt. Et tu veritates iſtas conſiderare poteris, quin abundes gaudiô propter ſummam illam felicitatem, ad quam pertigiſſe tuum Dominum vides? Res ita ſi ſe haberet, malum id tibi omen foret vel exigui, vel nullius erga Illum amoris. Erubeſce præteritum frigus tuum; gratulare Servatori tuo bonum immenſum, quod in illo vides; Eúmque roga gratiam moriendi peccatis, ut Ipſe in corde tuo vivere & regnare perpetuò poſſit.

II. Conſidera, quòd ſecundô locô oporteat *gratulari Sanctiſſimæ Virgini*, quæ cùm à Divino ſuo Filio mox fuerit viſitata, tantô eſt illico repleta ſolatiô, quantus paulò antè fuerat ipſius dolor. Dolores illius fuêre tanti, quantus erat ipſius in Verbum Incarnatum

tum amor, quod Deus ſimul erat, & Viſcerum ſuorum partus; ac proinde, ſi Illud amavit plùs omnibûs in cœlo Angelîs, dicere oportet, quòd illa in Paſſione Chriſti plùs fuerit paſſa, quàm paſſæ fuerint omnes in hoc mundo creaturæ; & quòd illius triſtitiæ ſimilis in mundo nulla fuerit, præter illam unicam, quam Chriſtus ipſe ſuſtinuit. Sed quomodo, & quàm ſubitò hic omnis dolor in gaudium abîit, quando & in anima, & in corpore eſt roborata, ut tantam capere lætitiam poſſet! Accurrit illico, ut ad Filii ſui pedes ſe proſterneret, Eúmque adoraret; at Ipſe id prohibuit, illámque ſuo lateri admovit, ideo ſingulariter aperto, ut eam in intima ſua admitteret, eiſque locum in Divino ſuo Corde præberet. Si hanc Virgini Matri felicitatem non gratularis, indignum te oſtendis, quem ipſa ſub pallium ſuum recipiat; & ſi illa ſuô te palliô non protegat, ecqua tibi ſalutis tuæ ſpes ſupererit? Igitur ex animo illi gratulare; propone, ob illius amorem teipſum vincere, ut ejus protectionem merearis, illámque roga, ut in ſervorum ſuorum numerum te recipiat, tibiſque impetret, ut æternùm in cœlis lætari cum illa queas.

III. Conſidera, quòd tertiô locô deceat nos *gratulari noſtrómet Corpori*. Ita nos amavit Servator noſter, ut beatus eſſe noluerit, niſi & nos eſſemus beati, non modò ſecundùm animam, ſed & ſecundùm corpus; unde voluit, ut ipſa membra noſtra de morte

 trium-

Digitized by Google

triumpharent, & ſempiterna cum gloria ad vitam redirent; & hoc vitæ genus per ſua nobis vulnera promeruit. Quin adeò non ſolùm voluit noſtram nobis Reſurrectionem promereri, ſed & ejusdem voluit nobis exemplar fieri; adeò, ut cum Divino illo Prototypo corpus noſtrum reſuſcitatum magnam habeat ſimilitudinem: *Reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Phil. III. v. 21.* Interim autem numquid ingens hoc probrum eſt, quòd horum recordari poſſimus, quin tamen præ ingenti lætitia rapiamur in ecſtaſin? Ergóne verum eſt, imò veriſſimum, quòd corpus tuum fatigatum & languens ſit olim futurum tantâ gloriâ plenum, ut ſeipſo, ſi in terra degeret, perpetuum tibi diem conſervare poſſet? Et hæc tu credis, nec tamen deſideras, ut omnes te dolores obruant, ac tanti boni ſecurum faciant? Deinde dum à Divino Servatore tuo ingentis adeò promiſſi favore te affectum vides, Ipſius tamen amore ſuccendi non potes, nec exuere nôſti ingratum hunc animum tuum, adeò monſtroſum, ut, cùm Ipſe ſemper amare te pergat, ſuo tamen amori fideliter te reſpondentem, ac redamantem videre non poſſit? Apparet ſanè, quòd fides in te propemodum ſit extincta, quódque à tuis ipſius ſenſibus te prodi ſinas. Deſidera igitur, infinita habere corda, quæ Illi offeras; & erubeſce, quòd, dum unicum habes, tamen illud magnam partem creaturis

ceſ-

ceſſeris; propone, quòd impoſterum in omnibus tuis adverſitatibus viva horum ſpe roborare te velis; propone, quòd hilariter deinceps omnia velis pati; & roga DEum, ut, cùm tantam tibi modò ſperandæ gloriæ præbeat occaſionem, eandem ſuo tempore largiri tibi velit per miſericordiam ſuam, nunc verò gratiam impertiri, ut ad eam te per conſtantem carnis tuæ caſtigationem diſponas.

LECTIO

Pro die nona Exercitiorum.

De Caritate erga DEum.

QUi Regem Apum comprehendit, mox omne reliquum examen Apum ſine labore in ſuam poteſtatem redigit, eáque ratione ſuum alveare ſuaviſſimo melle complet; ita omnino, qui Reginam Virtutum, quæ Caritas eſt, acquirit, omnes reliquas virtutes obtinet. Itaque ſicut omnes aliæ in hac Caritate, velut in compendio, concluduntur, ita dicere poſſumus, in hac Lectione, velut in compendio, id omne contineri, quod in prioribus fuit explicatum. Quid igitur eſt Caritas? Eſt Virtus Theologica, quæ noſtram voluntatem ſublevat ad amandum Dei bonum ſupra omne bonum aliud per amorem amicitiæ. Eſt Virtus Theologica, & inter reliquas Virtutes Theologicas primaria, quia

Fides Deum reſpicit, ùt primum Beatitudinis noſtræ principium; Caritas autem non modò Illum reſpicit, ùt ſummum Bonum absque ulla limitatione, ſed & tota in Illo ſiſtit, Eúmque propter ſemetipſum amat. Dicitur deinde, quòd ſublevet noſtram voluntatem, quia natura Caritatis eſt, ut amantis Perſonam ſpirituali quadam ratione transformet in rem amatam; unde qui amat, talis paulatim fit, qualis eſt ille, in quem dirigit amorem ſuum. Si terram diligis, ait S. Auguſtinus, terra es; ſi Deum diligis, dicam etiam, es quaſi alter Deus, quia Naturam Illius Divinam, & cum hac Perfectionem omnem in ſublimi gradu participas. Quoniam verò, ut ad gradum hunc perveniatur, ſimilitudo nonnulla requiritur, ac proportio, judica, quantùm elevari anima per divinam gratiam ſupra ſeipſam debeat, ut idonea fiat, quæ ſit unus cum Deo ſpiritus: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt* cum eo. *I. Cor. II*, 17. Dicitur præterea, quòd Caritas amet bonum Dei ſupra omne bonum aliud; quem enim niſi primum omnino locum teneat altiſſima illa Dei Majeſtas? Non eſſet ordo tam perturbatus, ſi terra ſupra cœlum conſiſteret, quàm foret perturbatus, ſi finis ultimus, qui Deus eſt, ultimatò dirigeretur ad conſequendum aliud quodcunque bonum creatum, quod illo eſt inferius. Dicitur denique, quòd Caritas amet Bonum Dei per amorem amicitiæ; poſtquam enim Fides Deum propoſuit ani-

mæ,

mæ, ùt Bonum infinitum, & in omni Perfe-ctionum genere infinitè completum, ſi dein anima ſummum hoc Bonum amat, ùt ſummum hominis Bonum, dicitur illud amare amore concupiſcentiæ, ſed concupiſcentiæ ſanctæ, & hic amor conſtituit Spem. At ſi anima Bonum illud amat propter Seipſum, & quia Deus Seipſo fruitur, dicitur amare Deum amore amicitiæ, & hic amor conſtituit Caritatem. Beatam proinde animam illam, quæ vel unicum etiam divinæ iſtius Virtutis gradum poſſidet! quia hæc ſuprema humani cordis eſt perfectio. Nam ſicut ſuprema creaturarum inferiorum perfectio eſt ſervire homini, propter quem illæ ſunt conditæ, ita ſuprema eſt hominis perfectio amare Deum, propter quem amandum eſt ſolummodo conditus. Meritò igitur Caritas eſt appellata Regina, & Mater, & Anima, & Vita Virtutum; quia, ſicut Regina, omnibus imperat, & omnes in ſuo poſt ſe comitatu trahit; ùt Mater omnes parturit, ac educat; & ùt Anima dat omnibus vitam, cùm ſine illa omnes forent cadaver immobile, quod cœlum verſùs movere ſe non poſſet. Et quemadmodum in Purpura id, quod maximè tanti æſtimatur, non eſt lana, ſed tinctura, quæ coloris ſui vivacitate, raritatéque pretium illi facit; ita pariter id, quod Deus in bonis operibus præ cæteris magìs æſtimat, eſt hæc Virtus plùs quàm cœleſtis; & propter hanc tam liberaliter illa remuneratur, ut minima quævis juſti

hominis actio, hoc ſancto amore imbuta, non minorî ſolvatur in cœlis pretiô, quàm æterna omnium ipſius Dei Bonorum poſſeſſione: *Ego merces tua magna nimis. Gen. XV. v. 1.*

Hæc igitur eſt Natura Caritatis tam nobilis, tam divinæ. Verùm ut meliorem adhuc illius notitiam habeas, ſcito præterea, quòd amor amicitiæ, qualem modò diximus eſſe Caritatem, ſit duarum perfectionum capax; una eſt eidem accidentalis, éſtque certa quædam teneritudo benevolentiæ, quæ interdum à voluntate ad inferiores alias potentias cum ſenſibili quadam impreſſione deſcendit; unde dicebat Propheta: *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. Pſal. LXXXIII. v. 2.* Altera ad illius ſubſtantiam pertinet, éſtque benevolentia quædam æſtimationis, vî cujus ſi Bonum quoddam aliud cum amicitiæ bono ſimul occurrat, hanc præferimus, & in illius comparatione majorem hujus rationem habemus. Utramque perfectionem iſtam in ſe collectam habet Caritas, ſed poſteriorem hanc, maſculam, ſolidámque continet neceſſariò, ita, ut, ſi anima in quibusvis occaſionibus non habeat majorem Dei, quàm omnium reliquarum creaturarum rationem, & parata non ſit perdere potiùs omnia, quàm amicitiam Dei per peccatum, dici omnino nequeat, quòd Caritatem poſſideat, neque quòd adimpleat præceptorum omnium primum, quod eſt amare Deum ex toto corde, id eſt, plùs omnibûs aliîs, quæ cum

cum Ipſo in comparationem adduci poſſent. Verum eſt, quòd hic ſit primus duntaxat ejusdem Caritatis gradus; unde ut immenſo, quod habemus, Deum amandi debito ſatis aliqua ex parte faciamus, hoc gradu contenti eſſe non debemus, ſed ulteriùs absque termino progredi; *Nam Modus amandi Deum eſt amare ſine modo*; uti S. Bernardus loquitur. Hoc autem fit, cùm anima Dei amicitiam omni alteri bono præfert, non ſolùm, cùm de illa per grave peccatum amittenda agitur; ſed etiam, cùm agitur de illa, per peccata venialia nonnihil imminuendâ; quapropter, cùm ſublimem oppidò ſibi de Deo formaverit ideam, ſanctiſſimam Illius voluntatem omni honori, omni voluptati, omníque commodo creato præfert; ſéque privat hîs omnibûs, ut huic Enti ſupremo placeat; magísque æſtimat gradum unum divinæ ipſius gloriæ, quàm mille Mundos. Hujus generis erat Sanctorum Caritas, & ad hanc aſpirare te quoque oportet, & oculos in cœlo defigere, ne aberres à meta, ſtudioſéque curare, ut ad hanc perfectionem pervenias tam per actuum tuorum multitudinem, quàm per eorundem intenſionem.

Media pro acquirenda Caritate.

SEd quis dabit tibi pennas columbæ, ut evolare poſſis ad hunc gradum, & in corde Dei requieſcere? Hîc profectò magis quàm alibi

alibi neceſſaria eſt oratio, & efficaciùs etiam, quàm alibi, ſuccedet. Eſt neceſſaria; nam licèt voluntas condita ſit ad amandum Bonum, nihilominus Caritas erga Deum eſt amor, naturæ vires ſuperans, ac proinde humana voluntas cum omnibus ſuis viribus ad eam pertingere non poteſt. Pluma eſt ex natura ſua levis, & nihilominus per ſeipſam in altum ſublevare ſe non poteſt, ſed indiget ſubtilî ſaltem alicujus venti vel flatûs ſubſidiô. Erit etiam oratio efficacior in hac materia, quàm in alia; nam ſi beatus hic ignis Divini Amoris fuit unica cauſa, quæ Dei Filium è cœlis in terram attraxit, & unica meta propoſitorum ac deſideriorum Illius: *Ignem veni mittere in terram; & quid volo, niſi ut accendatur? Luc. XII. v. 49.* dicere ſanè oportebit, quòd Deus orationem ejusmodi exaudiendo, ſeipſum quodammodo exaudiat, ſuisque ſatisfaciat deſideriis. Verùm quemadmodum pulcher hic amor à populo parùm plerumque deſideratur, ac parùm æſtimatur, ita parùm etiam à Deo poſtulatur. Miramur interim, cur tantum Bonum tam languidè adametur; at jure potiori mirandum eſſet, ſi magno cum fervore illud amaremus, cùm illius, licèt reliquorum omnium divinorum donorum ſit maximum, tam exiguam habeamus rationem, ut eam petere vix aliquando dignemur.

Alterum Medium eſt, applicare ſe ad conſiderandas magna cum attentione cauſas illas, quæ amicam nobis vim inferunt, ut ad

hunc

hunc nos amorem permoveant. Lux eſt caloris vehiculum, & vivacior animæ cognitio eſt, quæ nobilem hunc ignem è cœlis affert in ſinum noſtrum. Itaque ſæpius te ſtudioſè impendes ad conſiderandas tres iſtas Deum amandi cauſas; videlicet primò, quòd Deus id nobis *imperet*; deinde quòd id *mereatur*; tertiò quòd nos *provocet*, ac amore ſuo præveniat.

Prima itaque Deum ſupra omne Bonum aliud amandi cauſa eſt, quia ipſe Deus id *imperat*. Hoc præceptum inter omnia reliqua primum eſt; primum in efficacia, quia ſecum infert totius Legis obſervationem; primum in intentione ſupremi Legislatoris, quia Ille ad hunc finem omnia reliqua mandata dirigit; primum in merito, quia reliquis virtutibus omnibus dat ſuum pretium; primum in ordine, quia eſt fundamentum totius Chriſtianæ perfectionis; primum in nobilitate, quia hominis libertati minùs opponitur, quàm omnia reliqua, & contra ipſius voluntatem adimpleri numquam poteſt; primum in dignitate, quia ſupremus eſt gradus, ad quem anima pertingere poteſt; primum denique in diuturnitate, quia finem non habebit per totam æternitatem. In quanto igitur pretio habere nos convenit magnam hanc amoris legem, quantóque ſtudio ad eam adimplendam nos incumbere decet? Si prohibuiſſet nobis Deus, ne Illum amaremus, utpote creaturæ indignæ, quæ tam altùm aſpi-

aſpirent, deberemus Illi aſſiduè ſupplicare, ut nobis amor tam nobilis permitteretur; nunc verò, cùm eundem nobis tam diſtrictè præcipit, morem illi gerere non volemus? Et quid aliud Damnati in inferno magìs deſiderarent, quàm hujusmodi præceptum? Si tale mandatum in Abyſſo illa promulgaretur, id unum ſufficeret, ad ignem illum devorantem in ſacras illico flammas convertendum. Hujus ratio eſt manifeſta; cùm enim Deus præceptum aliquod creaturis imponit, unà ſeipſum obligat ad largienda illis neceſſaria ejusdem adimplendi auxilia; damnatæ proin illæ animæ novis viribus, à divina gratia ſibi ſuppeditatis, reſpondentes, pœnarum ſuarum abyſſum commutarent in ſpem Paradiſi, & æterna illarum nox in novæ lucis auroram verteretur. Vide igitur, quàm magnificè tecum agat Deus, cùm Sui amorem tibi imperat, & quomodo tibi catenas in torques aureas convertat, velut amico, non mancipio. Eſt & aliud hîc tibi magìs conſiderandum, magna videlicet æſtimatio, quam Deus habet de amore noſtro, dum eò progreditur, ut infinitam nobis minetur miſeriam, ſi cor illi noſtrum negemus. Inſolita æſtimatio, quam de aliqua gemma mercium iſtarum periti faciunt, pretium illius in immenſum auget; quantum igitur pretium ſtatuendum erit amori noſtro, quem Deus omnipotens tanti æſtimat, ut ejus obtinendi cauſâ non ſolùm impendat omnes infinitæ ſuæ Miſericordiæ blan-

blanditias, ſed omnes etiam tremendæ ſuæ Juſtitiæ minas? Imaginor mihi cor tuum, veluti conſtitutum inter duo extrema, quæ medium non habent; ita, ut vel ſuaviter in hac vita debeat ardere Caritate, vel æternîs ignibûs immenſùm torqueri in altera; tu verò, qui,ut poſſes amare Deum, inferni pœnas ſubire cum voluntate deberes, voles æternas inferni pœnas & culpas eligere, ut Eum amare non debeas? Nimis quàm ſtultus in hac electione, adeò damnoſa, fores. Igitur te totum offer Deo tuo, Eúmque roga veniam, quòd tantam amoris tui partem hucusque creaturis impenderis, & ſtatue, quòd impoſterum ſolus Deus ſit futurus pleniſſimus cordis tui Dominus, téque in omnibus & per omnia juxta Divinam ſuam voluntatem dirigendi jus perpetuum habiturus.

Altera Deum amandi cauſa eſt, quia Deus amorem hunc *meretur;* hinc licèt illum adeò ſeverè non imperaret,nihilominus eum Illi offerre deberes ſecundùm omnia legum bonarum jura. Nam cuilibet gradui amabilitatis ex merito debetur gradus amoris ac benevolentiæ; cùm igitur in Deo ſit amabilitas infinita, ſequitur, quòd Illi omnia corda infinitam benevolentiam ac amorem debeant. Ecquam tu tibi in mente tua ideam fingis, dum audis hanc vocem *DEUS?* Concipe per imaginationem tuam cumulum quemdam omnium illarum prærogativarum, quas cogitare potes, Pulchritudinem, Scientiam,

tiam, Potentiam, Sanctitatem, Magnitudinem, Majeſtatem; conduplica illas centies & millies. Et quid iſtud erit? Deus noſter iſtud non eſt, ſed eſt aliquid infinitè majus. Itaque rurſus incipe multiplicare, extendere, ac dilatare omnem hunc Perfectionum cumulum, eúmque ita multiplicare perge per omnem æternitatem; poſt plura & plura ſine numero ſecula nihilominus à vera vivâque Dei tui imagine tibi efformanda tantopere diſtabis, quantum aberas prima, qua negotium inchoaveras, die. DEus eſt Ens omnino aliud, quàm concipere nos poſſimus; eſt abyſſus Bonitatis, Pulchritudinis, Sanctitatis, Sapientiæ, Majeſtatis infinitè ſuperioris omnibûs illîs cogitationibûs, quas in mente habemus, dum voces has proferimus. Eſt Dominus tam amabilis, ut ſolus illius ſine velo aſpectus ſufficeret ad Beatos omnes in quodam lætitiæ mari æternùm ſubmergendos, & ad infernum omnem convertendum in Paradiſum; &, talis cùm ſit, non ſufficiet ad obtinendum à te amorem tuum? Video, quòd unica Boni guttula, tibi à creaturis communicata, illico lucretur cor & amorem tuum; & eum lucrari non poſſit immenſus ille Perfectionum oceanus, quem ſinu ſuo continet Deus? Si haberes amorem immenſum, omnem illum Supremæ huic Majeſtati deberes, ùt tributum; nunc verò, cùm amor tuus ſit adeò parcus & limitatus, tu illum tamen voles dividere, & unam tantùm illius

par-

partem offerre Domino? Poſtquam S. Thereſiæ velut in tranſitu oſtenſa nonnihil fuit admiranda Humanitatis JEſu Chriſti pulchritudo, dicebat Sancta, quòd in ejus comparatione ſibi viſus fuerit Sol, non niſi pallidas umbras in hanc terram emittere, & homines, cæteroquin pulchritudine præſtantiores, aliud non eſſe, quàm ſcheleta, terram obambulantia. Collige jam inde, quid hæc Sancta dictura fuiſſet, ſi illi perfectè fuiſſet oſtenſa infinita Divinitatis ipſius pulchritudo. Omnino neceſſarium eſt, ut nullus in cœlum penetrare luctus poſſit; alioquin major in cœlo luctus foret, quàm inter Damnatos; ſi nimirum Cœli incolæ, poſtquam facie ad faciem aliquando Deum ſunt intuiti, recordarentur, quòd Eundem olim in hac vita tam frigidè amaverint.

Tertia ſancti hujus amoris cauſa eſt, quia DEus illum *provocat* amore ſuo, & beneficiîs inexplicabilibûs, quæ nobis contulit; inde quantumvis Ipſe à corde noſtro tributum hoc non exigeret, & aliunde id etiam non mereretur, deberetur id Illi tamen in compenſationem, quia ſolvi aliter non bene poteſt amor, niſi amore. Quî ergo fieri poteſt, ut difficultatem nos inveniamus in amando Deo noſtro, cùm ille prior nos amaverit? Et tamen ignis non aliter faciliùs accenditur, quàm per admotum ignem alium. Omne igitur frigus noſtrum aliunde oriri non poteſt, quàm ex defectu applicationis

ad conſideranda ſeriò bona, quæ nobis voluit, & contulit DEus. Conſidera paululùm, quòd Divina erga te Caritas æterna ſimul, & infinita ſit: æterna eſt, quia Deus non Seipſum priùs & proprium ſuum bonum amavit, quàm te amaverit, ac ejusdem ſui boni participem te eſſe deſideraverit. Hæc ipſa Dei erga te Caritas æterna eſt pariter in futurum, cùm liberum Ipſi non ſit, te deſerere, niſi prior tu Ipſum deſerueris, & per tuæ libertatis abuſum Amicitiæ Divinæ vinculum diſſolveris. Eſt præterea hæc divina in te Caritas infinita; eſt enim illa ipſa Caritas, qua Seipſum diligit; & quamvis per illam non velit tibi bonum illud, quod Sibimet ipſi vult, ſcilicet eſſe DEum ex Natura ſua, quia hoc eſt penitus impoſſibile, vult tibi nihilominus bonum immenſum, quia te vult facere alterum veluti DEum, per ſui nimirum communicationem in cœlo; bonum profectò, quod infinitè ſuperat omne bonum illud, quod optare tibi poſſent omnes creaturæ, ſi ſimul omnes amorem ſuum omnem in tuum commodum impenderent. Unicus ſolùm intuitus, quem dignaretur DEus de ſublimitate Gloriæ ſuæ in miſeriarum noſtrarum abyſſum conjicere, non ſatis à nobis compenſari poſſet per integram Caritatis & gratæ mentis æternitatem; collige proinde, quàm ingratus foret hominis illius animus, qui tempus illud, quod in terra degit, nimis diuturnum crederet pro amando Deo, & donandis

Illi

Illi affectibus ſimul omnibus. Adjunge dein huic amori, quem erga te geſſit, bonum illud, quod tibi jam contulit, & vide, quòdnam tibi ſuperſit effugium, ſi totum te Deo in amoris holocauſtum non conſecres. Archimedis tempore fuêre nonnulli, qui affirmabant, quòd arenæ maris ſint innumerabiles; igitur Archimedes, ut eos convinceret, non ſolùm in quodam ſuo libro ad calculum illas redegit, ſed inſuper earum quoque arenularum numerum inivit, quæ occupare poſſent ſpatium illud omne, quod ſtelliferum cœlum inter & terram noſtram interiacet. Cuperem ego vel illi, vel cuivis alteri committere negotium inveniendi numerum beneficiorum, quæ nobis contulit DEus, & conferre nobis vult per omnem interminatam æternitatem, ſi tamen nos ipſi eadem velimus acceptare; at certum mihi eſt, neminem unum admiſſurum hoc negotium inveniendi numerum, ubi numerus non eſt. Bona igitur infinita ex numero, infinita ex dono, quia DEum ipſum includunt, infinita ex altitudine Donantis, infinita ex perpetuitate æterna, infinita ex pretio, utpote comparata per JEſu Chriſti Sanguinem, infinita ſecundùm omnes Caritatis dimenſiones, non ſufficient ad provocandum amorem tuum? Frigidum è glacie ſpeculum, ſi immobiliter opponatur Soli, poſſit ignem accendere; tuum verò cor, ſphæræ Divini Solis & innumeris Divinæ Beneficentiæ radiis

diis oppoſitum, plùs omni glacie frigidum, excitare in te nequeat ſcintillam unicam Caritatis, Caritati tantæ reſpondentis? Tantum igitur fecit DEus, ut lucraretur vilem ac miſellam creaturam, & eam nihilominus non lucretur? Quid igitur ampliùs exigis, ut illi te tradas? vel cuinam denique reſervas amorem tuum, ſi illum omnem Deo tuo non donas in perpetuum? Ille non ſolùm eſt in Seipſo infinitum bonorum omnium pelagus, ſed tibi quoque eſt infinitorum bonorum fons inexhauſtus. Ille per infinitam ſuam Potentiam eruit te ex abyſſo nihili, ubi ſine Ipſius auxilio ſepultus perpetuò manſiſſes; totum id, quod poſſides, Ipſius duntaxat donum eſt; id Ipſe tibi dedit, id Ipſe tibi conſervat momentîs ſingulîs; ac idem proinde eſt, ac ſi ſingulîs tibi momentîs id denuo donaret. Ille amore tui conſervat creaturas omnes, vúltque, ut ipſi adeò Spiritus cœleſtes in æternam ſalutem tuam ſolicitè invigilent. Ille amabiliſſimîs ſuís complexibûs te continenter ſtringit; in te obtutum Divinæ ſuæ Providentiæ ſemper defigit, quin aliquando ex oculis te dimittat; tuámque utilitatem in tot ac tam diverſís operibus, quæ in hoc inferiori mundo producit, pro fine ſemper habet. Neque ſolùm operando, ſed multò etiam magis patiendo cordis ſui ardorem tibi demonſtrat. Ille immenſum peccatorum tuorum pondus in ſe recepit, & debitam tibi pœnam Ipſus voluit ſuſtinere. Il-

le

le tuas adverſùs Divinam ſuam voluntatem rebelliones tanta cum patientia pertulit. Ille tantas tibi condonavit injurias. Ille, cùm Ipſum tu fugeres, te inſecutus eſt; prior te quæſivit, & pacem à te expetîit; neque per inſpirationes ſuas tibi loqui ceſſavit, etiamſi ſurdas Illi aures præbueris. Ille, quantumvis in re nulla te indigeat, videbatur tamen, cùm te perderet, nullum admiſſurus ſolatium; cúmque te iterum reperiſſet, cœlum omne voluit gaudiô triumphare. Uno verbo: Ut æternùm te felicem redderet, tanta fecit, ac tanta pertulit, veluti ſi à ſalute tua ſua Ipſius ſalus dependeret; & quamquam Ipſius in te beneficia menſuram omnem excedant, præ reliquis tamen omnibus excellit affectus & amor ille, qui Eum ad hæc tibi largienda impulit, adeò quidem, ut, licèt Illum redamare poſſis amore infinito, qualis etiam eſt Ipſius erga te in futurum amor, Illi tamen ſatis reſpondere non poſſis, cùm Ille prior te amaverit; & amaverit te, tibíque benefecerit per integram æternitatem, antequam tu extiteris.

Cauſæ iſtæ, in oratione bene expenſæ, etiamſi è dura ſilice compactus fueris, poterunt tamen ex hac ipſa ſilice ignem Caritatis elicere, ſaltem ſi diutiùs ac frequentiùs cor tuum illîs percutere pergas; maximè verò, ſi per caſtigationem appetituum tuorum auferas impedimenta, quæ illud malè diſpoſitum reddunt ad concipiendam be atam hanc flammam. Et

Et hoc ipſum erit tertium medium, quod tibi ad acquirendam erga Deum Caritatem propono, ut videlicet amorem tuum proprium generoſè ſuperes. Sicut in aquæductibus, quantum inde extrahitur aëris, tantundem ingreditur aquæ; ita pariter, quantum è tuo corde proprii tuímet amoris extraxeris, tantundem mox Caritatis erga Deum ingredietur: *Diminutio cupiditatis, augmentum Caritatis; perfecta Caritas, ubi nulla cupiditas*, ait S. Auguſtinus. Per amorem verò proprium hîc non intelligitur verus ſui ipſius amor, quo anima ſeipſam amat in Domino, ſibique ſummum Bonorum omnium procurat, divinam videlicet amicitiam; ſed intelligitur perverſa illa inclinatio, qua cor humanum fertur in bona caduca, & ſibímet in rebus omnibus, etiam ad divinæ voluntatis contumeliam, ſatisfacere quærit. Affectus hic inordinatus, qui culparum omnium eſt origo, hæc dominans paſſio, quæ ſe omnibus noſtris operibus, etiam ſanctiſſimis, tam facilè immiſcet, quæ ſe toties ſub virtutis ac pietatis pallio abſcondit, debet obſervari; hujus deſideria actibûs contrariîs, frequenter exercitîs, devinci debent; aliàs in hoc prælio ſpiritûs contra vitia idipſum facies, quod olim Saul fecit in prælio contra Amalecitas; occides quidem multos, ſed vitam ſervabis Regi; ſacrificabis Deo paſſionem illam, quæ non adeò tibi dominatur: illi verò vitæ gratiam facies, quæ reliquis vitam & vires

vires tribuit, & veluti domina cæteris omnibus imperat; eò devenies, ut nullum opus peragas, niſi ex inclinatione propria; ut neminem ames, niſi propter teipſum; ut numquam temetipſum vincas, niſi cùm id tibi non dolet. Et in corde ſic conſtituto vis locum ſupereſſe Amori Divino? An arbitraris, pretioſum adeò balſamum infundi debere vaſi tam ſordido? Oportet igitur, ut, ſi fieri velis amicus Dei, fias priùs inimicus tui ipſius per generoſam corporis & appetituum caſtigationem, quæ, ubi magis te ſenſibilem deprehenderit, fortiùs manum premat, neque vim ſuam ponat in exteriori quadam corporis compoſitione, & apparente ac fæminea pietate (quæ ſæpenumero à bona potiùs educatione, quàm à ſuperna gratia provenit) ſed illam magis conſtituat in perpetua inclinationum ſuarum victoria, & omnes avidè occaſiones arripiat, quæ ſeſe per diei decurſum offerunt. S. Thereſia ab ægrotantium Miniſtra interrogata, cur quoddam edulium, quod ipſi bene paratum videbatur, non manducaret, repoſuit, ideo ſe illud non manducare, quòd bonum ſit. Secundùm hanc ſeſe regulam illi dirigunt, qui verè cupiunt acquirere amorem Dei; eapropter ab aliquo cibi genere ſeſe abſtinent, quia id arrideret appetitui; eapropter cibum alium capiunt, quia illorum guſtui adverſatur; eapropter verbum aliquod non proferunt, quod illorum linguæ jam inſidet, quia

peracutum eſt; eapropter oculos demittunt, quia videndi aliquid tenentur deſiderió; eapropter Perſonæ cuipiam ſua libenter obſequia impendunt, quia ſe ingratam exhibet; eapropter frequentiùs agunt cum alia, quia ſuperba eſt; atque ita de aliis. Jam verò perpetua in exiguis hujuſmodi occaſionibus appetitûs ſui victoria non eſt modicum duntaxat bonum; imò eſt bonum adeò magnum, ut plerumque ſit via breviſſima ad acquirendum inſignem prorſus amorem Dei. Via illa, quæ nocturno tempore videtur in cœlo, & à Peritis appellatur Via Lactea, aliud non eſt, quàm conjunctio multarum ſtellarum minorum, quarum quælibet ſe ſolâ ſpectantium oculos effugeret; ſed omnes ſimul congregatæ lucidam efficiunt ſemitam, & viam cœleſtem conſtituunt. Imaginare jam tibi, quòd illa pariter via, per quam Beati Cœlites in Eccleſia noſtra ad ſublimem adeò Caritatem aſcenderunt, aliud non ſit, quàm congregatio plurimorum actuum, quibûs & ſenſuum ſuorum appetitum cohibuerunt, & proprium amorem in quibusvis occaſionibus identidem abnegârunt, ita, ut, licèt quilibet hujuſmodi actus oculos noſtros effugeret, omnes tamen ſibi invicem juncti, mentem illorum cœleſti lumine compleverint, & eorum cor ad Deum deduxerint: ac proinde, ſi & tu poſt illos viam hanc ingrediaris, brevì te in alium transformatum ſenties.

Actus

Actus, quibûs exercetur Caritas erga Deum.

QUi ſincero corde Amicum amat in ipſius Amici gratiam, primùm quidem lætatur de omni illo bono, quod in Amico deprehendit; deinde & illud eidem optat, quod adhuc ipſi deeſt; &, ſi hæc amicitia cum bonis aliis minoribus in comparationem veniat, præfert amicitiam aliis bonis omnibus; denique, ſiqua in re hunc amorem læſerit, alio novo amore, eóque dolorifero, facti pœnitentiam teſtatur, ac amicitiam, nonnihil debilitatam aut extinctam, reſtituere laborat. Ex his omnibus erues, quatuor eſſe amoris actus, quos exercere debeas, ut acquirere & augere poſſis divinam Caritatem, quæ, uti diximus, eſt veriſſima, & excelſiſſima animam inter ac Deum amicitia; videlicet, ùt eos Magiſtri Spiritûs appellant, Amorem *Complacentiæ*, Amorem *Benevolentiæ*, Amorem *Prælationis*, & dolorificum Amorem *Contritionis*.

Sæpius igitur te impendes conſiderando immenſo illi theſauro, quem Deus tuus poſſidet, utpote qui eſt plenitudo Bonorum omnium; & conaberis excitare in tuo corde gaudium ingens ob immenſas perfectiones quas in Deo deprehendis; exultando, quòd ſit adeò magnus, adeò bonus, adeò pulcher, adeò ſapiens ſupra omnem cogitationem

tuam; imò quòd ſit ipſa Magnitudo, ipſa Bonitas, ipſa Pulchritudo, ipſa Sapientia, & quòd omnem illam Perfectionem actu poſſideat, ac poſſederit ab æterno cum adeò immenſo gaudio, ut hoc ipſum gaudium vires habeat producendi Deum, videlicet Spiritum Sanctum. Omnes has infinitas bonorum divitias, quas poſſidet Deus, intueri debes veluti bonum tuum proprium, ac eapropter de ſuprema Illius felicitate plùs lætari, quàm de omni alio bono tuo; gaudere quòd nihil ſis tu, ut Ipſe ſit omnia; ac velle in nihilum redigi, ut ſuam Ipſi felicitatem conſerves æternùm, ſi eadem, quod impoſſibile tamen eſt, aliquantùm Illi deficere poſſet. O nobile cordis tui negotium, ſi divinam hanc in eo flammam accendere noviſſes! Tanti illud æſtimat Deus, veluti ſi nos donaremus Ipſi bonum illud, quod ab Ipſo poſſideri gaudemus, & quodam loquendi modo videtur judicare, quòd lætari Ipſius felicitate idem ſit, ac Ipſum facere Deum, & eam Ipſi conferre Dignitatem, quæ Illi nunquam deeſſe poterit. E contrario ſi anima in iſthoc gaudio ſit frigida, an imaginari tibi poteris, quantùm diſpliceat Deo? Ergo Deus ab æterno gaviſus ſit de limitato illo bono, quod conferre tibi voluit, & etiamnum lætari de illo pergat, & tu non incipies aliquando, ex animo lætari de bono illo immenſo, quod Deo per Naturam ineſt, Illique ſemper inerat, ac in futurum quoque

ſemper

Digitized by Google

ſemper inerit absque ullo detrimento? Si ita res haberet, túque deinceps ita te gerere pergeres, veluti ſi DEus ad te non attineret, extraneus tibi ſanè ac peregrinus eſſet Deus.

Alter Caritatis actus eſt Amor *Benevolentiæ.* DEus eſt bonum univerſale; ac tale cùm ſit, ab omni corde amari debet. Hinc, poſtquam anima ad magnam hanc Divini Amoris felicitatem pervenit, mox deſiderat, ut Deus ametur, ac laudetur ab omnibus ſuis creaturis; & quantò magis illa in amore progreditur, tantò magis in illa creſcit nobile hoc deſiderium, per quod Summo Bono illud etiam bonum optat, quod unum Illi deeſſe poteſt, quòdque illi unicè optari cum efficacia poteſt, bonum nempe externum majoris Ipſius gloriæ. Suam hinc originem trahunt illa quarumdam animarum, ſancto in Deum ardore flagrantium, pacta, laudes omnes, quæ in cœlis Ipſi decantantur, toties Illi per diem offerendi, quoties reſpirant, vel quoties oculos ad cœlum levant, vel quoties hæc verba repetunt: *Laudo te, Domine!* vel alia his ſimilia. Hinc oritur, quòd creaturas omnes ad Deum extollendum invitent; quòd ad Beatorum Patriam, ubi præter Dei laudes aliud audire non eſt, identidem aſpirent; quòd Illi offerant infinitam illam gloriam, quam Ipſe Sibi ab æterno dedit, & ſine fine dabit impoſterum; quòd in ſui nihili, ac peccatorum ſuorum abyſſum ſe demittant, ut Ipſum, Ejúsque

que Miſericordiam tantò ampliùs extollant. Hinc & alii hujusmodi actus oriuntur, quibûs inveniendîs mirè ingenioſus eſt amor, & ex hoc etiam capite ſe ignem eſſe oſtendit, quia numquam dicit: ſufficit. Ecce igitur apertum tibi latiſſimum campum dilatandi cor tuum in Caritate, maximè verò ſub Sacrificio Miſſæ, ubi fides tibi ob oculos proponit Dei Filium infinitæ Majeſtatis, demittentem ſeſe, ut honorem exhibeat Patri ſuo Cœleſti, atque in ſupplicis modum ſe gerentem, & viliſſimîs opertum accidentibûs, ut ſupremam Illi gloriam tribuat. Tu hîc interea tuum etiam cor Illius Cordi conjunge, ac deſidera, ut Regnum Ipſius magis ſemper extendatur, & propone firmiter, illud efficaciter extendere primùm in temetipſo, eum amando, & in omnibus Ipſi, tanquam Domino tuo, fideliter obediendo; poſtmodum verò & in aliis. Profectò, ſi Deo gratus eſt affectus noſter, non minùs ac ipſum opus, ſi & illum etiam remuneratur, numquid intolerabilis erit pigritia, ſi etiam in deſideriis ſimus erga Deum parci?

Verùm quod magis meretur Deus, quódque magis à nobis exigit, eſt amor *Prælationis*, quo videlicet, poſtquam altiſſimam de infinitis Ipſius Perfectionibus æſtimationem concepimus, Ejus amicitiam omnibus rebus tam creatis, quàm quæ creari adhuc poſſunt, præferre ſtatuimus. Hoc amoris genus illud eſt, quod propriè nos Sanctos efficit,

cit, & quod Deo maximè dignum eſt, qui, cùm ſit Bonitatis omni comparatione majoris, amari dignè non poteſt, niſi per amorem, omni comparatione majorem. S. Auguſtinus *Lib. 1. de Conſ. Evang. cap. 12.* dicit, Senatum Romanum antiquîs temporibûs dediſſe locum triginta Deorum millibus, omnibus nimirum illis, qui per omnem reliquum mundum adorabantur, & vero duntaxat Deo locum nullum indulſiſſe, quòd diceret: Hic vult eſſe ſolus, & non admittit ſocios. Sed hoc revera eſt eſſe Deum, nec velle nec poſſe æqualem habere ſive in æſtimatione, ſive in cultu; & hoc eſt eſſe Dominum, velle poſſidere totum; cùm interim raptores aliqua duntaxat parte ſint contenti. Ita contentus eſt dæmon, quòd interdum rebus aliis præferatur Deus, dummodo Is interdum eisdem etiam poſtponatur, quia dæmon eſt raptor; Deus verò, cùm ſit Dominus cordis, vult illud poſſidere totum, nec admittit Collegam ullum vel Competitorem amoris noſtri, multò minùs Dominum aliquem ſuperiorem, vel ſupremum. Secundùm hanc doctrinam in eo te gradu colloca, ut, ſi ex una parte tibi proponantur omnia bona, & omnia mala totius mundi; ex altera verò parte amicitia Dei, tu ex amore Hujus Ipſius Dei contemneres omnia mala, & omnia bona mundi, ut ne perderes gratiam & amicitiam Dei; ita, ut poſſes cum Apoſtolo dicere, quòd neque mors, neque

que vita, neque præſentia, neque futura, neque creatura alia ſeparare te poſſit ab amore Summi Boni; quo adjuvante potiùs ſemper eligeres mori cum Ipſius caritate, quàm vivere cum Illius offenſa: *Eligas, Deô dilectô emori, quàm offensô vivere*, ùt ait S. Auguſtinus. Et quoniam in hac æſtimatione Dei, qua illum omnibus bonis aliis præferimus, ſemper progredi poſſumus, & creſcere, juxta id, quod audiviſti ſuperiùs, ſufficere tibi non debet, quòd Divinam Amicitiam omnibus bonis aliis præferas, ſed tum demum quieſcere potes, ſi omnibus bonis aliis qualecunque augmentum ejuſdem Amicitiæ Divinæ, & quodlibet incrementum Gloriæ Dei præferas, ita quidem, ut paratus ſis ſacrificare omnes appetitus tuos, ut ſupremæ illi Majeſtati placeas, & nullam cum advertentia culpam, quantumvis minimam, admittas, ne ullam parias offenſam Enti illi ſupremo, ac plùs quàm digniſſimo, in cujus honorem ac placitum omnes ſeſe creaturæ impendant, ac penitus conſumant. In hoc exercitio maximum noſtrum bonum, & maxima, quam Deo tribuere poſſumus, gloria, & nobiliſſimum non hujus modò, ſed futuræ quoque vitæ negotium conſiſtit; oportet igitur, ut præ cæteris omnibus hoc tibi cordi ſit, útque actûs hujusmodi frequenter exerceas, præcipuè verò tentationum ac tribulationum tempore, & quando acceptorum à Deo beneficiorum recordaris.

Quo-

Quomodo enim meliùs teſtaberis gratum animum tuum, quòd Deus ſalutis tuæ bonum bono propriæ ſuæ vitæ præferre, & in Cruce mori pro te dignatus fuerit, quàm ſi ſtatuas Illum invicem creatis bonis omnibus ſemper præferre; idque in conſpectu cœli & terræ ſolemniter profitearis? Similî modô in tribulationibus frequentiùs profitere, quòd ob Amorem Dei paratus ſis cum Ipſius gratia multò adhuc plura tolerare, & ſub onere crucis tuæ concidere, dum Ipſe in te laudetur, &, quemadmodum faber ferrarius factitare ſolet, dum una te manu percutit, alterâ fortiùs te retineat. Præ cæteris verò Tentationum tempore in Divina Caritate progredi te oportet, & cum ingenti fervore reiicere iniquiſſima pacta, quæ dæmon offert, ut Deum pro bono nihili permutes, eſque cum invicta conſtantia clarè dicere, quòd Deum deſerere numquam velis etiam pro mille mundis, æternùm licèt poſſidendis.

Ultimus demum Caritatis Actus eſt Amor *Contritionis*; cùm videlicet anima conſiderat, quòd ſemetipſam toties prætulerit Deo, ſéque ita geſſerit, velut ipſa Deus foret, & cùm Deo ita egerit, velut Ipſe foret creatura; quòd ſibi ſatisfacere ſtuduerit, etſi Supremo id Enti diſpliceret; quòd ſuam exiſtimaverit eſſe felicitatem, Illi reſiſtere; cùm, inquam, hæc conſiderat anima, &, ad ſe jam reverſa, ſummopere deteſtatur infauſtum illud tempus, de tam iniqua electione dolet,

eru-

erubeſcit, ac ſtatuit, in poſterum Deo locum illum in corde ſuo dare, qui Illi debetur, primum videlicet, ac ſummum præ bonis omnibus poſſibilibus, cùm in ejus comparatione bonum omne creatum ſit omnino nihil. Per hoc itaque continuum exercitium Contritionis & doloris, quòd adeò temerariè divinæ obſtiteris Voluntati, mirum in modum augebitur in te Caritas, ſerviétque id tibi non modò pro ſpeculo, in quo videre poſſis tuas maculas, ſed etiam pro claro ac limpido fonte, in quo illas & videre ſimul & lavare queas. Hujusmodi exercitium, dicebat S. Maria Magdalena de Pazzis, magis huic valli lachrimarum convenire, quàm amorem complacentiæ; quódque incumbere primùm debeamus ad deplorandas injurias, quas Deo nos ipſi irrogavimus, deinde & illas, quas Eidem intulerunt, & etiamnum inferunt peccatores cæteri, illas ſummopere deteſtando: *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam. Pſal. CXVIII. v. 58.* S. Thereſia, ut amorem illum, quem in ſeipſa experiebatur, terminîs generalibûs exprimeret, dicebat, animam Dei amantem interdum tanto dolore corripi, dum offendi & contemni Deum videt, ut ſibi videatur in fruſta diſcerpi, &, ſi in ejus poteſtate foret, potiùs mori vellet, quàm aſpectum hujusmodi ſuſtinere. Itaque ſi parùm adeò commoveris, dum audis narrari ingentia peccata, quæ in mundo committuntur, cùm interim ex altera parte omnem

mnem vel minimam injuriam, tibſmet irrogatam, acerbè adeò ſentias, quid de te dicendum eſt aliud, quàm quòd multùm diligas teipſum, & quòd parùm diligas Deum? Amicus nempe fidelis ille foret, qui parùm admodum doleret, cùm amicum videret à ſervis malè tractari, ac vulnerari; ſatis interim haberet, ſi dicere poſſet: Ego illum nec malè tractavi, nec vulneravi.

MEDITATIO SECUNDA.

Pro nona Exercitiorum die.

De Aſcenſione Domini.

I.

COnſidera, quòd in Myſterio Aſcenſionis Chriſti exprimatur modus, quem Deus obſervat, ut animas ad eximiam virtutem ducat. Imprimis igitur in Aſcenſione ſua Chriſtus ſe Diſcipulis ſuis *abſcondit*; ſed ideo tantùm, ut meliùs ab ipſis videatur. Non tibi videtur importuna fuiſſe nubes illa, quæ Servatorem, cùm in cœlum aſcenderet, Diſcipulorum oculis eripuit? Si privandi erant divini ſui Magiſtri præſentiâ, cur eorum oculis ultimum negetur ſolatium, pauculîs momentîs illîs, quibûs abeuntem adhuc videre poterant, capiendum? Id omne magna cum providentia factum, ut, quantò citiùs corporeis eorum oculis abſconderetur Chriſtus,

tantò clariùs ab illis videretur oculîs fidei, quæ, cùm Divinæ Sapientiæ, & Intellectûs divini ſit communicatio, nos ſine comparatione magis certos efficit de noſtro Bono, quàm ſi noſtrîs id oculîs cerneremus. Si vaces orationis & internæ collectionis exercitio, continget tibi nonnumquam, ut in pulcherrima aliqua conſideratione tua ſubitò priveris cœleſti illo lumine, quo tibi beatus jam eſſe videbaris. Verùm hæc luminis obſcuratio tibi contingit ideo, ut veritatem meliùs intelligas; hæc obſcuritas fidem in te roborat, téque aſſuefacit ad agendum juxta illius principia, & ſequenda illius dictamina ſine errandi periculo, ſicuti, qui nocturno tempore à fideli duce dirigi ſe ſinit, atque ob noctis tenebras iter ſuum proſequi non deſinit. Quid triſtaris igitur, cùm in hanc obſcuritatem te conjicit Deus? ea id mente facit, ut noctem hanc in clariorem tibi diem vertat. Conſtanter Illi eſto fidelis, in iisdem pœnitentiæ ac pietatis exercitiis perſevera, orationem non neglige, in ſpiritu non remitte, neque ſolatium in creaturis quære; ac deinde non metue; nam denique poſt brevem eclypſin tuus tibi Sol redibit, ſéque tibi lucidiorem præbebit, quàm antea. Hanc in agendo fortitudinem à Deo pete, Eúmque roga, ut tuæ in ſpiritu infirmitatis meminerit, ita, ut eo tempore, quo illum probat, eum etiam dirigat, ne deprimatur penitus, nec à via recedat.

II. Con-

Digitized by Google

II. Conſidera, quòd Chriſtus in Aſcenſione ſua non ſolùm ſuis ſe diſcipulis abſconderit, ſed etiam ab illis tam procul *diſceſſerit*, quàm procul à terra noſtra Cœlum empyreum diſtat; ſed hoc ideo fecit, ut tantò viciniores Sibi forent per ſuam Spem Diſcipuli, & omnem hanc in cœlo collocarent, dum illuc omne ſuum Bonum aſcendere viderent. Tibi quoque videbitur procul diſceſſiſſe Dominus, cùm in ariditate & anguſtia magna te deprehenderis conſtitutum, vehementíque perturbatum impulſu vitam ſpiritûs deſerendi, ut quietem obtineas; ac pene deſperatum arbitraberis de unquam obtinenda perfectione, utpote negotiô nimis ſublimî, & viribûs tuîs ſuperiore. At non ita; inter hos cordis tui motus ne deſpondeas animum; quantò magìs tibi videtur hic ſtatus tuus carere remediô, tantò magìs ſpes ac fiducia tua ſtabilire ſe debet in auxilio divino; non ſolùm in Deum ſperando, ſed &, uti loquitur Propheta Regius, ſuperſperando: *In verbum tuum ſuperſperavi. Pſal. CXVIII. v. 81. & v. 114.* Ex ipſis videlicet miſeriis tuis cauſam arripere debes majori cum conſtantia & fervore ad Deum confugiendi, Eíque cum Jobo dicendi, quòd ſpem tuam nolis abjicere, licèt occidat te: *Etiamſi occiderit me, in Ipſo ſperabo. Job. XIII. v. 15.* Sed tu interea quomodo non erubeſces, cùm in te videas virtutem adeò debilem, ut ob leve quodlibet obſtaculum abjiciat animum, & retro ſe

convertat? Dole de præterita inconſtantia tua, & firmum fac propoſitum, quòd diſpoſitionibus Dei, quibûs te vult dirigere, ſemper obſequi velis; Illúmque roga, ut, cùm per internas hujusmodi affectiones finem adeò nobilem quærat, numquam longiùs à te recedat, quàm ùt animæ tuæ ſit vicinior, eámque firmiore erga ſe ſpe ac fiducia repleat.

III. Conſidera, quòd Chriſtus in Aſcenſione ſua non ſolùm ſe Diſcipulis ſuis abſconderit, & ab illis diſceſſerit, ſed primo etiam intuitu eos in maxima ſua neceſſitate *dereliquerit*. Illíne, qui Magiſtrum ſuum, adhuc præſentem, ſolum in ſuis cruciatibus reliquerunt, illíne, qui ad vilis ancillulæ vocem tremuerunt, poſtmodum, cùm inter tot anguſtias à ſuo ſe Magiſtro deſertos viderint, animum habebunt reſiſtendi perſecutionibus totius mundi, contra ipſos inſurgentis? Hæc erit occaſio, qua infernalis lupus oves deprehendere ſine paſtore, & absque ſuo periculo devorare poterit. Et tamen non ita evénit; quia hæc Chriſti derelictio naſcenti Eccleſiæ profuit, cùm illi propterea majori cum ardore aſtiterit, eíque Spiritum Sanctum de cœlo miſerit, ut eam novo Caritatis igne ſuccenderet. O derelictionem amabilem, qua Deus animam deſerit, ut eam amore ſuo magis inflammet! Quantò ampliùs JEſum Chriſtum amavêre Diſcipuli, poſtquam ita viſus eſt eos deſeruiſſe, quàm Illum amaverint antè, dum inter ipſos vivebat! & quantum illis ani-

animi ac generoſitatis acceſſit, ad Illius nomen ac gloriam per univerſum mundum propagandam, & toleranda omnia tormenta, quæ invenire potuit infernus, ut à cœpto illos impediret negotio! Nondùmne artes intelligis, quibûs Spiritum tuum perpolit Deus? Afflictiones iſtæ, in quibus es conſtitutus, & ob quas Deum tui memorem non eſſe arbitraris, ſunt teſtimonium, quòd Deus maxima cum ſolicitudine tui recordetur; ſunt fornax, in qua cupit, ut omnem imperfectionum tuarum, defectuum tuorum, propriíque amoris tui rubiginem exuas, in qua cupit cor tuum majoribûs Caritatis ardoribûs accendi. Erubeſce igitur ob querelas, & puſillum animum tuum, quem præteritarum tuarum afflictionum tempore prætetuliſti; offer te totum Déo, ut pro ſuo te libitu fingat; pete veniam, quòd Illius intentionibus te oppoſueris; ac dummodo ſuum tibi amorem largiatur, roga Illum, ut cordis tui mollitiem non attendat, ſed, quando ad illud emendandum neceſſaria hæc probatio fuerit, ita te probet, ut omnino mundus efficiaris.

EXAMEN

Pro die nona.

De Perfectione Operum magìs conſuetorum.

OMnis noſter in ſpiritu profectus, omnis perfectio ad duo capita contrahitur, quæ in eo conſiſtunt, ut faciamus ea, quæ Deus à nobis exigit; útque faciamus illa eo modo, quo Ipſe vult, ut eadem faciamus. Quod ad primum caput attinet, facilè ſecuri eſſe poſſumus per obedientiam; atque hæc ſecuritas magnum eſt hujus ipſius virtutis pretium. Supereſt igitur, ut de altero quoque capite nos ſecuros faciamus, & opera noſtra eo modo peragamus, quo illa peragi vult Deus. Proponemus hîc ideam operum magìs communium, tu circa illam te examina.

Principium diei. 1. Diem inchoa per Actum diligentiæ, pérque victoriam pigritiæ, auditô ſignô actutum ſurgendo. 2. Prima cogitatio ſit de Deo, ac divina Illius præſentia; primum verbum, quo Illum invoces; & primum opus, quòd Signô Sanctæ Crucis te munias. 3. In aſſumendis veſtibus exerce modeſtiam, decenter te gerendo, & unà pietatem, ſacrum habitum oſculando, út alibi dictum, & Exercitii quotidiani preces recitando: *Benedicta ſit Sancta Trinitas &c.* 4. Ubi veſtitus fueris, vel in cubiculo tuo, vel

vel coram SS. Sacramento hos quinque Actus exercebis, nimirum *Adorationis* Divinæ Majeſtatis, *Gratiarum Actionis* pro acceptis præterita potiſſimùm nocte beneficiis, *Contritionis* de peccatis, *Oblationis* omnium illius diei actionum, *Petitionis*, ut omnia fiant ad Dei Gloriam, invocando etiam Beatiſſimam Virginem, Cuſtodem Angelum, & Sanctos Patronos.

Oratio. I. *Ante illam.* 1. Veſperi te ad illam præpara, & meditationis materiam prævide. 2. In hac cogitatione fac indormias. 3. Cùm evigilaveris, de illa mox cogita, & manè materiam omnem, & fructum, quem inde colligere cupis, denuo diſpone. II. *Tempore Orationis.* 1. Omne temporis ſpatium, quod præſcriptum eſt, illi impende. 2. Signum orationis præveni, & expecta. 3. Magna cum reverentia tam interiori, quàm exteriori te gere. 4. Divinorum Myſteriorum conſiderationi ſtudioſè te applica. 5. Denique in affectibus voluntatis, & petitionibus valde ferventibus te exerce. III. *Poſt Orationem.* 1. Examina ſucceſſum orationis, & ſervatum in ea modum. 2. Vide, an evagationibus mentis reſtiteris; an verò iis cauſam dederis. 3. Propoſita, quæ concepiſti, confirma, & luminum acceptorum memoriam robora.

Officium Divinum. I. *Ante illius initium.* 1. Renovabis Actum Fidei de Divina præſentia. 2. Domino illud offeres nomine

mine totius Eccleſiæ, ut omnibus Chriſti Fidelibus omnia bona obtineas; vel alias hujusmodi intentiones præmittes. II. *Tempore, quo Officium Divinum recitas*, ſtude, habere Reverentiam, Attentionem, ac Pietatem. 1. *Reverentiam:* in eo te ſitu conſtituendo, qui non dedeceat Majeſtatem Dei, quocum modò loqueris. 2. *Attentionem:* non ſolùm advertendo ad verba, ut integre illa pronunties, ſed etiam ad Deum, qui per ea laudatur. 3. *Pietatem;* quæ ex reverentia, & attentione naſcetur, & excitari debet ad *Gloria Patri*, & ad initium cujuslibet Horæ Canonicæ. III. *Poſt Officium.* 1. Profundè venerare SS. Sacramentum. 2. Age gratias Deo, quòd ad laudandum Ipſum admiſſus fueris. 3. Pete veniam pro commiſſis omnibus defectibus.

Lectio Spiritualis. I. *Ante Lectionem.* 1. Invoca S. Spiritum per Hymnum: *Veni Creator Spiritus!* 2. Finem tibi ſtatue profectum animæ; non verò legendi cupiditatem, vel vanum ſciendi deſiderium; proinde libros utiles elige cum Sacri Arbitri tui conſilio, eósque pro tuo libitu ne permuta. II. *Tempore Lectionis.* 1. Ne lege currente tantùm oculo, ſed aliquantùm ſubſiſte; neque multum lege, ſed cum multa conſideratione; cibos ita integros devorare, eósque priùs non commolere dentibûs, numquam profuit ad nutrimentum. 2. Singulîs diebûs ſtatutum huic Lectioni tempus habe, illúdque die-

diebûs feſtîs extende, ut eos ſanctiùs tranſigas. III. *Poſt Lectionem.* 1. Gratias age Deo, quòd per ſacrum hunc librum tibi locutus fuerit. 2. Pete gratiam, ut inde proficias. 3. Utilem aliquam ſententiam imprime memoriæ, ut interdiu de illa cogites, tibíque utilem cùm aliis etiam agendi materiam pares.

Miſſæ Sacrificium. I. *Antequam illam audias.* 1. Eccleſiam adibis, veluti ſi pergeres ad Montem Calvariæ, ut inſtaures memoriam JEſu Chriſti patientis, & aſſiſtas operum omnium, quæ in cœlo & in terra fieri poſſunt, maximo, nimirum Sacrificio, quo Dei Filius immolatur æterno ſuo Patri. 2. Pete à SS. Trinitate gratiam, inde reportandi fructum. II. *Tempore Sacrificii* Actibûs internîs comitaberis Sacerdotem in qualibet ex quinque partibus. In 1. parte Sacerdos ſe humiliat, ac veniam petit pro ſuis ac totius mundi peccatis. In 2. Sacerdos nomine Sanctæ Eccleſiæ, & per merita Servatoris noſtri petit à Deo diverſas gratias. In 3. progreditur ad offerendam hoſtiam, & calicem ad quatuor illos Sacrificii fines, nempe in ſatisfactionem pro peccatis, in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, ad impetrandas novas gratias, & denique ad reddendum Deo debitum obſequium. In 4. parte Sacerdos ſumit ſacratiſſimum Chriſti Corpus & Sanguinem. In 5. pro ſacra iſthac ſumptione gratias agit. In his quinque partibus Sacer-

 do-

dotem comitari debent, qui Sacrificio interſunt, maximè verò in ſacra Sumptione, ita, ut & ipſi ſacro Chriſti Corpore ſpiritualiter ſaltem, uti loqui ſolemus, paſcantur, ſicque Divini hujus Myſterii effectuum participes quoque fiant, etiamſi illud reipſa non ſumant. Fit autem hæc, ùt appellant, ſpiritualis Communio, ſi excitetur fides viva de Chriſti in Eucharistia præſentia, & firma ſpes de Illius Bonitate, ac Potentia nos etiam è longinquo juvandi, & demum Caritas erga hunc eundem Dominum cum deſiderio jungendi ſe Illi ſaltem ſpiritu, cùm id actu ipſo non liceat. III. *Poſt Sacrificium.* 1. Petes commiſſarum negligentiarum veniam. 2. Precaberis benedictionem à Chriſto Domino in Sanctiſſima Eucharistia, eúmque in finem Illum adorabis profundiſſimè.

Confeſſio Sacramentalis. I. *Ante Confeſſionem.* 1. Aliquamdiu per Examen te præpara, non anxiè quidem, ſed diligenter. 2. Sincerum excita dolorem, & perpende, quantùm diſpliceat Deo peccatum quodlibet, & quanta ſit ingrati animi nota, quantáque infidelitas, ſi tam facilè ad illud committendum redeas. 3. Propone, te emendare, maximè in peccatis illis, quæ majori cum advertentia commiſiſti; de mediis quoque cogita obtinendæ hujus emendationis, qualia forent, ferventiùs ſe Deo commendare, eóque fine frequentiùs viſitare SS. Sacramentum, & his ſimilia. II. *Tempore Confeſſionis,*

nis. Dum temetipſum accuſas, ſimul elicies trium iſtarum virtutum actus: 1. Fidei, qua in Sacerdote, quem vides, inviſibilem JEſu Chriſti, Judicis ac Medici noſtri, Perſonam agnoſcas. 2. Spei, qua per JEſu Chriſti Merita, ejúsque Sanguinem confidas, te veniam & remedium peccatorum tuorum obtenturum. 3. Demiſſionis animi, qua ſincerè ac fideliter commiſſa peccata omnia ſine excuſationibus & anfractibus, ad minuendam verecundiam quæſitis, aperias. III. *Poſt Confeſſionem*. 1. Gratias age Deo, quòd adeò ſalutare balneum per ſacratiſſimi Sanguinis ac Paſſionis ſuæ pretium parare tibi dignatus fuerit. 2. Magna cum pietate injunctam perſolve pœnitentiam. 3. Bonum propoſitum renova, & novas à Deo vires poſtula, ut id exequi valeas.

Sacra Communio. I. *Ante communionem* Accuratè ſemper ad illam te præpara, & 1. Actum aliquem caſtigationis voluntariæ hunc in finem præmitte. 2. Lege librum aliquem de hac materia diſſerentem. 3. Conſidera Magnitudinem Hoſpitis, qui ad te veniet, tuam verò, qui illum recipis, indignitatem, uti & illius amorem immenſum, quem tibi hoc adventu ſuo demonſtrat. II. *Tempore S. Communionis* Accede cum illa diſpoſitione, quam à Fidelibus olim exigebat Diaconus, alta voce illis ingeminans: *Accedite cum Fide, tremore, & dilectione*; id ut facias 1. Excita fidem de præſentia JEſu

ſu Chriſti. 2. Agnoſce tuam indignitatem. 3. Ardenter deſidera conjungi cum Deo tuo. III. *Poſt S. Communionem.* 1. Commorare cum JEſu Chriſto ſaltem tanto tempore, quanto ipſe Corpore tenus in te moratur, nimirum quarta circiter horæ parte. 2. Eo temporis ſpatio exerce quatuor iſtarum virtutum actus; nempe trium Theologicarum, Fidei, Spei, & Caritatis, &, quæ his affinis eſt, Religionis. 1. Firmiſſimè crede, JEſum Chriſtum reipſa tibi præſentem eſſe. 2. Intuere illum, ùt fontem bonorum noſtrorum omnium, & ùt Illum, qui revelata olim facie futurus eſt æterna noſtra Beatitudo. 3. Deſidera in rebus omnibus divinam illius invenire Voluntatem, eúmque ex toto corde redamare. 4. Gratias illi age pro tam inæſtimabili dono, præter quod non habet jam DEus aliud, quod donare nobis poſſit, cùm Seipſum nobis dederit. 5. Profundè te demitte ob præterita peccata tua, & ingrati animi vitia. 6. Offer te totum ſine exceptione Divinis Illius manibus. 7. Pete ſanctum Illius amorem, & gratiam abundantem, ut Illius deſiderio, quo ditare te cupit, ſatisfacere queas.

Labores manuum. I. *Ante illorum initium* offer eos Domino ex bono aliquo fine, v. g. Demiſſionis animi, paupertatis, vel obedientiæ &c. II. *Sub ipſis laboribus.* 1. Mentem aliquoties, ad Deum eleva, & modò dictam intentionem renova, téque negotiis tuis

tuis commoda, non verò te totum dona. 2. Ad genium ac voluntatem aliorum, qui tecúm laborant, te accommoda; & memento, quòd in hac vita non habeamus aliud, quod agamus, niſi unicum; nimirum, ut Deo ſerviamus, &, hoc ſi bene fiat, nihil interſit, ſi mundus omnis ſus déque vertatur.

Refectio corporis. I. *Antequam accedas ad menſam.* Renova rectam intentionem, nimirum ut obedias, & inſtaures vires neceſſarias ad ſerviendum Deo; non verò, ut corpori tuo ſatisfacias, & voluptatem capias, quam illud inſtar beſtiæ quærit. II. *Sub ipſa Refectione.* 1. Exerce *Pietatem* in Benedictione Menſæ, & Gratiarum actione, attentáque ſacræ lectionis auſcultatione. 2. *Temperantiam*, ne in ciborum quantitate, vel eos capiendi modo, nimiáque aviditate excedas. 3. *Caſtigationem appetitûs*, & admitte etiam illa, quæ minùs ſapiunt, & aliquo magis ſapido teipſum priva, ut illud offeras Deo, qui illud tibi olim in Paradiſo in æternam convertet jucunditatem.

Converſatio. Cave, ne circa hanc in defectum aliquem incidas. 1. Ratione *finis*; nimirum ne ideo converſeris cum aliis, ut amori proprio indulgeas ſive per otium, ſive per ſermones inutiles, vel ut tuam delectationem, ac tuum duntaxat commodum quæras. 2. Ratione *temporis*; ne diutiùs, quàm juſtæ relaxationi convenit, te detineas. 3. Ratione

Ratione *Perſonæ*, ne tui duntaxat genii ſocios, aut liberiores quæras; ſpiritui verò magis deditos fugias cum obtentu, quòd nimis ſint melancholici; néve libentiùs cum Secularibus ad portam fabuleris, quamvis experimentô didiceris, quòd hac ratione mundus ingrediatur in animum tuum per aures, & oculos, per vanas complacentias, per ſenſa ſecularia, quæ animum diſſipant, & conſuetudinem cum Deo impediunt. 4. Ratione *Modi*, ne vel agas cum impatientia, vel utaris verbîs indignabundîs, vel ſuperbîs, vel tui ipſius æſtimationem olentibûs; néve agas imprudenter, loquendo de rebus, quas ipſe non intelligis; néve ruſticè, aliis te exhibendo durum, ac difficilem; tales enim ſe Sancti erga ſe ſolos exhibuêre.

Viſitatio SS. Sacramenti. 1. Has viſitationes inſtitue *frequenter*, cùm utique oporteat, nos JEſu Chriſto in terris manenti inſervire, ùt Illi in cœlis inſerviunt Angeli. 2. *Cauſa* SS. Sacramentum ſæpius viſitandi tibi erit vel amor, Amori JEſu Chriſti debitus, vel gratiarum actio, debita pro tot itineribus, quæ Ipſe pro nobis è cœlo toties in hanc terram inſtituit; vel ut Illi, tamquam Regi tuo, debitum præſtes homagium, vel ut ab Eo in tuis neceſſitatibus remedium, lucem in tuis dubiis, ſolatium in tuis tribulationibus, in tua tepiditate fervorem obtineas. 3. *Modus* erit hic: Comparebis coram JEſu Chriſto, vel inſtar illius

cæci,

cæci, qui à Chriſto petiit lumen oculorum: *Domine, ut videam;* vel inſtar leproſi, qui à lepra ſua liberari petiit: *Si vis, potes me mundare;* vel inſtar Publicani, qui peccatorum ſuorum rogabat veniam: *DEus, propitius eſto mihi peccatori!* vel inſtar illius languidi, qui annîs octo & triginta, omnî auxiliô deſtitutus, jacuit: *Domine! hominem non habeo;* vel inſtar Mulieris Cananææ, quæ fidem ſuam per ipſam adeò repulſam auxit; vel inſtar Magdalenæ ad pedes Servatoris, ad excipienda Illius verba; ut hæc Perſonarum, Chriſto ſe ſiſtentium, varietas varios etiam, ac reſpondentes pietatis affectus in te excitet.

Examen Conſcientiæ. I. *Ad initium Examinis* præmitte duo illa conſueta puncta, nimirum Gratiarum actionem ob accepta beneficia, & petitionem luminis ad cognoſcenda commiſſa peccata; ſunt enim hæc puncta magnopere neceſſaria, unum ad tollendam animi cæcitatem, alterum verò ad emolliendam cordis duritiam, geminos peccati effectus, adeò noxios, & veræ pœnitentiæ tantopere adverſos. Oportet igitur, ut hos duos actus, etiamſi breves eſſe debeant, ſeriò tamen exerceas. II. *Sub reliquo Examine* tria tibi ſunt præſtanda. 1. *Omnes diei actiones ſcrutare* cum diligentia, uti facere ſolet canis venaticus, qui in omnibus ſilvæ angulis feram ſcrutatur, ut eam invadat. Præter malè acta in omiſſa etiam

bona

bona inquire, uti & in cauſas & radices defectuum illorum, quos committendo & omittendo perpetrâſti, ut ſecurim dein ad radicem ponere queas. 2. *Ex animo dole de inventis defectibus.* Non enim ſatis eſt Reum deprehendere, ſi poſtmodum absque ſupplicio ſinatur evadere. 3. *Firmum concipe propoſitum ad peccata tua non redeundi.* Juxta menſuram hujus propoſiti reſpondebit etiam fructus, qui eruendus eſt ex iſthoc exercitio. III. *Poſt Examen* 1. Perſolve pœnitentiam aliquam; qualis eſſe poterit, oſculari terram, humum linguâ lambere, præſertim ſi hæc nimia ſua libertate peccâſſet. 2. Selige defectum aliquem graviorem, ut in eum dirigas meditationem, atque hac ratione tuam emendationem efficaciùs promoveas; quia Examen ſervire debet Orationi, quemadmodum Exploratores ſerviunt Exercitui: illi enim inimicum inveſtigant, ac detegunt; Exercitus verò illum aggreditur, ac debellat.

Quies nocturna. Quemadmodum, quia DEus eſt primum Principium tuum, ab Illo debes inchoare diem per aliquod Pietatis exercitium; ita pariter, quia is ipſe Deus eſt ultimus tuus finis, per aliquod Pietatis Exercitium finire diem debes. Poſt abſolutum igitur Examen Conſcientiæ exercebis. 1. *Modeſtiam*, decenter exuendò veſtes. 2. *Pietatem*, aliquas ſimul preces recitando. 3. *Rectam intentionem*, tuam Deo quietem offe-

offerendo, non, ut inclinationi naturæ ſatisfacias, ſed ut Dei voluntatem adimpleas. II. *In Lecto* 1. imaginare tibi ſtatum illum, in quem paulò pòſt devenies, moribundi videlicet, vel mortui. 2. Deſidera, & pete gratiam Sacrorum Myſteriorum pro illo temporis articulo. 3. Breviter renova Exercitium Fidei, Spei, Caritatis, Doloris de peccatis, & conformationis tuæ voluntatis cum Divina. 4. Animam tuam in JEſu Chriſti Vulnera commenda, & invoca JEſu & Mariæ ſacra nomina, veluti ſi ultimum ſpiritum exhalares, neque deinceps rebus caducis victurus eſſes.

Siquos in materia tam vaſta inveneris defectus, ſolitos actus, jam alibi indicatos, exercebis.

MEDITATIO TERTIA

Pro nona Exercitiorum die.

De Adventu Spiritûs Sancti.

I.

COnſidera tres mutationes, quas Spiritus Sanctus in Apoſtolis effecit, videlicet Mentis, Cordis, & Linguæ; & has ipſas oportet eſſe Sacrorum Exercitiorum fructus: *Inſiliet in te Spiritus Domini --- & mutaberis in virum alterum. I. Reg. X. v. 6.* Prima itaque mutatio fuit *Mentis*,

dum illorum dictamina temporalia, quibus dirigi conſueverant, illis mutavit in æterna Principia, & eos clarè fecit cognoſcere bonorum præſentium vanitatem, & futurorum magnitudinem, ita quidem, ut illi ipſi, qui toties inter ſe contenderant, *quis eorum videretur eſſe major. Luc. XXII. v. 24.* poſt acceptum Spiritum Sanctum, in magna felicitatis parte numerarent, ſi pro Chriſto contemnerentur, & veluti mundi opprobrium & quisquiliæ haberentur. Adverte jam, an hæc mutatio tempore ſolitudinis ſacræ etiam facta ſit in te, & quanta illa ſit? quam habeas rationem Crucis, ac tui depreſſionum? An in hanc uſque diem magnum eſſe bonum judicaveris, multùm æſtimari ab aliis, & in omnium corde vivere? an credideris, injuriam tibi fieri ab eo, qui exiguam tui rationem habebat? An te perpetuum adhuc hominibus placendi, ac nemini diſplicendi deſiderium tenuerit? verbô: an frequenter hominum reſpectibûs, & ſuppeditatîs à mundi ſchola dictaminibûs dirigi te permiſeris? nunc verò fixum ac conſtitutum habeas, deinceps vivere juxta doctrinas in Chriſti Crucifixi ſchola tibi traditas; juxta ſenſa ſinceræ demiſſionis animi, vî quorum deſideres latêre; juxta regulas univerſalis, ùt appellant, Mortificationis, vî quarum velis Deo reddere non partem, ſed omnia, Deúmque ſemper habere pro tuorum motuum, & intentionum tuarum omnium

omnium centro? Tum enimvero prudenter judicare poteris, te in ſacra tua Solitudine Spiritum Sanctum accepiſſe, & illius effectus experiri. Idoneam hîc menſuram habes, ut teipſum non decipias, néve adultum te ac grandem exiſtimes, cùm etiamnum in virtute es infans. Erubeſce igitur; ſed animum non ideo deſponde; imò potiùs infirmitates tuas ſincerè aperi in conſpectu Dei, & Divinum Spiritum demiſſè roga, ut Lucis ſuæ radiô mentem tuam immutet, uti facere momentô poteſt; ita, ut deinceps aliud nihil magìs æſtimes, quàm JEſu Chriſto pauperi, perſecutionibûs & opprobriîs amore tui exagitato, ſimilem eſſe.

II. Conſidera ſecundam mutationem, quam Spiritus Sanctus in Apoſtolis fecit, fuiſſe mutationem *Cordis*. Priùs tam erant timidi, ut pro tuenda ſua vita hic Magiſtrum ſuum in Paſſione deſeruerit, ille negaverit; & omnes ſimul, ceu totidem Cuniculi, hoc ipſo tempore præ timore Cœnaculô concluſi viverent At ubi Spiritus Sanctus in illos deſcendit, prodiêre foras, ceu totidem Leones, & aperta fronte Chriſtum Crucifixum prædicabant, idque in maximo hominum concurſu, quin terreri ſe ſinerent ſive minîs, ſive verberibûs, ſive ipſa morte, quam magnæ felicitatis locô habuerunt, beatos ſe arbitrati, ſi illam inter mille crucitatus invenire poſſent. Examina te, quid præteritîs temporibûs amaverit cor tuum, quid pertimuerit?

muerit? & mox videbis, an immutatum fuerit. Si priùs in omnibus ſuis operibus ſuum amavit commodum, ſibique ſtuduit ſatisfacere, ſi actiones ſuas in ſuam direxit utilitatem, ſi vel ſolum tribulationis nomen exhorruit; nunc verò perſuaſum habet, tribulationes eſſe notam amicorum Chriſti, & noſtram felicitatem in eo ſitam eſſe, quòd Illius imitemur exempla; ſi Illius amor occupare incipit cogitationes ac deſideria tua; ſi non ampliùs es adeò ſolicitus de tua ſanitate, & aliorum bona de te exiſtimatione, dumodo ſatisfacias Deo tuo; tum verò bonô ſis animô, & crede, Spiritum Sanctum apertum oſtium ad cor tuum inveniſſe, ac ſatis eſſe, ſi clavem illius in perpetuum Ipſi tradas, ut ſuum perfectionis tibi conferendæ propoſitum adimpleat. Nunc autem erubeſce, quòd uſque adhuc ab hiſce animi ſenſis adeò procul receſſeris, & mendacia ſecutus, veritatem fugeris. Propone, quòd addito etiam conatu tuo promovere velis prima hæc lineamenta, quæ Sanctus tibi Spiritus impreſſit, eúmque ardenter roga, ut, cùm Ipſe ſit Dator munerum, donet tibi munerum omnium maximum, in ſuo nimirum amore perſeverantiam.

III. Conſidera tertiam mutationem, quam Spiritus Sanctus in Apoſtolis fecit, videlicet mutationem *Linguæ*. Quibus de rebus loquebantur olim Apoſtoli, dum adeò cum Juda conſpirârunt in vituperanda Magdalena,

& in

& in eam pariter fremebant, quòd Domini pedes tantis cum impenſis unxerit? *Et fremebant in eam. Marc. XIV. v. 5.* Sed poſtquam Divinus Spiritus ſuper illos deſcendit, non jam loquebantur, niſi lingua cœleſti de Magnitudine Dei, & de ipſius Gloria: *Audivimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Act. II. v. 11.* Hîc tu conſidera tuos ante Exercitia ſermones; maximè verò tuam in carpendo proximo, ejúsque lædendo bono nomine, in tuis adverſùs Superiores querelis, in manifeſtandis Cœnobii tui defectibus, etiam inter Seculares libertatem. Fortaſſis in hac conſideratione multam invenies coram Deo erubeſcendi, & ejus iram pertimeſcendi materiam, cùm adeò ſeverè Caritatis defectus punire ſoleat. Sed confide, tempus etiamnum habes corrigendi lapſus tuos, ſi Spiritum Sanctum ſinas per Sacra hæc Exercitia mutare linguam tuam; linguam videlicet terrenam in linguam cœleſtem; vinciendo illam, & in perpetuum retrahendo à ſermonibus vanis & inutilibus, multóque magis ab iis, qui proximum lædunt; eam verò ſolvendo ad colloquia de rebus Divinis, non modò cum tuis Fratribus, ſed & cum Secularibus, ubi cum ipſis agendum eſt, miſcenda. Beatum te, ſi in hora mortis tuæ benedictam adeò linguam habueris! Pro clave tibi illa ſerviet, qua cœlum aperias. Divinum itaque Spiritum roga, ut ſuam in

Digitized by Google

te gloriam oſtendat mutatione linguæ tuæ, quæ digna ſit dexterâ ipſius, túque Illum laudare poſſis æternùm, ac fateri cum Propheta: *Hæc mutatio dexteræ Excelſi. Pſal. LXXVI. v. 12.*

MEDITATIO QUARTA

Pro nona Exercitiorum die.

De Gloria Paradiſi.

I.

COnſidera, quòd beatus eſſe nequeat, niſi qui omnia bona poſſidet, eáque poſſidet perfectè, & poſſeſſurus eſt æternùm. Ac proinde, ſi anima tua facta fuerit aliquando digna Paradiſo, *poſſidebit omnia bona*; non tamen talia, quæ tibi potes imaginari, ſed omni cogitatione tua infinitè ſuperiora; ita quidem, ut quamquam ſine fine id omne multiplicaveris, quod modò deſiderare novit cor tuum, numquam tamen eò ſis perventurus, ut minimam illius gaudii partem, quod in cœlo te manet, effingere tibi queas. Senſus tui, qui adeò nunc inimici ſunt animæ tuæ, ſuâ tunc gloriâ adeò replebuntur, ut aliud nihil deſiderent. Corpus tuum, quòd te nunc adeò gravat, vivum tunc erit ectypon Corporis JEſu Chriſti; ac proinde tam erit pulchrum, ut Solem ipſum ſit daturum in ruborem, & adeò lucidum, ut, ſi manum unicam,

unicam, cœleſti gloria donatam, è cœlo exereres, eâ ſolâ univerſo mundo ſereniſſimum diem impertiri poſſes. Hinc deſume, qualis futura ſit anima tua, undique Deô plena, & in abyſſo Divinarum Perfectionum ſubmerſa. Facilius profectò foret, nucis putamini Oceanum omnem includi, quàm à debili phantaſia noſtra comprehendi, quid rei ſit Paradiſus. Paradiſus idem eſt, ac poſſidere totum DEum per omnem æternitatem, atque ex divinarum illius Perfectionum fundo perpetuos inexplicabilis felicitatis reditus percipere; Paradiſus indicat, animam eſſe Deo intimè conjunctam, non aliter, ac ignis conjunctus eſt ignito ferro, ita, ut propemodum Deus ſit anima, & anima pene ſit Deus; quemadmodum & ignis pene eſt ferrum, & ferrum propemodum eſt ignis. Paradiſus idem eſt, ac ſedere in throno Divinitatis, & accumbere ad menſam Dei, id eſt, eadem frui felicitate per gratiam, qua DEus fruitur per Seipſum; adeò, ut bonum illud, quod ab omni anteriori æternitate Cor Summi Boni perfectiſſimè ſatiare potuit, tuum quoque cor absque alio medio ſatiare debeat. O momentum itaque millies & millies fortunatum, quo ad tantam gloriam es admittendus! Si Deus omnes ſuas pulchritudines, non omnes unà ſimul, ſed paulatim vellet oſtendere, novîs ac novîs identidem ſpectaculîs admiratione digniſſimîs, per integram æternitatem diſtinere te

 poſſet;

poſſet; quale jam erit ſpectaculum, ſimul videre omnes has pulchritudines, eásque omnes in æternum poſſidere! Non eris tunc beatus, ſed eris ipſa quodammodo Beatitudo: *Ponam te - - - gaudium in generationem & generationem. Iſa. LX. v. 15.* Tu interim hæc omnia firmiter potes credere, & eorum tamen ſecuritatem tanta cum negligentia curare? Fides tibi meretur, ut Deum videas; Spes meretur, ut Eum poſſideas; Caritas, ut Eo fruaris; quid igitur agis, quòd non omnem tuam vitam ex meris Virtutis actibus contexis? Erubeſce teipſum; deteſtare præteritum teporem tuum; paratum te offer ad perdenda omnia, ut immenſum adeò bonum conſequaris, & roga Deum, ut, cùm Ille ex parte ſua efficaciter te ſecum velit beatum eſſe, vires tibi largiatur, quibûs Beatitudinem hanc quamprimum obtineas.

II. Conſidera, quòd in Paradiſo *omnia bona ſis perfectè poſſeſſurus.* Hæc perfectio proveniet partim à potentiis gloriâ præditis, partim à bonis ipſis. Cor tuum non erit tunc adeò miſerum, & tam anguſtum, ut nequeat eodem tempore omnia ſimul voluptatum genera in ſe colligere; imò anima, Gloriæ lumine confortata, ſinum ſuum ita dilatabit, ut futura ſit capax gaudiorum ipſius Dei, ut Ipſemet promiſit *Joan. XV. v. 11. Ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur.* Eodem modo Bona cœleſtia invicem ſe non impedient, ùt ſe invicem impediunt

diunt hujus mundi bona; cùm enim illa naturæ ſint ſpiritualis, ſimul conſiſtent, ac ſe invicem juvabunt, ut nos perfectè felices ac beatos efficiant, atque omnî momentô gaudia & voluptates omnes nobis in compendium redigent. Propterea docet nos Spiritus Sanctus, quòd in cœlis coram throno Dei ſit quoddam veluti mare Cryſtallinum: *In conſpectu Sedis tamquam mare vitreum, ſimile Cryſtallo. Apoc. IV. v. 6.* quia quemadmodum Cryſtallus viſum non impedit, ſed roborat, & objecta non abſcondit, ſed facit, ut multò appareant pulchriora; ita omne Bonum in Paradiſo non impediet Beatos, quin alio quoque bono perfrui poſſint, ſed omnem illis præbebit libertatem, ſingulîs momentîs omni voluptatum genere fruendi; adeò, ut non ſolùm bona ſua propria perfectè poſſideant, ſed bona inſuper omnia reliquorum Beatorum omnium; Caritas enim ibi tam erit perfecta, ut, ſiquis inter Beatos inveniri defectus poſſet, is quamprimum à Caritate tolleretur; jam quid fiet, cùm omnes ſint Sancti, cùm omnes ſint magni Reges, cùm omnes pleni ſint affabilitate, ſapientia, & amicitia incomprehenſibili? Fiet, ut dum quilibet amat alium, veluti ſeipſum, tot quivis Paradiſos habeat, quot numerat Gloriæ Socios. Quid autem ibi ſenties in corde tuo, cùm in præmium obſequii, pauculîs vitæ diebûs Deo præſtiti, ſubmerſum te videbis in Oceano deliciarum inexplicabilium, atque

 dul-

dulciſſimum cœli mel non ſorbillando, ſed ſimul omne potando guſtabis? Quàm ſatiaberis illo Beatitudinis rivo, ac in teipſo te quodammodo perdes, ut totum in Deo te feliciter invenias? Eſtne poſſibile, ut Bona tam magna ſperes intra modicum tempus, & tantam nihilominus creaturarum habere poſſis rationem, ac adeò perditè miſera illa, quæ tibi creaturæ promittunt, ſolatia ſecteris? Eſtne poſſibile, ut modicâ pœnitentiâ & exiguo labore terreri te ſinas? Et qua pœnitentia? quo labore? An opera illa, quæ tantam tibi Gloriam pariunt, digna cenſes hoc nomine? O beatos ſudores, qui tantam tibi requiem pariunt! O beatam tui afflictationem, quæ tantum tibi afferet ſolatium! O beatas tui depreſſiones, quæ in tantum tuum honorem evadent! Unum duntaxat habes, quod cum Propheta impoſterum petas, nimirum ut ſemper habites in domo Domini. Quid refert, in hac vita vilipendi? quid intereſt, hîc affligi? Unica Paradiſi hora omnes hujus vitæ pœnas compenſat infinito cum fœnore: *Melior eſt dies una in atriis ſuis ſuper millia. Pſal. LXXXIII. v. 11.* Erubeſce, quòd huc uſque opinionibus adeò contrariis locum dederis, quódque Paradiſi tam fueris immemor. Propone, deinceps illius frequenter recordari; & gratias age Deo, quòd tantum tibi Bonum præparet, tantáque Providentiâ ad illud acquirendum te dirigat; roga Illum denique, ut cor tuum ita nunc emundet, ut olim

olim hoc Bono per omnia futura ſecula frui mereatur.

III. Conſidera, quòd omnia iſta bona, quæ in cœlo tam perfectè poſſeſſurus es, etiam *ſis æternùm poſſeſſurus*. Quis capere ſatis poteſt, quantum ponderis adjiciat Paradiſi felicitati æternitas? Si quodlibet bonum tantò magis æſtimari debet, quantò eſt magis diuturnum ac ſtabile, quàm erit igitur æſtimanda felicitas illa, quæ non modò eſt immenſa, ſed & ſempiterna? Voluptas viliſſimi è noſtris ſenſibus, cùm in cœlo finiri numquam poſſit, meritò præferri deberet omni Beatorum ſimul omnium felicitati, ſi hæc felicitas finem aliquando habitura eſſet; tu inde jam collige, qualis futura ſit beatitudo, qua collectum habebis in corde tuo gaudium, ob bonorum omnium copiam incomprehenſibile, & per ſeculorum omnium decurſum numquam omnino finiendum. Talis erit hæc Beatitudo, ut ex illa plus voluptatis in genere Boni ſis habiturus, quàm doloris in genere Mali ſimul omnes Damnati patiantur; adeò, ut vel unica ſtilla immenſi illius gaudii, cui aliquando innatabis in cœlo, ſi in infernum decideret, ſatis omnino foret, ad extinguenda omnium inferorum tormenta. Pariter, ſi nulla in hoc mundo voluptas eſt, quæ non denique vertatur in ſupplicium, ſi nimis diu duret, & non mutetur; qualis igitur erit magnitudo illius Boni, quod ſemper erit novum, & identidem perget, te per ſecula omnia æqua-

Digitized by Google

qualiter beatum reddere? Vide igitur, quantopere ſis obligatus JEſu Chriſto, qui, ut tu cum Ipſo regnare poſſes, fieri ſervus pro te voluit, & in Crucem, doloribûs ac opprobriîs inexplicabilibûs plenam aſcendit, ut tu invicem in Ipſius thronum aſcenderes! Dæmonem ipſum ingrati animi crimine ſuperares, ſi Chriſtum non amares; quantùm igitur eundem dæmonem ſuperares, ſi Chriſtum inſuper offenderes? Quas tandem artes invenire Ille debebit, ut ex animo Ipſi ſervire ſtatuas? Clamat Satanas: Servi mihî, & ego, poſtquam durîs te laboribûs ſatis exercuero, integra tormentorum æternitate tuos tibi labores remunerabor. Clamat JEſus: Ama me; & ego, poſtquam te ſumma cum modeſtia tractavero, integra infinitorum gaudiorum æternitate tuum tibi amorem compenſabo. Et nihilominus invenire ſit aliquos, qui eligant ſervire dæmoni, & amare Deum nolint? Et tu tot affectus beneficiîs, adeò per fidem illuſtratus, adeò per gratiam roboratus, eris in numero creaturarum iſtarum tam infelicium? O cœlum! ô cœlum! Erubeſce, quòd tam exiguam adhuc illius rationem habueris; indignare tibímet ipſi, tuæque voluntati, quæ toties te expoſuit illius perdendi periculo; roga Deum per immenſam illam Caritatem, qua ſuum tibi Regnum ab æterno præparavit, & per amaram illam Paſſionem, qua illud ſuo tibi tempore promeruit; ut gratiam tibi modò largiatur,

ut

ut illud tuâ culpâ non amittas; ſed illius identidem memor, novo amore, novíſque laboribûs illius tibi poſſeſſionem quotidie certiorem facias.

SACRORUM EXERCITIORUM

DIES DECIMA.

MEDITATIO PRIMA.

De Titulis amandi Chriſtum Dominum.

I.

COnſidera tres titulos amabiliſſimos, quorum cauſâ ſummè affici debes erga JEſum Chriſtum; ſunt autem hi, quia Servator tuus eſt, quia Dominus tuus eſt, quia tuus Amicus eſt. Itaque eſt *Servator tuus*, quia te ſervat ac liberat à malis immenſis, nimirum à peccatis omnibus, & à pœnis peccato debitis, ab æterna dæmonis ſervitute, ab æterna Dei inimicitia, quæ te ab Illo æternùm ſepararet, & in abyſſo ignis æternùm ſepeliret. Neque iſtud ſolùm; ſed poſtquam ab immenſis te malis ſervavit, infinita inſuper tibi bona obtinuit. Id enim omne, quod habemus in ordine naturæ, per JEſum Chriſtum obtinuimus: *Omnia per Ipſum*

Digitized by Google

Ipſum & in Ipſo creata ſunt. Col. I. v. 17. Id omne pariter, quod habemus in ordine gratiæ, ac gloriæ, Illi ipſi debemus; per Illum ſumus electi, per Illum ſumus vocati, per Illum ſumus Juſtitiâ donati, &, niſi nos ipſi ponamus obſtaculum, per Illum Gloriâ quoque veſtiemur: *In omnibus divites facti eſtis in Illo; - - - ita, ut nihil vobis deſit in ulla gratia. I. Cor. I. v. 5.* Quid ageretur de mundo hoc noſtro inferiore ſine Sole? Emorerentur omnia. Et quid ageretur de humano genere ſine Illius Servatore? Sine Illo meliùs foret hominibus, non eſſe natos; quia vita non aliud iis conferret, quàm mortem ſempiternam. His dein adjunge id, quod JEſus Chriſtus impendit, ut à tantis te malis ſervaret, & tanta tibi bona conferret. Si Servatori noſtro pluris id non ſtetiſſet, quàm ut à Patre ſuo æterno ſalutis noſtræ gratiam peteret, gratias tamen Illi æternas & amorem perpetuum deberemus. Quas ergo gratias, quem amorem Illi debebimus, cùm nos liberavit non verbîs, ac precibûs, ſed cruciatibûs ac opprobriîs tantîs, quæ nemo alius unquam ſubîit? Dum à Luciferi tyrannide liberare nos voluit, ſemetipſum poteſtati tenebrarum & dæmonis Miniſtris ſubjecit; dum voluit nos æternùm vivere, morti ſe Crucis tradidit; dum nos voluit donare juſtitiâ, atque ùt filios, cœleſti Patri ſuo reddere gratos & amabiles, formam ſervi, & habitum peccatoris admiſit, & in hoc habitu omni-

mnibus Divinæ Juſtitiæ fulminibus ſe expoſuit, ſnque Divino ſuo Sanguine omnem æterni ſui Patris erga nos iram extinxit. Tu jam collige hîc omnem debiti tui, apud JEſum contracti, ſummam; cúmque pro minima gratiarum ab Illo acceptarum parte non ſufficiat tota tua libertas, qua juſtitia, qua fidelitate, voles unicam duntaxat illius partem Ipſi reddere, & meliorem tibímet reſervare? Quid aliud demum à te poſtulat Dominus, quàm amorem tuum? & amorem illum, quem adeò prodigè creaturis minimè meritis impertiris, negabis Servatori tuo, qui illum infinitè meretur? Erubeſce, quòd indignîs adeo modîs uſus erga illum fueris, ac demiſſè veniam pete; inquire in potiſſimum obſtaculum, quod te totum eſſe Dei non ſinit; Illi te nunc generoſè offer, Eúmque demiſſè roga, ut gratiam tibi largiatur rumpendi omnia tua vincula, ut Ipſe te integre, utì deſiderat, poſſidere queat.

II. Conſidera, ſecundum Titulum amandi JEſum Chriſtum eſſe, quòd ſit *Dominus tuus.* Id adeò verum eſt, ut omnis mundi hujus dominatus, ſi cum Illius dominio comparetur, nihil in ſe magni habeat. Siſte igitur, & expende excellentiſſimas hujus Domini tui dotes, & ingentia commoda, quæ ex Ejus tibi dominio proveniunt. Dominus hic eſt adeò potens, ut potentiſſimi quique Monarchæ, & omnes illorum exercitus ſine Illo nihil omnino poſſint, ſed omnem ſuam potentiam, omnes

omnes ſuas vires ab Illo habeant, nec eas diutiùs obtineant, quàm eas Ipſe velit concedere: eſt adeò potens, ut omnia elementa, omnes homines, omnes dæmones, omnes Angelos, & omnes omnino creaturas habeat in ſua poteſtate, ac de illis omnibus ac ſingulis agere ac diſponere poſſit pro libitu: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Luc. X. v. 22.* Eſt inſuper Dominus adeò dives, & liberalis, ut ſervis ſuis integros, eóſque regios theſauros non ſolùm promittat, ſed & magno cum gaudio tradat, æternùm poſſidendos; & omnes ſuas divitias, quas immenſas ac infinitas poſſidet, ſervis ſuis omnibus communes ac proprias eſſe velit. Præterea tam amabilis, mitis, & affabilis eſt hic Dominus tuus, ut nihil in Eo durum, nihil aſperum, nihil ſeverum invenias; nam & cum ſervis ſuis, licèt infimis ac viliſſimis, tam amicè, tam jucundè ac ſuaviter agit, velut intimi Ipſius fratres eſſent; ut proin verè de Ipſo dicatur: *Non habet amaritudinem converſatio illius, nec tædium convictus illius, ſed lætitiam, & gaudium. Sap. VIII. v. 16.* An hæc omnia firmiter potes credere, & temetipſum tamen adeò vilipendere, ut neglecto tam potente, tam divite, tam liberali, tam amabili Domino, alium tibi Dominum quæras? Quàm parùm tibi ipſi conſulis, ſi vel dæmoni mentienti, vel carni blandienti, vel mundo decipienti, Religioſis, inquam, imperfectis, per falſa dictamina te ſeducentibus, ſervias! Vah! quàm

quàm ſeveros, quàm duros, quàm avaros & ſordidos illos experieris dominos! nihil unquam veri ac ſinceri boni ab illis obtinebis; mala verò innumera, & utinam non ſempiterna! Erubeſce igitur, quòd adeò imprudenter hactenus, & ſtultè egeris; quòd Domino tam potenti dominos tam viles & infirmos, Domino tam diviti ac liberali dominos tam egenos & ſordidos, Domino tam amabili dominos tam duros ac ſeveros prætuleris. Deteſtare hunc errorem tuum, adeò tibi noxium; profitere ex animo, quòd alium poſthac Dominum nolis agnoſcere, quàm JEſum Chriſtum, Illíque jam nunc debitum homagium præſta, & pleniſſimum cordis tui dominium trade; roga Illum inſuper, ut ſuum in te jus perpetuò retinere, & cor tuum, toties rebelle, ita vindicare ſibi velit, ut alteri poſthac domino ſervire nec poſſit, nec velit.

III. Conſidera, tertium Titulum ſummopere amandi JEſum Chriſtum eſſe, quia eſt *Amicus noſter.* Verùm nos, qui digni non ſumus, ut Illius ſervi nuncupemur, quomodo Amicos vocare nos audebimus? Non utique id auderenos oporteret, niſi Ipſe nos animaret, & appellari vellet amicos ſuos, ac reipſa ſuos etiam nos amicos feciſſet, ſuam nobis infundendo gratiam. Amicitia duo requirit, mutuam nimirum benevolentiam, & bonorum, quæ quisque poſſidet, communicationem. Quis autem comprehendere ſatis queat, qua dexteritate JEſus Chriſtus has

amici partes adimpleat cum anima noſtra? Ad benevolentiam quod attinet, plùs Ille nos amavit, quàm ipſi poſſimus nos ipſos amare; plùs quàm omnes ſimul creaturæ nos amare poſſent, etiamſi omnes vehementiſſimè nobis afficerentur; plùs Ille nos amavit, quàm Sancti ſimul omnes in cœlis Illum ament; Ille nos amavit omnibûs vitæ ſuæ momentîs, dum illa omnia in bonum noſtrum ordinavit; Ille nos amavit in ſuam uſque mortem, vitam adeò pretioſam pro nobis impendendo, cùm tamen unicum illius momentum infinitè majoris pretii fuerit, quàm omnes creaturarum vitæ. Ut porro omnia ſua bona nobis communicaret, noſtra mala in ſe Ipſe recepit, voluítque ſimilis nobis fieri, ut nos elevaret ad ſtatum talis cum Ipſo ſimilitudinis, quæ veræ amicitiæ capax eſſet. O quàm immenſa eſt hæc tua felicitas, ſi eam rite potes comprehendere! Si ille, qui ínvenit amicum, ínvenit theſaurum; quem theſaurum inveniet ille, qui amicum ínvenit ipſum Deum? Si amicum aliquando invenias meliorem, ægre non feram, ſi iſtum deſeras; at ſi JEſus Chriſtus non ſolùm eſt Amicus omnium optimus, ſed etiam eſt Amicus unicus, qui te ſine ſuo commodo immenſùm ac æternùm diligit, ecquam tu rationem invenies, qua tuum in Illo redamando frigus excuſes? Quid dicere debebunt omnes Angeli, ſi, poſtquam tot JEſu Chriſti erga te favores obſervârunt, ut pene ad invidiam moveri potuiſſent,

ſent, ſubinde tamen videant animam tuam adeò ingratam, ut Illum pro nihilo deſerat? Erubeſce, quòd toties hujus furfuris amicus fueris; quòd adeò teipſum amaveris, cùm tamen ſis omnis miſeriæ fons; Illum verò tam parùm amaveris, qui eſt fons bonorum omnium; &, ſi Divinum hunc Amicum redamare tantùm nequeas, quantùm meretur; ſaltem Illum ama, quantùm potes; vel certè deſidera, ita Illum amare; ſummum tuum infortunium exiſtima, ſi in Illius amore deficias; atque hunc favorem unicè ac efflictim pete, ut Illum magis ſemper ames, quàm temetipſum, ac aliud deinceps nihil, quàm Ipſum ames.

LECTIO
Pro die decima.
De Puritate Intentionis in operando.

NAtura, dum hominem intra ſinum maternum efformat, initium à corde ducit; Pictura verò, dum ejus in tela linea figuram exprimit, à vultu incipit; quia nimirum natura intendit vitæ veritatem, Pictura verò exteriori duntaxat illius facie contenta eſt. Ita omnino & vera Virtus præcipuum ſuum ſtudium in interioribus animæ ponit; Virtus verò falſa illud exterioribus ſolùm impendit, & foris tantùm apparentem virtutis

ſimilitudinem oſtentat. Tu itaque, qui à falſa hujusmodi virtute procul diſtare, & veram ac ſolidam obtinere deſideras, præcipuam curam tuam non aliò diriges, quàm ad actiones tuas magno interiori ſpiritu animandas; nam in hoc denique omnis animæ gloria conſiſtit: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus. Pſal. XLIV. v. 14.* Tuas igitur dierum iſtorum ſacras lectiones hac præſenti de Recta Intentione finies, quæ reliquarum veluti ſigillum erit, ac forſan omnium utiliſſima.

Recta igitur Intentio non eſt ſingularis aliqua Virtus, ſed eſt Exercitium Virtutum omnium, præcipuè verò Caritatis erga Deum: nam meminiſſe debes, Caritatem eſſe ignem cœleſtem, qui, quemadmodum otioſus eſſe non poteſt, ita ſe continere non poteſt in affectu ſterili, & quaſi ſpeculativo, ùt appellant, erga Deum; ſed neceſſarium eſt, ut in actionem prodeat, & omnia ſua opera ad bonum Summi Boni dirigat. Hoc jam poſito, Recta Intentio, ſecundùm maximam ſuam puritatem ac perfectionem conſiderata, non aliud eſt, quàm deſiderium animæ agendi aliquid pro Gloria Dei, & placendi ſupremæ Illius Voluntati; hinc ut deſiderium hoc ſit perfectum, debet inchoari ab amore Dei, velut à ſuo Principio, & debet pariter in amore Dei terminari, tamquam in ſuo Fine, atque idcirco vehementer deſiderare, & pro viribus curare Bonum Divinum in ipſiùsmet Dei gratiam, non verò in ullum alium finem. Sed di-

dices: Qualénam eſt hoc Bonum Divinum, quod actionum noſtrarum debet eſſe finis? Jam aliàs noviſti, quòd Deus, cùm ſit immenſus omnium Perfectionum poſſibilium Oceanus, non ſit capax admittendi alicujus interni boni, ſed ſolùm ſit capax boni externi, quod in eo conſiſtit, quòd ſit Dominus à creaturis ſuis clariùs cognitus, ardentiùs amatus, & majori obedientia cultus. Igitur anima, quæ vera Caritate eſt inflammata, cùm per fidem intelligat, quòd Deus ſit infinitè dignus, cui res omnes gaudii materiam ſuppeditent, vehementer deſiderat, tam perfectè operari, ut Deus gaudere de ipſa poſſit, utpote is, qui de omnibus bene factis lætatur, & id omne ſummopere probat, quod Divinæ ſuæ Voluntati conforme eſt.

En itaque Rectam Intentionem, omnino puram, in qua conſiſtit maximum noſtrum bonum; ipſa enim in corde idem eſt, quod in planta eſt radix, quæ illam facit germinare, & quod anima in corpore, quæ illud facit vivere; ipſa eſt oculus ille ſimplex, qui, ut Chriſtus loquitur, nos lucidos facit: *Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit. Matth. VI. v. 26.* Atque ita tales nos ſumus, quales eſt Intentio noſtra; mali, ſi ipſa eſt mala; imperfecti, ſi ipſa eſt imperfecta; perfecti, ſi perfecta eſt ipſa. Hoc Intentionis diſcrimen effecit, ut pauper illa Vidua duobûs pecuniæ minutîs divites Phariſæorum eleemoſynas ſuperaret; *Luc. XXI.*

Hoc effecit, ut Caini Sacrificium Deo diſplicuerit, Abelis verò Sacrificium fuerit Illi gratum; ut ornamenta Jezabelis præcipitationem illi commeruerint, ornamenta verò Judithæ pro inſtrumento illi ad liberandum Iſraëlem ſervîerint; nam denique, ùt S. Auguſtinus ait: *Voluntas eſt, qua rectè vivitur. Libr. Retract.* Si tempore ſerenæ noctis oculos in cœlum defigas, & videas, quot ſtellæ pulchro illi Univerſi Mobili ſint infixæ, advertes, quòd omnes moveantur verſùs eundem terminum; at quàm diverſa ſunt illarum itinera! Sunt earum aliquæ, quæ adeò velociter currunt, ut horæ unius ſpatiô multos milliarium milliones conficiant; ſunt etiam aliæ, quæ in comparatione priorum vix locô ſe moveant. Jam imaginare tibi, cœlum eſſe Cœnobium illud, in quo vivis; & quot in eo degunt Religioſi, tot eſſe ſtellas; ſic enim juvat credere, quòd omnes ſint ſtellæ, & inter illos Cometa ſit nullus, quódque omnes unanimi curſu verſùs eundem terminum moveantur, ad Gloriam videlicet Deo reddendam, & obtinendam propriam ſuam perfectionem; ſed in hac motûs ſimilitudine quantum eſt velocitatis diſcrimen? Erunt inter hos alii, qui diebûs ſingulîs in Virtute magnîs paſſibûs progrediantur, ut dici de illis queat, quòd brevî temporis ſpatiô multa tempora vixerint, juxta illud Sapientis effatum: *Conſummatus in brevi explevit tempora multa. Sap. IV. v. 13.* Et invenietur fortaſſe

taſſe non unus, qui poſt multos annos vix locô ſe moverit; unde, licèt ætate ſit ſenex, profectu tamen ſit juvenis; & morti vicinus in cana hac infantia ſua *Puer centum annorum moriatur. Iſa. LXV. v. 20.* Undénam autem, obſecro, tam notabile diſcrimen proveniet, niſi ex diverſitate Intentionis in operando? nam illorum opera plerumque ſunt eadem; omnes eodem tempore ad Chorum ſe conferunt, omnes ad eandem Orationem, omnes ad eadem exercitia, & conſuetudines; ſed operandi principium, quod eſt cor, non omnibus idem eſt. Hæc veritas, paulò ampliùs forſan, quàm neceſſe foret, explicata, eò ſerviet, ut penitus tibi perſuadeas, quòd maxima induſtria collocari à te debeat in attenta ad tuas in operando intentiones vigilantia, quódque ſtudere te oporteat, ut habeas perfectam in omnibus Intentionem, quæ ſaltem tribûs iſtîs conditionibûs ſit inſtructa; quæ videlicet *pura* ſit, *univerſalis*, &, ùt vulgò dicitur, *actualis*.

Sit *Pura*, id eſt, talis, quæ præter Deum non tendat in aliud ſimul bonum, quod ad Dei bonum non ſit pariter ordinatum, ut proinde poſſis dicere: *Unam petîi à Domino. Pſal. XXVI. v. 4.* cùm omnes reliqui fines ſecundarii, & omnis mediorum electio ſint res ſubordinatæ fini primario, nimirum ut placeas Deo. In antiqua Lege, dum ſacrificabantur columbæ, Sacerdos majori cum diligentia in illis examinare debebat oculos, &

ex illis victima judicari debuit idonea, vel non idonea Sacrificio. Tu cura, ut hujus generis oculos habeas, qui ſint absque nævo; tum verò cum tuo Sacrificio ſummopere Deo gratus eris: *Ecce! tu pulchra es; oculi tui columbarum. Cant. I. v. 14.*

Secunda Intentionis conditio eſt, ut ſit *Univerſalis*, & ad omnes tuas actiones ſe porrigat, quin vel unica ſit excluſa: *Omnia poma, nova & vetera, Dilecte mi, ſervavi tibi. Cant. VII. v. 13.* Tria operum genera producere poſſumus; primi generis ſunt opera mala; & hæc ſunt poma putrida, vel venenoſa, quæ Deo nequeunt offerri; ſecundi generis ſunt opera ex natura ſua bona, ùt Oratio, Sacrorum Myſteriorum frequentatio, & his ſimilia; & hæc vocantur poma nova, quia proveniunt ab auxilio gratiæ cœleſtis, &, ſi fiant ab homine, qui habeat Caritatem, neque per malam aliquam circumſtantiam depraventur, ſeipſis ſunt meritoria; ſi tamen & illa Deo ſingulariter offerantur, majoris meriti vim acquirunt, & in aurum adeò convertunt, quod argentum duntaxat fuerat. Ultimi demum generis ſunt opera indifferentia, quæ ex ſeipſis neque bona, neque mala ſunt, ùt capere ſomnum, & cibum, laborare, relaxare animum; & hæc appellantur poma vetera, quia proveniunt à natura, quæ in nobis gratiam præcedit. Hæc porro majorî ſtudiô debent offerri Deo, eiſque majori cum diligentia reſervari; tum quòd alioquin in ſua

ſua vilitate absque merito remanerent, per Rectam verò Intentionem ſupra naturam evehantur, & vitam nobis æternam promereantur; tum etiam, quòd in iis longè faciliùs quæratur proprius guſtus, cùm pleraque ſint ejus generis, quæ ſenſuum noſtrorum appetitui, & veteris hominis genio ſunt accommoda. Eapropter Apoſtolus, dum hanc Intentionis puritatem Fidelibus commendavit, peculiariter etiam meminit ſumendi cibi & potûs; reliqua verò omnia unicô cōmunî terminô involvit: *Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. I. Cor. X. v. 31.* ut nimirum intelligatur, majus eſſe periculum in veteribus hiſce operum naturalium pomis pro Domino conſervandis.

Ultima Rectæ Intentionis dos eſt, ut ſit *Actualis*. Volo dicere, quòd contentus eſſe non debeas, ſi opera tua ſolùm ex habitu dirigantur ad Deum ob ſtatum gratiæ, in qua te conſtitutum ſpero; nec ſufficere tibi debeat, quòd ad diei principium omnes tuas actiones ad Dei gloriam obtuleris; ſed ſtudere te oporteat, ut quodlibet opus paulò notabilius per novam Intentionem offeras, quemadmodum fit in officinis, in quibus menſura & regula non ſolùm ad principium diei, ſed identidem adhibetur, ut opus accuratum prodeat. Si hæc intentio in qualibet operum tuorum parte actualis non eſt, convenit, ſaltem eſſe virtualem, uti Scholæ loquuntur; id

 eſt,

eſt, Intentio illa, qua ſub initium operis voluiſti placere Deo, ſua ſe virtute extendere debet, ac influere in illa ipſa opera, ita, ut hæc ab eadem Intentione animentur, & ob illam majori cum ſpiritu ac diligentia fiant. Vidit aliquando S. Pater Noſter Ignatius Fratrem Adjutorem, qui in officio ſuo negligentem ſe exhibuit, eúmque interrogavit, in cujus amorem laboret? ille verò quamprimum reſpondit, ſe laborare ex amore Dei; ergo, repoſuit Sanctus, ſeriam mereris objurgationem ac pœnam, ſi officiô tuô tam negligenter ac languidè fungaris, illóque velis ſervire Deo; eam cæteroqui non meriturus, ſi hominibus duntaxat hac ratione ſervire cuperes. Fac igitur, ut vel omnem tuam actionem peculiaris Intentio, denuo confirmata, præcedat, vel Intentio, quæ præceſſit, ita ſit efficax, ut opus, quod peragis, propter illam meliùs fiat, & perfectiùs. Hæc animadverſio tantò magìs eſt neceſſaria, quantò frequentiùs accidit, ut opus noſtrum ſimile ſit Statuæ Nabuchodonoſoris, quæ incipiebat ab aureo capite, & deſinebat in luteos pedes; itur ad menſam, vel laboratur ex cauſa diviniore, & paulatim ſe inſinuat inclinatio naturæ, & guſtus proprius; ac proinde inchoatur in ſpiritu, & finitur in ſenſu: *Cùm ſpiritu cæperitis, nunc carne conſummemini. Gal III. v. 3.* Igitur quemadmodum ille, qui adverſô fluviô navigat, identidem remîs propellere navem debet, cùm alioquin à flumine deorſum raperetur;

tur; ita, qui vult vivere vitam ſpiritûs, neceſſariò debet identidem efficaciter renovare ſanctiorem Intentionem, atque ita ex fide vivere: *Juſtus autem meus ex fide vivit. Hebr. X. v. 38.*

Quoniam verò hæc materia eſt momenti maximi, utì nunc vidimus, opportunum erit, indicia quædam proponere, ex quibus colligere poſſis, an rectam hanc intentionem in actionibus tuis habeas. Hæc autem indicia in diverſis tribus ſtatibus conſiderari poſſunt: *Ante opus inchoatum, in ipſo opere, & poſt opus abſolutum.*

Ante inchoatum opus dignoſcere poteris, cujus generis ſit Intentio tua ex indifferentia, quam habes ad omne id, quod juberis. Si æquè contentus es officiô vilî, ac alio ſublimiori, manifeſtum habebis indicium, quòd cor tuum rebus tibi injunctis non ſit affixum, ſed Dei duntaxat Voluntati, quæ tibi per Obedientiam illas injunxit; nam in Voluntate Divina, tamquam in aliquo Bonitatis Oceano, omnia, quæ in illam intrant, velut totidem flumina, proprium ſuum nomen amittunt: *Vocaberis Voluntas mea in ea. Iſa. LXII. v. 4.* Et hæc ſola ſatiare nos debet.

In ipſo opere Intentionis tuæ dignoſcendæ indicia tibi ſuppeditabit modus, quo illud peragis. Si majori cum diligentia laboras, cùm obſervaris ab aliis; quàm ſoleas, cùm ſine arbitris es; ſi majori cum circumſpectione te geras in oratione, dum oras in loco pu-

publico, quàm in tuo cubiculo; convictus es, quòd oculi creaturarum plus virium habeant ad dirigendas actiones tuas, quàm habeant oculi Divinæ Majeſtatis, etiam ſi millies ſint lucidiores ipſo Sole. Parî modô in operibus, quæ ſunt ad genium tuum, ſi plus in iis admittas, quàm ſit neceſſarium ad ſerviendum Deo; & in operibus, genio tuo adverſantibus, ſi minùs admittas, quàm ad eundem finem conveniat, palam oſtendes, quòd ea non ames, ac eligas velut pura media, ſed in illis nimio cum affectu ſiſtas. Qui medicinam, ùt medicinam tantummodo, non verò ùt cibum, ſumit, majorem illius quantitatem non vult, quàm ferat neceſſitas ad recuperandam ſanitatem; & illam ipſam non ſine repugnantia ſumit: *De neceſſitatibus meis erue me. Pſal. XXIV. v. 17.* Si parùm cures, an opus tuum bene rectéque fiat, in eóque velut in incertum pergas, ac perinde tibi ſit, quomodocunque ſuccedat, liquidò conſtabit, quòd illi Rectam Deum quærendi Intentionem non præfixeris. Ecquod haberi poteſt certius indicium, quòd navis oneraria temonem amiſerit, quàm ſi videatur huc illuc ſine lege protrudi, ùt eam fluctus impellunt?

Poſt opus abſolutum denique intelligere poteris, cujus generis fuerit Intentio tua, quæ ad peragendum illud te permovit, ſi animum deſpondeas, cùm illud pro expectatione tua tibi non ſucceſſit; ſi nimis ſis ſolicitus de hominum approbatione, & illo-

rum

rum vituperia nimiùm timeas; ſi ſpiritum & cor tuum valde diſſipari ſentias; in omnibus enim his, ac aliis ſimilibus caſibus Intentio tua nimis quàm imperfecta fuiſſe deprehenditur; tuæque vires valde ſe debiles eſſe produnt. *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me;* dicebat olim S. Jobus *cap. XVI. v. 9.* nam ſicut rugæ in vultu produnt ſenectutem corporis, ita ſimiles quoque affectus operantis infirmitatem oſtendunt; ídque tantò apertiùs, ſi hos ac ſimiles affectus aliquantò plus de tua voluntate habere ſentias; alioquin enim jam noviſti, ſenſum ſine conſenſu non obeſſe: *Non nocet ſenſus, ubi non eſt conſenſus.*

Quibûs mediîs hæc Intentionis puritas acquiri poſſit.

DUo poſſunt aſſignari mediorum genera ad obtinendam perfectionem iſtam, quæ tanti eſt momenti pro conſequendis per opera noſtra immenſis meritorum theſauris; genus alterum impedimenta removet, alterum diſpoſitiones inducit.

Sed animadvertere priùs oportet errorem ſatis frequentem inter homines Religioſos, qui perſuaſum habent, facillimum eſſe, Rectam ſuis operibus Intentionem præfigere, & rem omnem mox eſſe ſalvam, dummodo quis dicat: Domine! hoc opus ad gloriam tuam facio. Si hac ratione res procederet, non

non dixiſſet Job, ſe de omnibus ſuis operibus ſibi timere: *Verebar omnia opera mea. Job. IX. v. 28.* ſic enim parùm haberes, quod metueres. Itaque, ut hac in re non erres, ſcito, quòd, cùm voluntati noſtræ objectum aliquod bonum proponitur, illáque id vult, & approbat, elicere illa ſoleat primum actum, qui in ſcholis dicitur volitio. Si autem voluntas objectum illud bonum non ſolùm amat, ſed illud etiam poſſidere ſeriò deſiderat, ſecundum actum elicit, qui dicitur Intentio; ex quo intelligere potes, quòd alicujus rei Intentio, v. gr. Gloriæ Dei, requirat præcedentem illius rei, nempe Gloriæ Divinæ, amorem; atque adeò ſeipſum deciperet, qui diceret: volo iſtud opus peragere ad gloriam Dei, ſi interim in corde ſuo non haberet tantum Divinæ Gloriæ amorem, qui ipſum fortiùs ad illud opus movere poſſit, quàm alius aliquis affectus illum tunc moveat ad bonum aliquod creatum. Adverte igitur, quid facere te oporteat, ut certum te reddas, quòd omnia facias propter Deum; oportet nimirum debilitare vires amoris proprii, & domare ſuos affectus; vires verò Caritatis augere, & majorem affectum erga bonum Divinum induere.

Itaque imaginare tibi, quòd in corde hominis cum aliqua proportione eadem committantur ſcelera, quæ committi vidit Ezechiel in Templo Jeroſolymitano, ubi aliqui adorabant Solem, alii Venerem, alii be-

ſtias

ſtias terræ. In corde Peccatorum deteſtabilis hæc Idololatria reperitur in ſummo gradu; nam aliqui propter ſuperbiam & mundanos honores, qui per Solem intelliguntur, alii propter fœdas carnis voluptates, qui per Venerem ſignificantur, alii propter bona terrena & divitias, qui per beſtias campi denotantur, tergum obvertunt Deo, & divina illius præcepta infringunt. At in corde hominum Religioſorum abominatio tanta locum non invenit; ſed nihilominus reperitur ibi quædam ad iſta bonorum genera inclinatio, ad honores videlicet, ad voluptates, & commoda propria; & niſi per generoſam ſui victoriam hi motus & affectus ad hujus generis bona non reprimantur, ſperari non debet Rectá & undequaque perfecta Intentio, quæ in Sacris Canticis comparatur virgulæ fumi odoriferi: *Sicut virgula fumi ex aromatibus Myrrhæ & Thuris. Cant. 3. v. 6.* nam ut rectà in cœlum aſcendat, oportet, ut paſſionum flatu non turbetur ex latere. Studioſè itaque cura, exiſtimationem hominum in animo tuo contemnere, ùt vanam, quia nullum tibi poteſt afferre commodum; ùt iniquam, quia tu illam non mereris; & ùt noxiam, quia te facit furem honoris Divini, tibique merita bonorum operum tollit. Studioſè pariter cura, creaturarum erga te amorem contemnere, ita, ut tuâ nihil interſit, ab illis amari, neque te angat, quòd illarum gra-

gratiam non obtineas; ſed potiùs deſidera, ut & tuus, & illarum omnis affectus in Dei amorem unicè impendatur. Denique cura ſummopere, ut ſubigas illum erga proprias commoditates amorem, quo ſolent aliqui ad ſeipſos omnia referre, ſua in omnibus commoda quærere, ſéque ipſos, veluti centrum omnium ſuorum operum, conſtituere, utì notat Apoſtolus: *omnes, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ ſunt JEſu Chriſti. Phil. II. v. 21.* Itaque ſi in morem militis, in excubiis conſtituti, ad omnes hujusmodi paſſionum tuarum motus invigiles, & eas quamprimum interimas, illam Intentionis puritatem obtinebis, quæ ad perfectè operandum requiritur, & impedimenta omnia removebis.

Sequitur jam, ut neceſſariæ quoque ad hunc effectum diſpoſitiones inducantur; quæ in eo præcipuè conſiſtunt, ut magni admodum æſtimemus, ſi Deo gratum obſequium præſtare, ejúsque Divinæ voluntati perfectè poſſimus ſatisfacere. Servire Divinæ Voluntati non ſolùm ſervile quid non eſt, ſed maximum cœli terræque bonum. Eſt bonum, quod ad Deum pertinet, & quomodo igitur poſſit non aliquid habere de infinito? DEus in ſuis operibus ultimùm pro ſuo fine non habet aliud, quàm ut ſibi faciat ſatis, ſuámque promoveat Gloriam; quomodo igitur homines altiùs poterunt aſcendere, Deóque fieri magis ſimiles, quàm ſi eundem hunc

hunc ſuis operibus finem præfigant? Idque tantò magis, quia Divinæ voluntatis beneplacitum hoc, hæc major Dei Gloria eſt unicum bonum, quod reddere nos poſſumus Deo, cui ſumus infinitùm obligati, utpote Creatori, Conſervatori, Redemptori, Autori noſtræ Gloriæ, ac Enti ſupremo; adeò, ut hoc potiſſimùm ex capite nos felices ac fortunatos exiſtimare debeamus, quòd redditi ſimus digni, qui Deo tale bonum libere & plena cum voluntate procurare poſſimus, cùm illud alioquin à nobis violentè poſſet exigere. In praxi proinde oportet, ut aſſueſcat Religioſus, nullam cujusvis alterius habere rationem, quàm Divinæ voluntatis, quæ ſola magnum quid, ac infinitum eſt, & immenſum rebus omnibus, ad quas dirigitur, pretium tribuit. Hinc bene dicebat Vir ille ſanctus, Joannes de Avila, quòd pluris faceret, unicam è terra paleam tollere, ut Dei Voluntas impleatur, quàm centenos adeò mundos convertere, ut voluntati propriæ ſatisfiat; quia nimirum in tollenda illa palea reperiretur bonum incomprehenſibile, quale eſt bonum Divinum; in convertendis verò tot mundis inveniretur ſolummodo bonum exiguum & anguſtum, quale eſt bonum omnium creaturarum.

Quo actuum genere exerceri poſſit Recta hæc Intentio?

OMne hoc exercitium à quibusdam Spiritûs Magiſtris quatuor actibûs comprehenditur, qui memoriæ juvandæ cauſâ quatuor hîſce vocibûs exprimuntur: *Dirigere*, *Multiplicare*, *Unire*, *Commendare*.

Ante omnia curandum eſt, ut operibus bonis detur anima & vita; quod fiet, ſi illa *Dirigantur* ad finem aliquem, naturâ ſuperiorem, maximè verò Divinæ Caritatis. Quidam è Sanctis illis Eremi Patribus, antequam operis aliquid inchoaret, ſtabat aliquamdiu firmus, & conſiderationi immerſus; interrogatus verò, quid tum ageret, reſpondit, ſe metam obſervare inſtar ſagittarii, antequam ſagittam jaciat, cùm alioquin ſagittæ jactus incaſſum fieret; quo ſuo dicto volebat indicare, ſe opera ſua dirigere ad nobilem hanc Divini Beneplaciti metam. Ita agere debes & tu ad initium actionum tuarum, quæ aliquantò magis ſunt notabiles; adverte aliquantiſper oculos ad magnum illud Bonum, quod eſt placere Divinæ Majeſtati, ad infinitum illud meritum, quod habet ſuprema illius Voluntas, ut attendatur, ſibique in omnibus ſatisfiat, atque ita in corde tuo magnum excita deſiderium, eam perfectè adimplendi. Bene inſuper adverte, quòd dæmon nulli alteri rei magis inſidietur, quàm huic bonorum operum principio: *Facti*

& ſi ſunt hoſtes ejus in capite; dicit Propheta Jeremias *Thren. I. v. 5.* quia ſerpentis inſtar, ubicunque penetrare poteſt capite, illuc toto reliquo corpore ſe penetraturum credit. Hinc tibi vix aliquid imperabit obedientia, quin illico tibi ſuggerat inimicus, an in eo exequendo detrimentum aliquod honoris tui, tuique commodi non facias; & hac arte ſæpenumero florem & primitias carpit actionum tuarum, etiam bonarum. Tu igitur attentè cura, ut voluntas tua directè feratur ad voluntatem Dei, & alium non habeat ſcopum, quàm ut Illi placeas: *Confitebor tibi in directione cordis. Pſal. CXVIII. v. 7.* Apes alveare non mutant, niſi præcedente ſuo Rege; ita & tu fac, ut in omni tuo negotio, in omni opere tuo præcedat Dei Bonum & Gloria, eámque primô ſemper locô ſtatue: *Omne, quodcunque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. Coloſſ. III. v. 17.*

Porro quemadmodum lux una luci alteri non eſt contraria, ſic una virtus virtuti alteri eſſe contraria non poteſt; eodem tempore, quo cupis placere Deo, aliarum quoque virtutum cauſas & fines ſpectare poteris; atque ita multas in opere unico virtutes exercebis, & plures ſine labore theſauros comparabis, uti verbîs illîs te adhortatur ipſe Dominus: *Theſaurizate vobis theſauros in cælo. Matth. VI. v. 20.* Exempli cauſâ, cùm Officium Divinum recitas, præter In-

tentionem hac in re placendi Deo, qui eſt actus caritatis, potes id etiam perſolvere ad laudandum ac honorandum Deum, qui eſt actus Religionis; potes idipſum facere, ut Divinæ Juſtitiæ ſatisfacias pro tuis peccatis, qui eſt actus Pœnitentiæ; potes per illud ipſum quærere majorem in cœlis gloriam, qui eſt actus Spei; potes per hoc ipſum velle Proximum exemplô tuô permovere ad bonum opus, qui eſt actus Caritatis erga Proximum; potes intendere, ut præceptum adimpleas S. Matris Eccleſiæ, qui eſt actus Obedientiæ; atque ita de aliis loquere, indéque collige, quàm amœnus coram Deo futurus ſit iſte tot vocum concentus. Refert Plinius, ſe vidiſſe arborem, quæ eodem tempore diverſiſſimis fuerit onuſta fructibûs ob multos ac varios ſurculos, ejusdem ramis inſitos; verùm addit, brevem hujus arboris fuiſſe vitam, cùm prolem adeò diverſam ac numeroſam alere diu non potuerit. Arbor longè felicior erit anima tua, ſi hunc in modum operari aſſueſcas, quia ſemper evadet robuſtior, ut eò plura Paradiſi poma & parturire, & nutrire queat; & boni Virtutum habitus majorem in corde tuo perfectionem identidem obtinebunt.

Deinde oportet opera noſtra *Multiplicare*, quod fit per deſideria. Daniel ab Angelo tertiùm eſt compellatus pulchro illo titulo: *Vir deſideriorum. Dan. c. IX. v. 23. c. X. v. 11. & v. 19.* éſtque nomen iſtud inter

inter omnia, quæ Religioſus mereri poteſt, pulcherrimum, ſi eò perveniat, ut quodammodo conſumi ſe advertat deſideriîs agendi plura pro Gloria & Beneplacito Dei. Narrat in Dialogis ſuis S. Catharina Senenſis, quòd illi Deus aliquando dixerit: Ego ſum Deus, qui mereor honorem înfinitum; & tu exiguum adeò reddere mihi potes; oportet igitur, ut deſideriîs teipſam adjuves, & illîs eò pertingas, quò pertingere per opera tua non potes. In obſervanda hac admonitione ſolebat S. Maria Magdalena de Pazzis, dum ad *Gloria Patri* caput inclinabat, tam ardenter deſiderare, caput ſuum carnifici ob Chriſti fidem amputandum præbere, ut interdum impalleſceret in vultu, acſi reipſa vitam ſub ictu gladii perdidiſſet. Conſidera igitur, quantum illi meritum deſideria hæc tam ardentia afferre debuerint, & quantum allatura ſint etiam tibi, ſi illa excites in animo tuo; eorum certè adminiculô robuſtus admodum evades: *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia. Prov. XXI. v. 5.* Verum eſt, quòd non ſit adeò facile, ut ſibi quis nunquam ſatisfaciat in eo, quod agit pro Deo, & ſemper deſideret agere plura; atque adeò hæc cogitationum abundantia non ſolùm eſt occaſio acquirendi roboris, ſed etiam eſt indicium illius jam acquiſiti. Animalia, quæ majori ſanguinis abundant copia, plus patiuntur à feris; quæ verò ſanguine omnino carent, earum gu-

Jam non irritant. Caritas igitur, magis identidem accenſa, te mutabit in merum Deſideriorum Compoſitum, ut Deo placeas: *Vir deſideriorum es.*

Poſtquam opera bona in lucem produxiſti, ad Deum illa dirigendo; & poſtquam illa multiplicâſti per deſideria, tertiô jam locô impendere curam oportet, ut ea perficias, illáque *Unias* cum operibus ac Meritis JEſu Chriſti. Hac ratione, quemadmodum aquæ communes, ſi tranſeant per auri mineras, magnum ſibi pretium comparant, & miram ſalubritatem; ita opera noſtra, ſi tranſeant per mineras Vulnerum Noſtri Servatoris, magnum acquirunt meritorum augmentum. Verum eſt, quòd opera noſtra bona virtualiter, utì loquuntur Scholæ, JEſu Chriſti meritis ſemper ſint unita; ut enim bona ſint, oportet, ut proveniant à gratia, quam Servator noſter illis promeruit; at ſi præter hoc vinculum peculiarî inſuper modô Illi innectantur, & per novum actum Illius meritis uniantur, ſine comparatione pulchriora, & pretioſa magis evadent, utì Purpura, cocco bene intincta. Ejus rei ratio hæc eſt, quia homo per unionem hanc peculiarem unà ſimul exercet vivam Fidem de nobilitate Meritorum Chriſti; Spem vivam percipiendæ Meritorum illorum partis, & vivam inſuper Caritatem, dum Chriſtum amat, veluti ſuum Caput. De ſeipſa narrat S. Gertrudis *Lib. III. c. 31.* quòd

quòd, cùm die quadam cujusdam ſui laboris opus obtuliſſet æterno Patri, unitum Crutiatibus omnibus, quos pro ſe Divinus Ipſius Filius pertuliſſet, magno cum lumine intellexerit, id, quod cum hujusmodi intentione offertur Deo, ſupra omnem imaginationem noſtram nobilitari, & quodammodo Divinum fieri, ea fere ratione, qua id, quod per vitrum coloratum tralucet, illum ipſum colorem induit, quo imbutum eſt Vitrum. Hac igitur intentione ſi utaris, coram Deo te ſiſtes, veſtibûs indutus JESU Chriſti, ut benedictionem obtineas; quemadmodum olim Jacob ad obtinendam Patris ſui benedictionem, fratris ſui majoris veſtibûs indutus, coram illo ſe ſtitit. *Induimini Dominum JEſum Chriſtum. Rom. XIII. v. 14.*

Supereſt denique, ut, poſtquam opera noſtra ad Deum direximus, multiplicavimus, & Chriſti operibus univimus, illa inſuper Deo *commendemus*, ut ad Ipſius Gloriam bene ac feliciter cedant. Ultima hæc animadverſio tanti eſt momenti, ut, Caſſiano teſte, antiqui illi Monachi verbum aliud in ore frequentiùs non verſaverint, quàm illud: *Deus in adjutorium meum intende.* Cum hoc verbo diem inchoabant, cum hoc eodem verbo cubitum concedebant, & hoc ipſum repetebant, cùm è quiete ſurgebant. Si ex una parte intelligeres, quanta ſit neceſſitas conſtantis iſtius auxi-

lii divini, ut bene agamus; ex altera verò parte noviſſes, orationem eſſe auream theſaurorum Divinorum clavem, non utique tibi difficile accideret, Sanctos illos imitari, & juxta illorum exemplum conſtanter ac ſine intermiſſione Dei auxilium implorare. Præterea conſtanti hoc tam perfectè agendi exercitio implebitur in anima tua præclarum illud Domini promiſſum: *Dies pleni invenientur in eis. Pſal. LXXII. v. 10.* túque ſine ulla negotiorum mutatione, ſine ullis aliis novis operibus, & ſine ullo alio majori labore per ſolam intentionum tuarum perfectionem, in virum perfectum poteris evadere, & ſtatum illum obtinere, quem S. Franciſcus altiſſimum omnium eſſe judicabat, cùm quis videlicet eò pertingit, ut ſit unus Unius, id eſt, ut homo totus ſit Dei, & Deus ſit totus hominis: nam reipſa Deum poſſidere, & à Deo poſſideri, unum & idem eſt: *Dilectus meus mihi, & ego illi. Cant. II. v. 16.*

MEDITATIO SECUNDA.

Pro decima Exercitiorum die.

De Intentionibus Chriſti in inſtituenda SS. Eucharistia.

I.

COnſidera, ut in Amore JEſu Chriſti magis inflammeris, tres Illius amabiliſſimas intentiones, quas habuit in inſtituenda

da Divina Evchariſtia; fuerunt autem iſtæ; ut viveret inter nos, ut viveret propter nos, & viveret intra nos. Prima igitur Illius intentio fuit, *ut viveret inter nos*. Qui ardenter amat Perſonam aliquam, magno cum dolore longiùs ab illa ſeparatur; atque ita Servator noſter, cùm triginta tribûs annîs in terra fuiſſet, nimis Illi breve viſum eſt hoc tempus ad exſatiandum cor ſuum; unde, cùm abeundum illi fuit, & in cœlos aſcendendum, invenit modum hunc admirandum, quo ſimul remanere poſſet in terra; parùm curans, quòd hac ratione omnes naturæ leges inauditîs prodigiîs everteret, dummodo ſatisfacere poſſet ardenti ſuo inter nos commorandi deſiderio. Expende tantiſper, quantus fuerit ſummus hic amor, dum, licèt ex una parte humanæ Redemptionis opus jam perfeciſſet, ex altera verò parte Divinis Ipſius oculis paterent omnes irreverentiæ, omnes contumeliæ, omnia ſacrilegia tam Infidelium, & Hæreticorum, quàm Chriſtianorum perverſorum adverſùs auguſtiſſimum hoc Sacramentum, voluit nihilominus obſtacula omnia ſuperare, & indignam adeò Corporis ſui tractationem permittere, modò id obtineret, ut ſuum in noſtris Altaribus thronum perpetuò firmaret. Verùm quid hoc tandem eſt? An fortè Servatori Noſtro aliqua felicitatis pars in cœlo deeſt, ut proin illam inter nos hîc in terris ſibi quærere, & comparare velit, perferendo

do tantas injurias, quæ Illi ab hominibus ob adeò demiſſum hunc agendi modum inferuntur? Profectò ſi amor noſter foret Illi neceſſarius ad plenam perfectámque beatitudinem, non poſſet ſanè majus illius obtinendi deſiderium præſeferre. Et nihilominus tot ſuîs artibûs amorem hunc ab ingratis Mortalibus non obtinet. Sed & tu, poſtquam amore tui JEſus Chriſtus eò ſe demiſit, illum tamen redamare non vis? rarò ad illum inviſis, & ſi vel modico tempore cum illo converſeris, mox tædium tibi ſubit, totáque die temporis particulam non invenis, ut hoc Illi, tamquam Supremo Domino tuo, homagium deferas? Si ita res habet, Divini favores, illáque Amoris abundantia, animæ tuæ à Chriſto Domino impenſa, ad aliud tibi jam non ſervient, quàm ut ad ſupremum ultimúmque gradum provehant ingratum tuum animum, quo tanta beneficia tam parùm æſtimas propterea tantùm, quia ſunt ingentia. Erubeſce igitur coram Deo tuo; ingrati animi tui veniam pete, & roga, ut tepiditatis tuæ oblitus, gratiam tibi largiatur, ut, cùm ſuas Ipſe delicias in converſatione noſtra inveniat, tibi quoque gratiſſimum illud tempus accidat, quo in Ejus conſpectu converſari cum Illo poteris.

II. Conſidera ſecundam in inſtituenda Eucharistia JEſu Chriſti intentionem, nimirum *ut viveret pro nobis*. Propterea namque

que perſeverat Ipſe in noſtris Altaribus, Patrem ſuum cœleſtem conſtanter amando, ut noſtros defectus ſuppleat; ſeſéque noſtro nomine, tamquam naturæ humanæ caput, aſſiduè Patri offert, & ſimul nobis omnia ſua bona præſentat, noſtræ paupertati, noſtríſque miſeriis indolet, & nil aliud magis deſiderat, quàm ut Seipſum nobis totum donare poſſit. Propterea pariter Se in Victimæ vicem ſtatuit, ut Ipſius Eccleſia per ſanctum Miſſæ Sacrificium millies quotidie poſſet obſequium Deo reddere, Divina Ipſius Majeſtate dignum; ut poſſet Illi reddere gratias, quas divina Illius beneficia merentur; ut poſſet perfectè ſatisfacere Divinæ Juſtitiæ pro omnibus peccatis noſtrís; ut denique poſſet ab Ipſius liberalitate obtinere gratias omnes per quoddam Omnipotentiæ genus, à Servatoris meritis derivatum. Quis autem tanta unquam petere fuiſſet auſus, quanta Ille ſua nobis ſponte donavit? An eſt poſſibile, ut Ipſe receperit vulnera, & nobis contulerit ſanitatem? ut Ipſe ſuſtinuerit cruciatus, & nobis reliquerit fructum, inde prodeuntem? An eſt poſſibile, ut JEſus Chriſtus una morte, in Calvario monte pro nobis obita, contentus non fuerit, ſed redeat quotidie, ad renovandum in univerſa terra magnum hoc Sacrificium, & innumeras mortes myſticè rurſum obeat, hácque ratione teſtetur, ſe promptum ac paratum eſſe ad mortem reipſa toties obeundam, ſi ad ſalutem noſtram illa foret neceſ-

ceſſaria? Poſt omnes iſtas amoris demonſtrationes tu Dominum tamen ùt peregrinum intueris? per injurias Illi irrogatas cor tibi commoveri non ſentis? dúmque mortis ac Paſſionis Ipſius memoria proponitur, aſſiſtis inſtar lapidis? An ergo Deus tuus ideo magis contemni à te meretur, quia nimium tibi boni præſtitit? Si Chriſtus in cœleſti ſua gloria aliquam duntaxat tui memoriam habuiſſet, id unum ſufficere tibi debebat, ut hanc tui memoriam integra obſequiorum æternitate penſares; & tamen, cùm Ille diebûs ſingulîs ſe toties in Sacerdotum manus ingerat, vitam ſuam ſacrificaturus, ut omne tibi bonum obtineat, tu Illius es immemor? tu in tuo te gelu contines? Erubeſce tuam in tanta Divini amoris abundantia ſtupiditatem; veniam illius demiſſè pete, ac propone, divinis hiſce Myſteriis deinceps novo cum fervore aſſiſtere, & Divini honoris victima per corporis tui caſtigationem quotidie fieri; roga Illum inſuper, ut, quoniam ſummum Ipſius eſt ſolatium, invenire in ſuis creaturis gratum animum, & mutuum amorem, hunc ipſum tibi amorem, gratúmque animum donare velit, quò ſolatium hoc Illi afferre queas.

III. Conſidera tertiam JEſu Chriſti Intentionem in inſtituendo Diviniſſimo Sacramento, quæ fuit, *ut viveret intra nos.* Ergo incomprehenſibili Ipſius Caritati ſatis non erat, velle vivere inter nos, & velle vivere propter nos; ſed voluit inſuper tam arctè nobis-

cum

cum conjungi, ut etiam in nos penetraret, & converſus in cibum unà ſimul & animam noſtram reficeret, & carnem noſtram nobilitaret, Divinóque ſuo Corpore vulnera illius omnia ſanaret? O prodigioſam Dei noſtri Demiſſionem, ut bene nobis faciat! An ulteriùs progredi poterat, ſi nos ipſi noſtrîs Illum laboribûs redemiſſemus, aut Illius capiti coronam impoſuiſſemus, quàm ut ſuámmet nobis Carnem in ſolatium non ſolùm animæ, ſed & corporis ipſius manducandam daret? Anima tandem non eſt, niſi purus ſpiritus, eſt Angelorum ſocia, eſt Divinitatis imago; unde non videretur excellens adeò JEſu Chriſti amor, ſi animæ ſolùm conjungeretur; ſed quanti non amoris indicium eſt, quòd Diviniſſimum ſuum Corpus cum noſtro tam fœtido, tam miſerabili, & Divinæ Ipſius Voluntati toties rebelli corpore conjungat? Si nos ex Illius amore omni pœnitentiarum genere excruciâſſemus membra noſtra, ſi eadem ex Illius amore in crucem ſuffigenda præbuiſſemus, non id adeò quid inſolens eſſet, ſi illa dein hoc tam ſublimi privilegio gauderent, & cum ipſo Domino, in Sacramenti ſpeciebus abſcondito, conjungerentur. At conjungitur Illi caro noſtra, poſtquam Ipſi tam antè, quàm pôſt graviſſimas intulit injurias. Quàm igitur acerbè ſentiet Servator noſter, ſi poſt tot amoris demonſtrationes, poſt tot inventiones, poſt adhibitas tot artes, poſt immenſam adeò bonitatem, nihilominus te videat

in

in Se redamando tam frigidum! Si nihilominus tibi licitum eſſe velis, tuum amorem affigere rebus creatis! Si, poſtquam toties ſacroſanctæ Illius Humanitati intimè fuiſti conjunctus, & Divinitatis Ipſius factus es particeps, nihilominus è tam ſublimi gradu te demittas ad amplexandum lutum! Quandónam igitur tempus illud aderit, quo vitam denique tam ſancta conjunctione dignam incipias? Si nondum illuxit, propriâ tuâ culpâ id accidit. Erubeſce igitur, & in miſeriæ tuæ profundum uſque te demitte; propone, alio deinceps modo reſpondere Deo tuo, Eúmque roga, ut cor tuum adeò purum dignetur reddere, ut mereatur cum Illo tam perfectè conjungi, quemadmodum Ipſe deſiderat; útque corpus tuum Divinorum Ipſius Membrorum contactu perpetuò ſacratum maneat.

EXAMEN
Pro die decima.
De Deſiderio Perfectionis, & de Signis Profectûs in Spiritu.

I.

EXamina conditiones Deſiderii, quod habes, acquirendæ Perfectionis; cùm enim te per Religioſam Profeſſionem Deo donaveris, teneris ad eam quoque procurandam per illa media, quæ tuus tibi ſtatus ſuppeditat

tat tum in Sacris Votis, tum in Regulis, tum in propriis Religionis tuæ Statutis. Igitur 1. Attende, an hoc deſiderium ſit *efficax*; nam virtutis, ita duntaxat in communi, vel, uti loquimur, in abſtracto conſideratæ, amorem concipere, cùm illa ſit adeò pulchra, difficile non eſt; ſed oportet, ipſo opere illam amare, rite nimirum illius exercendæ occaſionibûs utendo, & obſtacula, quæ hujusmodi exercitio ſe opponunt, removendo. 2. Attende, an hoc tuum virtutis deſiderium ſit *ſummum* appretiativè, ùt ſcholæ loquuntur; id eſt, tale, ut aliud nihil æſtimet, niſi quod ad acquirendam te virtutem juvat? *Omnia detrimentum feci, & arbitror, ùt ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam. Phil. III. v. 8.* Hæc æſtimatio virtutis eſt momenti maximi, quia in negotiis omnibus electio & applicatio mediorum provenit ab amore finis; ac proinde, qui minimum virtutis actum majoris æſtimat, quàm omnem naturæ habilitatem, certò certiùs ad conſequendam perfectionem magno ſe ſtudio impendet. 3. Attende, an hoc deſiderium ſit *generoſum*, ita, ut ab eo, quod arduum eſt in virtute, terreri ſe non ſinat, ſed cum ipſis potiùs difficultatibus augeatur, quemadmodum ventorum flatibûs augetur flamma? Profectò, quamdiu difficultates ipſas non amas, tam felix non eris, ut notabilem aliquem perfectionis gradum obtineas. Piſcator ille, qui aquam frigidam horret, pretioſam margaritam piſca-

tus

tus eſt numquam. 4. Attende, an hæc deſideria interdum *renoves*, dum aliqua ſe offert occaſio ad ſolemniora feſta te præparandi; nam ſine novo impulſu motus ille, qui naturæ violenter imprimitur, diu non durat, ſed magis identidem langueſcit.

II. Expende ſigna profectûs in via Domini; quamvis enim pluris interſit, in bono ulteriùs ſemper progredi, quàm ad progreſſum hunc attendere; nihilominus, ſi progredi te advertas, novos idipſum animos ſuppeditare tibi poteſt; ſi verò regredi te deprehendas, idipſum tibi pro ſtimulo ſervire adverſùs pigritiam poteſt. Facilè autem & lucrum, & damnum poteris invenire, ſi in quinque iſta capita inquiſiveris; videlicet in Defectus, in Tentationes, in Paſſiones animi, in Virtutes, in Intentiones; circa quæ præter illa, quæ alibi dicta jam ſunt, id inſuper conſiderare poteris, quod hîc adjungo.

Circa Defectus ſignum profectûs erit 1. Si defectuum noſtrorum principium, quod eſt voluntas, ſit imminutum, ita, ut ex fragilitate potiùs, quàm plena cum voluntate, ac deliberatione peccemus. 2. Si imminutus ſit eorundem defectuum numerus, ita, ut rarò jam peccemus. 3. Si materia, in qua defectus hujusmodi verſantur, ſit levior. 4. Si poſt admiſſum defectum non jam per occultam àliquam ſuperbiam nos ipſos admiremur, ſed animum demittamus ad meliùs cognoſcendam miſeriam noſtram, & majori cum fervore ad Deum recurramus. *Cir-*

Digitized by Google

Circa Tentationes indicium profectûs erit 1. Si illæ potiùs oriantur ab occaſione extrinſecus proveniente, ac dæmonis ſuggeſtione, quàm à noſtrámet concupiſcentia; hoc enim indicabit, corpus noſtrum caſtigationibûs paulatim ſubigi, & ſpiritui magis ſe ſubjicere. 2. Si promptiùs illis reſiſtamus, nec illarum faciem attentiùs contemplemur; nam alioquin, ſi incipiamus inimico colloqui, incipimus illi nos dedere. 3. Si illis reſiſtamus majori cum fervore, neque contenti ſimus, quòd ab iis non ſuperemur, ſed contrarios inſuper generoſos actus exerceamus, ut tentatoris arma vertamus in ipſúmmet hoſtem. 4. Si remedia majori cum dexteritate adhibeamus, objecta jucundiora fugiamus, & moleſtioribus eamus obviàm.

Circa Paſſiones animi. 1. Si moderatus ſit impetus, quo aggredi nos ſolent. 2. Si rariùs nos impugnent. 3. Si minùs nos perturbent, dum nos invadunt. 4. Si parùm apud nos lucrentur, etiam eo tempore, quo ſpiritûs afflictiones patimur. In omnibus hiſce occaſionibus manifeſtè patet, veterem hominem debilitari; hominem verò novum augeri viribûs.

Circa Virtutes. 1. Si minorem ſentiamus difficultatem in iis operibus, quæ naturæ noſtræ inclinationi conſona non ſunt. 2. Si magis attenti ſimus in arripiendis occaſionibus, quæ pro exercendis Virtutum actibus occurrunt. 3. Si propriis noſtris viribus ma-

Digitized by Google

gis diffidamus, & majorem in auxilio divino ponamus fiduciam. 4. Si majori cum ſtudio invigilemus exercendæ Caritati erga Deum, & Proximum.

Circa Intentiones. 1., Si valde rarò quid agamus, ut amori noſtro proprio indulgeamus. 2. Si ex virtute non faciamus quandam veluti negotiationem; id eſt, ſi per illam non quæramus, vel nos ipſos oblectare, vel hominibus placere, ſed unicè placere Deo. 3. Si bonam Intentionem frequentiùs innovemus. 4. Si eandem, etiam ariditatis tempore, majori conſtantia renovemus; poterimus inde colligere, aliquem nos in virtute profectum feciſſe.

MEDITATIO TERTIA.

Pro decima Exercitiorum die.

De Beneficiis à Deo acceptis, ad excitandum Illius Amorem.

I.

COnſidera Divinæ in te Beneficentiæ Latitudinem, Altitudinem, & Longitudinem, ut cor tuum ad redamandum DEum permoveas. *Latitudo* complectitur ſuo ſinu innumera beneficia. Si illa omnia velles enumerare, enumerare te oporteret omnes & ſingulas totius Univerſi creaturas, utpote quæ omnes in tui gratiam ſunt conditæ, vel, ut

ut tibi ſerviant, vel, ut in Dei tui cognitionem te adducant; enumerare te pariter oporteret omnia vitæ tuæ momenta, eáque toties multiplicare, quot gratiæ tam naturales, quàm ſupernaturales momentîs tibi ſingulîs obveniunt. Nec ſolùm iſtud; ſed oporteret te præterea id enumerare, quod numerum non habet; omnia videlicet momenta ſecuturæ æternitatis, quibûs, niſi te vel liberâſſet, vel præſervâſſet Deus, æternùm puniendus eras in inferno, ſeparatus in perpetuum à Summo Bono, & in malorum omnium abyſſo æternùm ſepultus. Hic eſt exercitus ille, quem Deus in campum eduxit ad expugnandam duritiem tuam, dum ex omni parte ſuîs te miſerationibûs cinxit, ut tandem aliquando te dedas: *Coronat te in miſericordia & miſerationibus. Pſal. CII. v. 4.* Sed quid erit poſtmodum, ſi neque exercitus adeò copioſus vincere ac ſubigere te queat? Ecquod prodigium majorem tunc admirationem merebitur; an, quòd Magnus adeò Dominus tantas vires bene impenſas judicaverit ad expugnandam libertatem creaturæ tam miſeræ; an verò, quòd creatura tam miſera libertate ſua ita præcelluerit, ut tantis Dei viribus potuerit reſiſtere? Utinam hæc creatura tam miſera ſaltem erga omnes alios æquè dura, & pertinax foret! Sed nequaquam; ſiquis alius amicam illi frontem exhibeat, ſi bonô illam verbulô dignetur, id unum ſatis eſt ad eam devincien-

 dam;

dam; à ſuo tamen Deo innumera beneficiorum multitudine nec devinciri, nec vinci ſe ſinit. Quomodo exprobrationem iſtam ſuſtinere poteris, cùm ad Tribunal Divinum accedes, ut ibi non modò de admiſſis peccatis tuis, ſed de acceptis quoque gratiis rationem reddas? Et tamen comparabit ibi Dominus tuum agendi modum cum illo, quem Ipſe tenuit, & coget te agnoſcere enormitatem ingrati animi tui in conſpectu Caritatis ſuæ. Erubeſce nunc, & fatere, te præ omnibus aliis creaturis beneficam Dei manum expertum, & præ omnibus ingratiſſimum fuiſſe; propone firmiſſimè, hunc tuum cum Deo agendi modum emendare, Eúmque impenſiſſimè roga, ut, cùm Ipſe tibi faciendo bene numquam fatigetur, gratiam tibi donet, qua tandem incipias ex animo Illi ſervire, & in Ejus ſervitio numquam fatigeris.

II. Conſidera Divinæ in te beneficentiæ *Altitudinem*, & vide, an eam dimetiendi animum habeas. Verùm ut eam rite dimetiaris, tria debes infinita metiri; nempe infinitam dignitatem Illius, qui beneficia confert; infinitam indignitatem illius, cui beneficia conferuntur; & infinitam ipſorum, quæ conferuntur, beneficiorum magnitudinem. Quid aliud magis eſt admirandum, quàm videre, quòd Deus immenſæ Majeſtatis vel unicum obtutum conjiciat in creaturam, progenie tam vilem, moribûs tam ſordidam, animô tam ingratam, qualis es tu? *Domine! quid*

quid eſt homo? - - - aut quid apponis erga eum cor tuum? Job. VII. v. 17. Et tamen magnus hic Dominus non unum duntaxat obtutum conjicit in creaturam hanc miſeram, ſed in ea reponit & cor ſuum, velut ipſa theſaurus Illius foret; illi donat creaturas ſuas omnes, & poſtquam illi omnia ſua bona donavit, Se denique & Ipſum donat, & in ſagittam ſe quodammodo transmutat, ut illius cor penetrare poſſit. Neque hoc ſolummodo, ſed inſuper, velut illa omnia, quæ fecit, exigua forent, ſui amorem mille precibûs ab illa petit, & mille promiſſîs obtinere contendit; atque his mille minas, ſi eum non obtineat, adjungit. Jam edic tu, quid ampliùs poterat Ille facere, ſi omnis Ipſius felicitas à beneficiis tibi conferendis, & ab obtento à te amore mutuo dependeret? Si hunc non meretur ob infinitas ſuas perfectiones, numquid ad præbendum Illi cor tuum moveri nihilominus deberes, poſtquam Ipſe tam carô id pretiô voluit comparare? Quàm infelix eſt illa libertas, quæ, cùm à Deo data tibi fuerit, ut te Ipſi cum voluntate & merito ſubjiceres, non aliter à te impenditur, quàm ut Illi reſiſtas! Deteſtare illam itaque millies, & erubeſce ingratum tuum animum; propone, in eum denique ſtatum aſſurgere, in quo Deus tantis cum deſideriis te conſtitutum cupit; nimirum, in ſtatum unicè amandi Deum ſuper omne bonum; ſed memento, quòd unice amare Deum ſuper omne bonum,

non ſit deſiderare Ipſius in orando delicias; hoc enim potiùs eſt amare teipſum; verè Illum amare, eſt Illius àmore complecti Crucem Ipſius, & alacriter patiendo teſtari tuum affectum, atque ita ſui erga te Amoris incrementum mereri. Denique Illum roga, ut, cùm Ipſum ſine Ipſo amare non poſſis, cæteris ſuis beneficiis etiam hoc adjiciat, quod reliquorum omnium eſt complementum, donum videlicet amoris ſui, quo fiat, ut, ſi animi tui gratitudo non ſatis reſpondeat Ipſius gratiis ac beneficiis, tuis ſaltem reſpondeat viribus.

III. Conſidera Divinæ in te beneficentiæ *Longitudinem*, ut denique tui deditionem facias; nam ſi hunc in finem ſufficere deberet momentum unicum Miſerationum Ipſius, quantò magis ſufficere debebit integra illarum æternitas? Initium invenire fors poteris, quo Deus bene tibi cœpit facere; at initium invenire non poteris, quo bene tibi facere voluit, ac velle incepit; quia nimirum ab æterno te amavit, & ab æterno beneficiorum, quæ conferre tibi voluit, ordinem diſpoſuit. Bona igitur, quæ ab Illo accepiſti, ſempiterni amoris ſunt effectus, & ita te obligant, veluti ſi per totam æternitatem perfruitus illîs eſſes. Eadem ratione hæc Illius Miſericordia æterna quoque eſt in futurum: *Miſericordia Domini ab æterno, & uſque in æternum. Pſal. CII. v. 17.* nam Deus ſibi non ſatisfacit, niſi ſuam Ipſius felicitatem com-

mu-

municet tecum in cœlo per omnem æternitatem; quin adeò, cùm ad præcelſum hunc finem dirigat omnia bona, quæ ſingulîs vitæ tuæ momentîs tibi contulit, in eorum quolibet, ſi accurati examinis anatomiam ſcias inſtituere, totum Paradiſum invenies, & in illo tantum boni videbis contineri, quantum valet ipſius Summi Boni poſſeſſio. O Deum itaque tam in Seipſo, quàm in ſuis erga nos beneficiis æqualiter incomprehenſibilem! Quæ major animæ infelicitas, quàm Eidem nolle reſpondere? quæ major injuſtitia, quàm velle cor ſuum Deum inter & creaturas dividere; cùm tamen, qui corda haberet infinita, ſatis ac pro merito gratus Illi eſſe non poſſet, etiamſi illa omnia in Sacrificium Ipſi offerret? Sperare certè debes, quòd olim in cœlo ſis fruiturus ultimo fine tuo, qui eſt videre Deum ſine velo. At ſi per ſummum tuum infortunium eo privandus, ac æternùm damnandus eſſes, jam nunc temetipſum condemnare, & confiteri poſſes, quòd infernus ſit pœna nimis exigua pro caſtigando animo tam ingrato; quódque tot inferni tibi deberentur, quot accepiſti beneficia, niſi proponas, in eorum vicem modicum ſaltem illud mutuum reddere, æſtimationem nimirum & amorem Summi Benefactoris tui ſuper omnia. Interim in hac terra videre ſemper eſt horribilem illam deformitatem, quòd Divini erga te favores indies magìs augeantur, & indies pariter magìs augeantur tuæ in illum

 in-

injuriæ. Fieríne poteſt, ut, dum Deum tot offenſæ non abſterrent à conferendis tibi tot beneficiis, tot tamen beneficia, quæ tibi confert Deus, te non abſterreant ab Illius offenſis? Erubeſce igitur præteritum frigus tuum, & accende in animo tuo ſanctum Caritatis ardorem erga Deum tuum; quoniam verò tantîs ab Illo affectum eſſe beneficiîs & amoribûs, neutiquam tibi ſerviret, niſi ad reddendum horribilius ingrati animi tui crimen, roga Illum, ut gratiam tibi donet, Ipſi pro tot beneficiis reſpondendi, & omnia ſua merita, propter quæ amore tuo eſt infinitè dignus, hac ſua gratia coronet.

MEDITATIO QUARTA

Pro decima Exercitiorum die.

Ad excitandum Amorem erga DEum.

I.

COnſidera tres ſupremas Divini erga nos Amoris excellentias, ut & tu amore Dei totus accendaris; ſunt autem hæ tres: quòd nos amaverit ſine cauſa, ſine termino, ſine amore reciproco. Itaque *DEus nos amavit ſine cauſa*, tam ex ſua, quàm ex noſtra parte. Ex parte Dei quantum hoc, quæſo, prodigium eſt, quòd amet aliquid extra Se, cùm in Seipſo contineat omne bonum, utpote immenſus Perfectionum Oceanus? Eſtque

que hoc prodigium tantò majus, quòd, cùm Deus non habeat niſi amorem unicum, debeat, ſi velit nos amare, illo ipſo amore nos amare, quo ſuam Ipſius Divinitatem amat, & immenſam illam Caritatem, quæ in fruenda propriarum ſuarum Excellentiarũ voluptate tam beatè eſt occupata, etiam in nos convertere. Augetur porro idipſum prodigium ex noſtra parte, dum non ſolùm nos amavit absque omni noſtro merito præcedenti, ſed cum ingentibus etiam, non modo præcedentibus, ſed conſequentibus quoque culpis; amavit nos peccatores & ingratos, atque adeò extremô etiam odiô dignos. Inventus quidem eſt interdum magnus aliquis Princeps, qui captivæ alicujus amoribûs caperetur; ſed id inde demum accidit, quòd pulchra, quòd amœnîs moribûs, quòd obediens eſſet. At verò talis non erat Natura humana, quæ non modò erat Luciferi captiva, ſed & ſtulta, ſtupida, purulentîs plena vulneribûs, & ob delicta ſua æternis deſtinata ſuppliciis. Nihilominus maximus hic cœli terræque Dominus tam ardenter eam adamavit, ut vel Divini ſui Sanguinis impendiô illam perſanare, pulchritudinem illi reſtituere, dotem præbere, ſibique deſponſare voluerit, Ipſéque ſaturari opprobriîs, ut gloriam illi ſempiternam communicaret. Amens eſt, & infidelis, qui non obſtupeſcit ad tam immane prodigium, quod non niſi in Corde Divino, tam in Seipſo quàm in amando penitus incomprehenſibili, potuit

locum invenire. Sed interea, ſi adeò mirum eſt, quòd Deus amare voluerit homines, quantò magis admirandum erit, quòd homines amare Deum nolint? An ergo Summum Bonum amabit noſtrum nihilum, & noſtrum nihilum non amabit Summum Bonum? Deus ab æterno amabiles immenſæ ſuæ Caritatis oculos in te defixerit, & tu tam facilè amoris Ipſius poteris oblivisci? Cuinam igitur reſervas cor tuum, ſi illud totum Ei non donas, qui illud adeò meretur, quíque illud in tuum commodum tantopere deſiderat? Si immenſum haberes amorem, omnem illum deberes impendere in reddendas gratias pro incomprehenſibilis adeò Majeſtatis hujus in te benevolentia; nunc verò, cùm amorem habeas adeò parcum & anguſtum, cum creaturis tamen illum dividere, & unam duntaxat illius partem Deo donare velis? Abſit, ut aliquando id eveniat. Procul ſit à te, quidcunque fuerit; procul honores, commoditates, recreationes; procul ſint mille mundi, ut deinceps ſoli Deo ac Domino tuo reſpondeas. Offer te Illi totum, téque penitus Illius permitte Voluntati; pete veniam, quòd unquam ab Illo diſceſſeris, & roga, ut cor tuum adeò ingratum ac durum immutare, ſuóque Cordi tam tenero, tam nobili, tantóque tui amore flagranti aſſimilare dignetur.

II. Conſidera ſecundam Divini erga te Amoris Excellentiam, quæ in eo conſiſtit, quòd te Deus non ſolùm amaverit ſine cauſa, ſed

ſed etiam *ſine termino;* & quòd Ille, qui fecit omnia in menſura, in te amando menſuram omnem, omnémque terminum tranſcenderit. Hæc Amoris Excellentia manifeſtè apparet in Lydio lapide Cruciatuum, & Donorum Ipſius. In donando noluit eſſe contentus minorî donô, quàm Suiipſius; ita, ut hîc ſe nobis donaret per Gratiam, poſtmodum verò in cœlis per Gloriam, ubi animam tantâ magnificentiâ vult excipere, velut ſi alter aliquis Deus illa foret. Ad Cruciatus quod attinet, cùm unica Sanguinis ſtilla fuiſſet plùs quàm abundans, totum tamen illum effudit; cúmque mors, præ mero gaudio pro nobis obita, plùs itidem fuiſſet, quàm abundans, mori tamen elegit inter mille dolores; & gravibus adeò cruciatibus majora inſuper addidit deſideria, hîs omnibûs plura patiendi. Bene nobis facere non dedecebat immenſam Ejus Bonitatem; ſed cur beneficiis adjungeret etiam tormenta tam immania? & cur immanibus adeò tormentis alia quoque adjungeret deſideria, perferendi multò plura? Numquid hic ſine modo ac termino nos amandi modus perſuadere nos poſſet, quòd omne illius bonum dependeat à noſtro bono? Et tamen æterna noſtra damnatio minùs Ipſius intereſt, quàm totius Mundi Monarchæ intereſſet, ſi parvulus aliquis papilio ad lucernam combureretur. In hujus igitur tam eximiæ Caritatis conſpectu tui nunc frigoris rationem redde. Deus amorem tuum

ca-

Digitized by Google

cariùs emit, quàm amorem omnium Angelorum, & poſt tantas nihilominus impenſas eum integre lucrari non poſſit? Tu, qui Cruciatibus Dei tui longè plùs debes, quàm illis debeant omnes Beatorum Spirituum Hierarchiæ, non inhorreſcis, cùm animus in te tam ingratus invenitur, ut ei ſimilis non inveniatur in ipſis dæmonibus? Quid ampliùs à Deo deſideras, ut tuam Illi invicem libertatem dones? Num te non affatim ditavit, ut eam ſibi mereretur offerri? Bene perpende, quòd nullum hîc ſit medium: Qui Caritatis igne ſuaviter in hoc mundo ardere non vult, eum oportet æternîs ignibûs horrendum ardere in altero. Et tu igitur, qui, ut Deum tuum amare poſſes, etiam immenſa, ſi opus foret, felicitate abdicare te deberes, eligere voles infinitam pœnarum ſimul, & culparum miſeriam, ut eum non ames? Nimis quàm ſtulta, & nimis quàm deploranda foret hæc electio; itaque te offer ad Dei voluntatem, primô, uti decet, locô in tuo deinceps corde collocandam; deteſtare injuſtitiam, qua tuos affectus creaturas inter & Creatorem diviſiſti; deſidera, Illum deinceps magis ac magis amare ſine fine, quia modus Illum amandi eſt, Illum amare ſine modo; roga Illum inſuper, ut, cùm adeò ſolemniter Seipſum oppigneraverit ad exaudiendas preces noſtras, velit nunc ſtare ſuô Divinô Verbô, tibique impertiri amorem ſuum, quem ab Ipſo petis, ac deſideras ſuper omnia reliqua dona.

III. Con-

Digitized by Google

III. Conſidera tertiam Divini erga te amoris excellentiam, qua non ſolùm nos amavit ſine cauſa, & ſine termino, ſed etiam *ſine amore reciproco.* Sola harum excellentiarum oblivio ſufficere poterat ad extinguendam penitus Divinam Caritatem; quantò magis igitur ſufficere ad hoc poterant prævifæ tot noſtræ injuriæ, & futurus inter homines divini ſui amoris abuſus intolerabilis? Quanta proinde fuit, obſecro, benevolentia illa, quæ à tot culparum flumine, à tam ſtupendo ingratæ mentis torrente extingui non potuit? *Aquæ multæ non potuerunt extinguere Caritatem, nec flumina obruent illam. Cant. VIII. v. 7.* Jam oculos ad temetipſum converte, & vide, quàm non poſtremus tu adhucdum fueris inter ingratos iſtos. An ergo debebis diutiùs, totâque vitâ tuâ in hac Deo tuo tam inviſa ingrati animi labe perſeverare? Si vulgari communiſque virtute velis contentus eſſe, contemnes profectò Divini erga te amoris excellentiam, & inutilia reddes omnia illa amabiliſſima veſtigia, quæ tui perfectè poſſidendi cauſâ Deus tenuit. Eja igitur, ne tardes jam ampliùs, id demum agere, quod tantò jam antè feciſſe debueras; temetipſum denique offer Deo tuo, Eiſque cordis tui clavem porrige, ut inde expellat omnes inimicos ſuos. Memento, quòd neque rivalem, aut æmulum, neque Collegam aut ſocium admittat; ac proinde, ſi iſthoc

hoc amicitiæ perfectæ modo conſtringi cum Illo deſideras, creaturas jam non aliter, quàm in Illo, vel propter Illum amare te oportet; cum Illo familiariter debes converſari; cum Illo tua debes tractare negotia; de Illius gloria unicè debes lætari, & de tuis ac aliorum peccatis unicè dolere. Beatum te, ſi pactum hoc inîeris, & ex tua parte fideliter ſervaveris, Divinæ Caritatis actus identidem exercendo! Cùm enim cœleſtis hic ignis ſit quædam Divini Spiritûs communicatio, totum te convertet in ſpiritum, à tui ipſius amore te avellet, Deo te intimè conjunget, & inordinatas illas animi paſſiones, quæ aliîs jam dudum mediîs ſubigere nequiviſti, brevì conſumet. Hoc igitur ſit propoſitorum omnium propoſitum, hoc deſideriorum tuorum omnium deſiderium, hæc omnium petitionum tuarum ſumma, perfectè amandi Deum tuum. Dic Illi ſæpius, quòd, etiamſi tu ſis ingratus, Ille tamen ſit Deus Miſericordiæ, qui ab ingratis Se ſuperari ac vinci non ſinit, & etiamſi tu non merearis Illum amare, Ille tamen mereatur infinitè amari; atque ita finies pientiſſima illa S. Ignatii oratione:

Suſcipe, Domine, nniverſam meam libertatem; accipe memoriam, intellectum & voluntatem meam; quidquid habeo, vel poſſideo, tu mihi largitus es; id tibi totum reſtituo, ac tuæ prorſus trado voluntati gubernandum; Amorem tui ſolum cum gratia tua mihi dones, & dives ſum ſatis, nec aliud quidquam ultra poſco.

MEDIA

MEDIA
PRO CONSERVANDO EXERCITIORUM FRUCTU.

NOn ſufficit, quòd Chirurgus luxatum os priori ſuo loco reſtituat, niſi & faſciîs illud tamdiu liget, donec ſolidetur; nam alioquin, ubi primùm moveretur, mox iterum è debito ſuo loco recederet. Eadem ratione non ſufficiet, Exercitiorum tempore inordinatas animi paſſiones in debitum ordinem redegiſſe, & ſanctiſſimæ Dei voluntati ſubjeciſſe, niſi adhibeatur etiam induſtria quædam, ad bonum hunc ordinem conſervandum; ita, ut Religioſus poſt finitam hanc ſolitudinem non ampliùs redeat ad malam pro genio ſuo vivendi conſuetudinem. Hunc in finem efficaciſſima duo media tibi ſubminiſtrabo, quæ illi reſpondebunt, quod ab initio requirebam, tamquam diſpoſitionem præviam ad ſubeundam ſacram hanc ſolitudinem.

Primum erit, hanc à Deo Perſeverantiam conſtanter petere, utpote quæ tantopere à continuo Gratiæ divinæ auxilio dependet: *Confirma hoc, DEus, quòd operatus es in nobis. Pſalm. LXVII. v. 29.* Per totum libri hujus decurſum neceſſitatem hanc petendi per orationem à Deo ſubſidii de die in diem in-

inculcavi; ſed nimiùm inculcari numquam poteſt; quemadmodum enim homo naſcitur nudus, inermis, & rerum omnium, quæ ad conſervandum ſe in hac mortali vita ſunt neceſſariæ, penitus egenus; naſcitur tamen à natura inſtructus manibûs, quibûs omnibus aliis neceſſitatibus poteſt ſuccurrere; ita pariter, etiamſi in ordine gratiæ ſimus adeò pauperes & inermes, ſatis tamen proſpectum nobis eſt, ut bonum omne conſequi poſſimus, per orationem, quæ animæ pro manibus ſervit: *Elevatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pſalm. CXL. v. 2.*

Alterum medium ad induſtriam noſtram pertinet, & conſiſtit in antiquo fervore identidem renovando. Legiones illæ, quæ antiquitus appellabantur immortales, non ideo tales audiebant, quòd nullus unquam ex militibus illis moreretur; ſed propterea, quòd in occiſorum vicem mox alii, æquè generoſi, & ad pugnandum prompti ſubſtituebantur. Eadem ratione & illi, qui in Virtute perſeverant, non ideo perſeverare dicuntur, quòd ſæpius in oblata occaſione non labantur, ſed quòd lapſum novô mox propoſitô, novô animô ſuppleant. Hoc jam poſito, utiliſſima erit induſtria, ſi menſibûs ſingulîs animæ juventutem renoves: *Renovabitur, ùt aquilæ, juventus tua. Pſalm. CII. v. 5.* Et quoniam mortis memoria hunc in finem vires habet ſingulares, & ſummus

Pru-

Prudentiæ Chriſtianæ actus eſt, bene ſe præparare ad momentum illud, à quo pendet infiniti momenti ac totius æternitatis negotium, proponam hîc tibi, quod aliàs jam in lucem edidi,

EXERCITIUM

PRÆPARATIONIS AD MORTEM.

QUolibet igitur menſe diem aliquem tibi ſelige, ab aliis negotiis omnibus magìs liberum, quo ſingulari cum diligentia Orationi, Confeſſioni, Sacræ Communioni, & Viſitationi Sanctiſſimi Sacramenti te impendas.

I.

Oratio, ſive Meditatio hujus diei bis peragetur, & ad duas ſeſe horas extendet; illius verò materia poterit eſſe, quam hîc indicabo.

In prima orationis hora imaginaberis tibi, quàm poteris, vivaciſſimè ſtatum illum, in quo jacebis jamjam moribundus, derelictus à Medicis, deſertus à Sociis, admonitus à Confeſſario &c. & quia, ùt in Eccleſiaſtico Deus loquitur, Judicium, quod de rebus omnibus ferre mors ſolet, rectum ſemper eſt: *O mors! bonum eſt judicium tuum. Eccli. XLI. v. 3.* idcirco per tria puncta conſiderabis, quid in morte feciſſe te velles, 1. Erga Deum. 2. Erga teipſum. 3. Erga Proxi-

 mum.

mum. Huic porro Meditationi diverſos ac fervidos admiſcebis affectus doloris, propoſiti, & petitionis pro impetrandis à Deo viribus ad veram emendationem.

Secundæ Orationis materia erunt fortiora quædam argumenta, quæ inveniri poſſunt ad libenter acceptandam à Deo mortem, & erunt quinque ſequentia. I. *Neceſſitatis.* Hæc enim eſt lex, quæ relaxationem nullam admittit; eum oportet mori, qui natus eſt: *Scio, quia morti trades me, ubi conſtituta eſt domus omni viventi. Job. XXX. v. 23.* 2. *Juſtitiæ.* Mori enim debet, qui peccavit, atque ita mori commeruit. Rebellibus jure merito deſtruitur domus, & æquatur ſolo: *Vivit Dominus, quoniam filii mortis eſtis vos. I. Reg. XXVI. v. 16.* 3. *Humilitatis.* Non mereor diutiùs vivere, quia non uſus ſum tempore, quod ad vivendum mihi Deus indulſit, & illud inſuper impendi adverſùs ipſúmmet ſupremum Benefactorem meum, qui, licèt fuiſſet digniſſimus, ut mortem non guſtaret unquam, mori tamen in Cruce pro me voluit: *Nos quidem juſtè, nam digna factis recipimus: hic verò nil mali geſſit. Luc. XXIII. v. 41.* 4. *Amoris.* Veniet aliquando tempus, quo finientur peccata mea; diſcedendum aliquando eſt è regione tam iniqua, ubi aliud videre non licet, quàm injurias Dei; & ſpero, me perventurum illuc, ubi aliud agere non potero, quàm amare Deum: *Placebo Domino*

in

in Regione vivorum. Pſalm. CXIV. v. 9.
5. *Conformationis ſui cum Divina Voluntate:* Tu, mi Deus, ſcripſiſti ſententiam, ſtatuiſti tempus, & modum mortis meæ. Libenter illam accepto, quia tu ita vis, méque adorandæ tuæ Voluntati conſecro, & in ſpiritu me conjungo Domino meo JEſu Chriſto, æterni Patris ſui voluntati ſe permittenti: *Verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat. Luc. XXIII. v. 42.*

In affectibus ſecundæ hujus meditationis vitam noſtram Deo penitus offeremus; proteſtabimur, quòd, licèt illam poſſemus ultra Diviniſſimum Illius Beneplacitum prorogare, id tamen facturi numquam eſſemus; petemus gratiam, qua Sacrificium iſtud tanto amoris ſpiritu offerre poſſimus, quantum debita erga Illius amabiliſſimam Providentiam ac Diſpoſitionem obſervantia requirit.

II.

Confeſſionem oportet ſingulari prorſus diligentia peragere, veluti ſi hæc ultima foret animam tuam in pretioſiſſimo JEſu Chriſti Sanguine abluendi occaſio. Primò igitur exercebis actum Fidei, & in Sacerdote viſibili agnoſces inviſibilem JEſu Chriſti Perſonam. Deinde excitabis ſerium de peccatis tuis dolorem, conſiderando, quòd minimum veniale peccatum, cùm tanta ſit injuria Dei, & malum, quod moleſtiam & contumeliam affert Supremæ illi Majeſtati, ſit longè major injuria, & malum longè majus, quàm ſint omnes injuriæ, quæ creatu-

ris unquam ſint irrogatæ, aut irrogari poſſent; majus, quàm foret excidium totius Univerſi; hinc peccatum veniale nulla ratione appellatur, aut appellari poteſt leve, niſi in comparatione peccati mortalis. De cætero, abſolutè loquendo, exceptô peccatô mortalî, eſt illud malorum omnium poſſibilium maximum. Tertiò concipies propoſitum æquè ſerium te emendandi; neque contentus eris generali quodam propoſito, ſed deſcendes ad defectus ſingulares, & inſuper diſpones media ad emendationem iſtam tantò certiùs à te obtinendam, ut propoſitum evadat eò fructuoſius. Verbo: res tuas ita compones, veluti ſi quamprimum deberes Judici tuo rationem reddere, qui fortaſſis jam adſtat ante fores tuas, quin illum tamen videas: *Ecce! Judex ante januam aſſiſtit. Jac. V. v. 9.*

III.

Sacra etiam Communio plùs quàm ordinariâ curâ & præparatione obiri debet, veluti nimirum pro Sacro illam Viatico reciperes; adorabis itaque Deum illum, quem per omnem æternitatem te adoraturum ſperas; gratias illi ages pro conceſſis tot vitæ diebus; veniam rogabis, quòd illos tam malè impenderis; paratum te illi offeres ad eam finiendam, cùm ille ſic jubeat; ac gratiam denique petes, qua in hoc periculoſo tranſitu tibi aſſiſtat, ut anima tua, innixa ſuper Dilectum ſuum, ab hoc Deſerto ſecurè ad Regnum tranſeat.

Si

Digitized by Google

Si hanc in rem exemplar aliquod deſideras, id reperire poteris in oratione ſequenti:

ORATIO

Ante S. Viaticum recitanda.

SAnctiſſime & amabiliſſime Redemptor meus! quî fieri poteſt, ut incomprehenſibilem Majeſtatem tuam eò demittas, ut etiam me moribundum in hoc lectulo viſitare digneris? Satis apparet, quòd originem ducas à Magno illo Deo, qui merus eſt Amor, & mera Bonitas, dum mihi non per creaturam aliquam mittis auxilium, ſed in propria mihi Perſona Ipſémet illud affers. Itaque Munificentiſſime Deus, cùm ego ſim creatura, Divinîs tuîs oculîs penitus indigna, accipe in ſupplementum gratiarum illarum, quas ego tibi agere non poſſum, tuum ipſius Sanguinem, tuum Amorem; ſufficiat tibi, quòd, antequam ex hac terra diſcedam, Cœlum omne in auxilium invocem, ut gratias tibi agat pro magnifico illo diverſorio, quod tuîs ſumptibûs in ea mihi tot annîs indulſiſti.

Gratias Tibi ago pro amore illo, quo ab æterno elegiſti me, ut faceres mihi bene, méque tot aliis prætuliſti, qui Tibi meliùs fuerant ſerrituri, quàm ego.

Gratias Tibi ago, quòd me ſuo tempore dignatus es creare; quòd integrum mihi corpus, omnibûs ſuîs ſenſibûs inſtructum, &

animam, omnibûs ſuîs potentiîs ornatam, indulſiſti, méque ad præcelſum adeò finem, nimirum ad Te amandum, ordinâſti.

Gratias Tibi ago, quòd omnibûs vitæ meæ momentîs me conſervâſti, & omnibus creaturis tuis tam in cœlo, quàm in terra mandâſti, ut mihi deſervirent.

Gratias Tibi ago pro amantiſſima illa Providentia, qua ſemper in tuis manibus me ſuſtinere, atque à tot periculis temporalibus & æternis liberare me voluiſti.

Gratias Tibi ago, quòd non ſolùm in dolorum & ignominiarum abyſſo pro mea ſalute mori, ſed & fructum ſacratiſſimæ Paſſionis tuæ mihi tam abundanter applicare dignatus es per tantam inſpirationum copiam, per tantam Sacrorum Myſteriorum frequentiam, & per incomparabile ſanctæ tuæ Fidei donum.

Gratias tibi ago pro tam diuturna patientia, quam exhibuiſti mihi, dum enormia mea peccata tolerâſti, méque elegiſti, ut per tuam miſericordiam te magis in me glorioſum redderes, cùm æquè te poſſes glorioſum in me reddere per Juſtitiam.

Gratias tibi ago pro tot beneficiis, quæ non novi; pro tot aliis, quæ mihi nec petenti, imò nec deſideranti contuliſti; pro tot aliis, pro quibus in hanc uſque horam gratias tibi numquam egi; pro tot aliis, quæ mihi contuliſſes, niſi per vitam meam peſſimam obſtitiſſem; & demum pro tot aliis, quibûs

quibûs perfidè ſum abuſus, dum ea contra ipſúmmet Donatorem adhibui.

Pro toto iſto gratiarum cumulo, & pro infinito illo amore, quo earum cuilibet infinitum addidiſti pretium, deſiderarem habere cor, quod immenſæ gratiarum actionis capax foret, ut hanc non meo ſolùm, ſed omnium etiam inimicorum tuorum nomine, qui vel in hoc mundo, vel in inferno aut gratias Tibi non agunt, aut agere non volunt, reddere Tibi poſſem. Et quoniam omne bonum, quod uſque adhuc mihi contuliſti, ad ſalvandum me non ſufficeret ſine Perſeverantia uſque in finem, ſuppliciter Te oro, ut in hoc ultimo puncto immenſam tuam in me Liberalitatem abſolvas, & verum mihi dolorem impertiaris omnium injuriarum, quas tibi per improbam meam vitam intuli; ſpiritum autem meum tuîs manibûs excipias, ut illum in amoris tui Regnum inferas.

An ultimam iſtam gratiam mihi negabis? Amantiſſime Domine! Recordare, quòd hunc in finem ad me inviſas; fac igitur id, in cujus finem ad me veniſti. Quis è Regibus terræ longinquum iter ſuſcipit, niſi ob aliquod magni momenti negotium! Et Tu, qui es ipſe Cœlorum Rex, iter adeò longinquum, è Cœlo nimirum in has terras, fruſtra ſuſceperis? imò tot patraveris miracula, ut in ſanctiſſimo Sacramento fieres cibus meus, meúmque pro itinere tam periculo-

ſo Viaticum ; nunc verò in ultimo iſthoc tranſitu auxiliarem mihi manum non porrigas? Numquam id fiet, ô Deus meus! Nunc certè exaudire me debes, cùm de rerum omnium ſumma jam agatur; nunc me Sanctis omnibus oſtentare potes, ùt Miſericordiæ tuæ trophæum ; nunc malitiam meam omnem Bonitate tua vincere, nunc ſalvare me potes.

Junge igitur abyſſum Liberalitatis tuæ abyſſo miſeriarum mearum; applica mihi merita tua, & per illa ſanctam fac animam meam, & corpus meum. Jube feliciter cedere hunc ultimum meum tranſitum, eúmque, veluti tuum, offer cœleſti Patri tuo, ut omnes totius Univerſi creaturæ in me cognoſcant Divini Sanguinis tui virtutem, & incomprehenſibilem illum amorem, qui te impulit, ut participem me faceres Beatitudinis tuæ, mihíque gratiam largireris, in ea laudes & gloriam tuam concinendi per omnia futura ſecula. Amen.

IV.

Opus ultimum, quod pro iſthac præparatione propoſui, eſt viſitatio Sanctiſſimi Evchariſtiæ Sacramenti, coram quo, veluti coram Divini Amoris throno, ſequentes Actus ſeriò ac vivaciter oportet exercere. S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis mandavit Dominus, ut tricies ter de die ad SS. Sacramentum inviſeret; tu ſepties minimùm id age; &, ſi ne iſtud quidem fieri à te poſſit, in ipſo ſaltem

cu-

cubiculo tuo ſepties te ad Templum aliquod converte, in quo SS. Sacramentum aſſervatur, ut hac ratione ſuppleas id, quod præſtare non potes, quemadmodum Daniel, qui de feneſtra ſua, Dei ſui adorandi cauſâ, Jeroſolymam verſùs ſe convertebat.

ACTUS FIDEI.

Cùm itaque primò ad SS. Sacramentum inviſes, Deum tuum adorabis, & Actus vivæ Fidei hac ratione exercebis:

I. O Domine! libentiſſimè credo illud omne, quod revelare mihi dignatus es; neque id credo, quia idipſum credunt alii; ſed credo, quia Tu, qui es prima & infallibilis Veritas, id mihi revelâſti. *Credo, quidquid dixit Dei Filius; nil eſt hoc Verbô Veritatis verius.*

II. Si Chriſtiani omnes ab hac Fide deficerent, ego tamen per gratiam tuam ab illa numquam deficerem. Gratias Tibi ago ex toto corde meo, quòd in hac ſancta Fide vivere me feciſti, & quòd in eadem nunc mori me ſinis.

III. O quantùm doleo, quòd in mundo non omnes Tibi credant! Vitam hanc, quam mihi modò mors auferet, libentiſſimè darem in teſtimonium ſancti Evangelii tui, eúmque in finem, ut omnes homines ad illud credendum ſe ſubmitterent.

IV. O Deus! ego ſum Eccleſiæ tuæ ſanctæ filius, & talis jam mori volo. Proteſtor

itaque, quòd omnes cogitationes, quæ ſub ultimam horam in mentem mihi venerint, ſi contrariæ ſint illi Doctrinæ, quam Ipſa tenet, ſemper ſim habiturus pro mendaciis, à mendaciorum omnium autore dæmone mihi ſuggeſtis.

V. Domine! quò minùs intelligo, eò magìs credo; quia propterea tantò magìs agnoſco, omnia eſſe digna Magnitudine tua. Auge nunc in ultimo tranſitu ad extremum uſque ſpiritum Lumen iſtud, quod jam olìm per ſacrum Baptiſma in anima mea accendere dignatus es. *Adauge nobis Fidem. Luc. XVII. v. 5.*

ACTUS SPEI.

Cùm SS. Evchariſtiam ſecundò viſes, exercebis Virtutem Spei hîs, vel ſimilibûs Actibûs:

I. Scio, quòd peccata mea tam præſentia, quàm præterita, & ingrati animi crimina, ô Deus! me penitus indignum reddant omnium miſerationum tuarum maximâ, bona videlicet morte. Sed ſpero nihilominus in Te, in infinita tua Bonitate, in tuis, toties mihi confirmatis, me juvandi promiſſis, & in meritis Domini mei JEſu Chriſti, pro me mortui. *Ipſe erit Salvator meus. Job. XIII. v. 16.*

II. Graviſſimas Tibi injurias intuli, ô Servator mi! hanc tamen Tibi numquam inferam, ut jam non confidam in Te. Nondum

Ju-

Judicis partes ſuſcepiſti; etiamnum es Advocatus meus; quid igitur paveam? *Advocatum habemus apud Patrem JEſum Chriſtum juſtum, & Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. I. Joan. II. v. 2.* Nimis magnô Tibi pretiô conſtiti: *Redemiſti me, Domine Deus Veritatis. Pſal. XXX. v. 6.*

III. Quis unquam Te invocavit, ô DEus meus! & à Te neglectus eſt? Quis unquam in Te confidit, & periit? *Quis invocavit Eum, & deſpexit illum? Eccli. II. v. 12. Nullus ſperavit in Domino, & confuſus eſt. ibid. v. 11.* An ergo primus ſim ego; qui contemnatur, primus, qui confundatur, poſtquam te invocavi in tanto æternùm pereundi periculo? Non fiet id profectò: *In Te, Domine, ſperavi; non confundar in æternum. Pſal. XXX. v. 1.* Beneficia præterita pignus mihi ſunt futurorum; & gratia, quam mihi largitus es, nunc mihi pignus eſt Gloriæ, quam mihi largieris.

IV. Si ſub ultimum hoc tempus infernus omnis, catenâ ſolutus, in me irruat, & inimici mei multiplicentur millies, quid nocere mihi poterunt, ſi protegar à Te? Confidunt illi in ſuis viribus, in ſuis fraudibus; ego verò in nomine tuo, Domine! *Pone me juxta Te, & cujusvis manus pugnet contra me. Job. XVII. v. 3.*

V. Omnia peccata mea colligo, & ſubmergo in Sanguine tuo, Domine! & proteſtor, quòd ad ultima uſque ſuſpiria mea hoc

in

in Te ſperandi obſequium præſtare Tibi velim; quia honoris id locô accipis, ſi videas, quòd omnium miſerrimus omnium maximè in Te confidat. *Ego autem ſemper ſperabo, & adjiciam ſuper omnem laudem tuam. Pſal. LXX. v. 14.*

ACTUS CARITATIS.

Cùm ad Chriſtum Evchariſticum tertiùm inviſes, exercebis Actus Caritatis erga Deum & Proximum:

I. O Deus animæ meæ! quia infinitè bonus, infinitè ſanctus, & infinitè dignus es amari, amo Te, & æſtimo Te ſuper omnia; & ut omnes cognoſcant, id eſſe verum, ecce, obviàm morti libenter eo, & executionem ſanctiſſimæ Voluntatis tuæ mille vitis præfero: *Ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem, -- ſurgite, eamus hinc. Joan. XIV. v. 31.* Eja, anima mea! eamus, eamus, & corporis rationem non habeamus! *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas. Pſal. LXII. v. 4.*

II. Domine! Si pro mercede ſervirem Tibi, numquid injuriam Tibi facerem, quia dona tua plùs æſtimarem, quàm Teipſum? Proteſtor igitur, quòd per infinita ſecula ſervire Tibi vellem, etiamſi nihil mihi reddere velles. Libenter nunc vivendi finem facio, ut finem Te offendendi faciam. Non Te amo propter æterni præmii mercedem, ſed quia mereris amari.

III. Quem-

III. Quemadmodum ardenter Te facie ad faciem in cœlo videre deſidero, ô Summum Bonum meum! ob nullum aliud commodum, quàm ut æternùm Te amare queam; ita de reliquo cœlum meum eſt, Te habere contentum, & infernus meus, videre Te offenſum.

IV. O quàm libenter ex hoc mundo diſcederem, ſi viderem omnes homines in terram proſtratos, ut Te, Domine, agnoſcant, & adorent! Auge, obſecro, Regnum tuum, & dilata Gloriam tuam! *Omnis terra adoret Te, & pſallat Tibi! Pſal. LXV. v. 4.* Gaudeo, quòd in terris relinquam tot animas ſanctas, quæ Te amant; & multò magis gaudeo, quòd in cœlo ſim inventurus innumeras alias, quæ ſine intermiſſione Te æternùm amabunt. Atque hoc inter dolores mortis & morbi ſolatiorum meorum eſt maximum.

V. Quoniam verò Tu, mi Deus, præcepiſti mihi, ut unà Tecum & Proximum meum amem, pro dulci adeò præcepto demiſſiſſimas Tibi gratias ago; & ſub ultimum hunc abitum meum totîs viribûs cordis mei amplector omnes & ſingulos Proximos meos, illósque Tibi omnes commendo, & rogo, ut iis omne bonum impertiaris, quia ſunt creaturæ tuæ, imagines tuæ, & hæreditas tua; & quia Tu Ipſe illos amas, & vis, ut & ego eos amem. Singulariter verò illos omnes amo, qui me offenderunt; illísque tam ſincero corde ignoſco, quàm deſidero, ut & mihi Tu igno-

ignoſcas; atque in unione Caritatis illius, qua Ipſe in Cruce orâſti pro inimicis tuis, etiam ego in hoc mortis lectulo Te oro, ut iis, qui me offenderunt, tantundem boni conferas, quantum illi mihi vel intulerunt, vel deſiderârunt mali.

ACTUS CONTRITIONIS.

Cùm ad viſendam SS. Eucharistiam quartùm accedis, exercebis Actus Contritionis, ùt jam ſequitur:

I. O immutabile bonum! ô infinita Majeſtas! quantus paulò pòſt erit pudor meus, cùm ante Te comparendum erit! Tum verò intelligam, quantam Tibi injuriam intulerim in vita mea, dum Te viliſſimîs creaturîs toties permutavi. Sentire nunc cuperem illum de peccatis meis dolorem, quem ſub horam illam experiar, eo duntaxat fine, ut per hunc graviſſimas illas injurias compenſare tibi poſſem, quas tibi ad hoc ultimum uſque vitæ meæ tempus tot iniquitatibûs meîs irrogavi: *Deus! propitius eſto mihi peccatori! Luc. XVIII. v. 13.*

II. Domine! hoc meum corpus brevì conſumetur à vermibus; ſed nil aliud meretur, quia toties Te offendit. Ecce igitur proſtratam ad pedes tuos animam meam, quæ ſupra omne aliud malum deteſtatur indulgentiam illam, qua carni ſuæ, non obſtante ſumma injuria tua, toties obſecundare voluit. Aſpice tamen, ô Deus meus! cor meum contritum

tum, neque deſpicias illud; nam ſi vitam meam, quam modò finio, inchoare nunc deberem, ne unam quidem ampliùs ex injuriis illis pro ulla mundi re admitterem.

III. Quis ſum ego coram Te? mi Domine! Ex meipſo non ſum aliud, quàm nihil; auſus ſum nihilominus vitam illam, quam mihi Tu dediſti, ut eam in amando Te conſumerem, toties impendere ad offendendum Te! Deteſtor ſummopere omnia, quæ patravi, mala, quia Tu illa ſummè deteſtaris; & rogo Te, ut paucula illa vitæ momenta, quæ mihi ſuperſunt, auferas, ſi in illis etiamnum Te traditurus ſum.

IV. Ecce, Domine! diſcedo ex hoc mundo, poſtquam toto propemodum vitæ meæ tempore offendere Te perrexi. O! Si nunc poſſem vitam meam ordiri denuo! priùs vellem mori, quàm ita vivere, uti vixi.

V. Non me pœnitet, ô mi Deus! ſive ob infernum, quem promerui, ſive ob Paradiſum, quem peccando perdidi. Pœnitet me, quia Tibi, ſummo Bono meo, toties peccando moleſtus eſſe, Téque tot contumeliîs afficere ſum auſus; & quia maximam Tibi injuriam, quam ulla unquam creatura inferre Tibi poteſt, irrogavi, dum obedire Tibi noluì. Ignoſce mihi per tuam Ipſius Bonitatem; redde mihi bonum, qui malè Tibi feci; méque illuc dirige, ubi æternùm Te amare, & æternùm Te ab omnibus amatum videre merear. Amen.

ACTUS

ACTUS CONFORMATIONIS CUM DIVINA VOLUNTATE.

Cùm quintò viſitas SS. Sacramentum, exercebis Actus veræ Conformationis tuæ voluntatis cum Voluntate Divina, præcipuè circa mortem, de manu Dei acceptandam.

I. Deus meus! ea ratione admitto ordinationem tuam, quam de morte mea pridem conſtituiſti, ut, etſi illam evitare poſſem, id neutiquam tamen facturus eſſem. Volo mori, quia Tu mori me vis. Ictum hunc admitto de manu tua, & omnia illa, quæ deſignavi, negotia libenter abrumpo, quia Tu illa, dum vitam meam repetis, abrumpi jam vis: *Ita Pater, quoniam ſic placitum fuit ante Te. Matth. XI. v. 26.*

II. Domine! hunc lectulum meum, in quo jaceo, mihi pro altari ſtatuo, in quo amabiliſſimæ tuæ Voluntati ſacrificari me oporteat. Admitte ergo holocauſtum iſtud. Ecce! in ſignum amoris hanc mortem meam, quam mihi mittis, hos dolores, hos corporis angores, has animi anxietates, has agonias, & mala illa omnia reliqua, quæ mortem comitantur, amplector, & horum omnium, quæ de ſanctiſſimis tuis manibus mihi veniunt, nihil recuſo: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut Tu. Matth. XXVI. v. 39.*

III. Tuus

III. Tuus ſum, Domine! mille titulîs; & ſi nullo titulo tuus eſſem, tuus tamen eſſe vellem, ut hoc obſequium reddere Tibi poſſem. Fac igitur de me id omne, quod magis Tibi placet, & quemadmodum Tibi placet. Si Tu, ô Summum Bonum meum! contentus fueris, contenta etiam erit hæc miſera creatura tua, quæ venit ante conſpectum tuum: *Dominus eſt, quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat. I. Reg. III. v. 18.*

IV. Ut videat mundus univerſus, quantùm æſtimem, ô Deus! ſanctiſſimam Voluntatem tuam, ita hujus manibus me permitto, ut, licèt inde, quod impoſſibile tamen eſt, maxima etiam damna referre me oporteret, ab illa nihilominus totus dependere vellem. Adoro Divinæ tuæ circa me Providentiæ diſpoſitiones omnes, Téque rogo, ut eas quàm perfectiſſimè in tempore & æternitate adimplere velis: *Domini Voluntas fiat. Act. XXI. v. 14.*

V. Quid valet unquam vita viliſſimi vermis, qualis ſum ego? Certum eſt, quòd valeat nihil. Vellem tamen ego, mi Deus! ut illa foret infiniti valoris, ſolùm ideo, ut offerre Tibi poſſem munus aliquod, quod merito tuo reſponderet. Quidquid verò ſit; accipe id, quod in hac terra cariſſimum mihi eſt, vitam nempe meam, qualiscunque illa ſit. Equidem hunc mortis calicem bibere, amarum videtur carni; ſed parùm intereſt; ſpiritus meus eſt carni contrarius; promptus

calicem hunc admittit in teſtimonium reverentiæ, ſupremis tuis Diſpoſitionibus debitæ; eúmque ſemper judicabit eſſe dulcem, quia eum illi Divinæ tuæ manus porrigunt: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Joan. XVIII. v. 11.*

ACTUS PETITIONIS.

Cùm Deum in SS. Eucharistia ſextò viſis, in ferventiſſimis te Petitionibus exercebis. Cùm oratio ſit medium communiſſimum, & efficaciſſimum ex iis omnibus, quæ Divina Providentia ad bene nobis faciendum elegit, cúmque per illam faciliùs, quàm per quidvis aliud poſſimus obtinere perſeverantiam uſque in finem; facilè quivis intelligit, quàm ſedulò illam adhibere oporteat pro felici ſucceſſu tanti negotii, quantum eſt beatè mori; ad imitationem Chriſti Domini, qui, licèt ullo auxilio non indigeret, ad noſtrum tamen exemplum, cùm vicinus jamjam eſſet morti, tanto cum fervore oravit: *Factus in agonia prolixiùs orabat. Luc. XXII. v. 43.*

I. Summa igitur cum animi demiſſione ad Thronum Sanctiſſimæ Trinitatis te ſiſtes, & Patrem æternum impenſiſſimè rogabis, ut, cùm ſuam in te creando, & conſervando Potentiam impenderit, eandem etiam impendere velit ad defendendum te, ac perducendum ad illum finem, cujus cauſâ te creavit, & conſervavit.

II. Ver

II. Verbum Divinum rogabis per amorem illum, quo carnem noſtram pro te induit, & per tantos te cruciatus redemit, ut modò magis, quàm unquam aliàs Sacratiſſimæ Paſſionis ſuæ fructus applicare tibi dignetur, téque perducere ad eum terminum, quem tibi promeruit, ad Paradiſum videlicet.

III. Spiritum Sanctum rogabis, ut quoniam in ſacro Baptiſmate & aliis Sacramentis te ſanctum reddidit, nunc opus ſuum perficere dignetur, téque ad gloriam perducere, ut pro immenſo hoc beneficio per totam æternitatem gratias Illi agere poſſis.

IV. Sacratiſſimam Chriſti Humanitatem, quam præſentem, & abſconditam habes in Sanctiſſima Evchariſtia, rogabis, ut per eum amorem, quo te plùs, quàm ſuam ipſius vitam amavit, in hac tam magna tua neceſſitate aſſiſtere tibi velit, & officium Salvatoris tui perfectè adimplere, perducendo te ad terminum ſalutis tuæ. *JEſu! ſis mihi JEſus, & ſalva me! Quærens me, ſediſti laſſus; redemiſti, crucem paſſus; tantus labor non ſit caſſus!*

V. Beatiſſimam Virginem rogabis, ut, cùm ipſa ſit univerſalis Eccleſiæ totius Patrona, cúmque hoc eam titulo pro mortis hora toties invocaveris, talem ſe jam exhibere tibi velit, & à Filio ſuo auxilia illa efficacia tibi impetrare, quæ ad bene moriendum requiruntur.

VI. Rogabis denique Angelum tuum Tutelarem, S. Joſephum, & Sanctos Patronos tuos, ut, quantùm ipſi Divinæ Bonitati, per quam æternam Beatitudinem ſunt conſecuti, ſeſe obligatos intelligunt, tantùm ſe nunc totos impendere pro tua ſalute velint.

Modus bene ſe diſponendi ad Extremam Unctionem.

Cùm ſeptimò demum & ultimò SS. Sacramentum adibis, conaberis elicere vivum deſiderium obtinendi fructus, è Divino Extremæ Unctionis Myſterio redundantes. Appellatur illud à Theologis Sacramentum Spei; quemadmodum enim in Baptiſmo magna Fidelibus gratiarum Summa donatur, ut bene vivere incipiant, ita in Extrema Unctione maximum illis præbetur auxilium, ut vitam bene finiant, juxta Doctrinam Sacri Concilii Tridentini, dicentis: *DEus Extremæ Unctionis Sacramentô extremum vitæ, tamquam fortiſſimô præſidiô, munivit.*

Imaginaberis tibi itaque, velut à Sacerdote ungaris, & interea ſtudebis ad obtinendum Sacramenti hujus effectum, tuum quoque conatum adjungere per ſequentes actus. Percurre ſingulos ſenſus tuos, & pro quolibet pete primùm veniam injuriarum, quas per illum irrogâſti Deo; deinde ad reſarciendos tuos in illo defectus offer æterno Patri

crucia-

cruciatus illos, quos in hoc Senſu Dominus noſter JEſus Chriſtus pertulit.

I. Deus animæ meæ! veniam à Te peto injuriarum omnium, quas Tibi per viſum meum intuli, dum illum toties ſine fræno evagari permiſi ad objecta periculi & peccati plena. In ſatisfactionem id omne Tibi offero, quod Dominus meus JEſus Chriſtus in ſanctiſſimis ſuis Oculis, pro me velatis, & plorantibus, paſſus eſt. *Per tuam piiſſimam miſericordiam indulge mihi, Domine! quidquid per viſum deliqui. Amen.*

II. Deus animæ meæ! ex toto corde meo me pœnitet peccatorum omnium, quæ contra Te per auditum meum admiſi, quem toties ad audienda illa impendi, quæ minimè oportebat. Offero tibi invicem illa omnia, quæ in Sanctiſſimis ſuis Auribus Dominus meus JEſus Chriſtus eſt paſſus. *Per tuam piiſſimam miſericordiam indulge mihi, Domine! quidquid per auditum deliqui. Amen.*

III. Deus animæ meæ! doleo ex omni corde meo de injuriis omnibus, quæ Tibi per linguam & guſtum meum irrogavi. In ſatisfactionem illarum offero Tibi omne bonum illud, quod Dominus meus JEſus Chriſtus per omnia ſua ſanctiſſima verba præſtitit, & omnem cruciatum illum, quem in Ore ſuo ſacroſancto ab aceti & fellis amaritudine pertulit. *Per tuam piiſſimam miſericordiam indulge mihi, Domine!*

 quid-

quidquid per guſtum & locutionem deliqui. Amen.

IV. Deus animæ meæ! Veniam demiſſè rogo offenſarum omnium, quas Tibi per manus meas intuli. In earum vicem offero Tibi, quidquid Dominus meus JEſus Chriſtus in ſanctiſſimis ſuis Manibus, per clavos diriſſimos perforatis, eſt paſſus. *Per tuam piiſſimam Miſericordiam indulge mihi, Domine! quidquid per tactum deliqui. Amen.*

V. Deus animæ meæ! doleo ex intimo corde meo de omnibus injuriis, quas Tibi per iniquos greſſus meos intuli. In ſatisfactionem illarum offero tibi, quidquid Dominus meus JEſus Chriſtus in ſanctiſſimis ſuis Pedibus pro me ſuſtinuit. *Per tuam piiſſimam miſericordiam indulge mihi, Domine! quidquid per greſſum deliqui. Amen.*

VI. Deus animæ meæ! Veniam à Te ex toto animo meo rogo pro peccatis meis omnibus, quæ per totum corpus meum contra Te admiſi, dum illud adeò malè impendi, & tanta cum injuria tua illius voluptates quæſivi. In ſatisfactionem illorum offero Tibi omnes cruciatus, quos Dominus meus JEſus Chriſtus in Virginali ſua Carne ſuſtinuit. *Per tuam piiſſimam miſericordiam indulge mihi, Domine! quidquid per lumborum delectationem deliqui. Amen.*

Hiſce

Hiſce affectibûs ſtudebis inſtruere cor tuum ad majorem ex iſto Extremæ Unctionis Sacramento fructum aliquando reportandum, ſi gratiam tibi dederit Dominus, ut ſub extremum vitæ tuæ reipſa illud ſuſcipere poſſis, quemadmodum illud modò per deſiderium recipis; idque tantò magis, quia fieri poteſt, ut eo tempore ſenſus tui jam penitus ſint arefacti & emortui. Unde Joſephum imitaberis, qui annîs fertilibûs providere ſibi novit pro annis ſterilibus.

Poſt hæc attentè piéque recitare poteris orationes illas, quibûs utitur Sancta Eccleſia ad moribundorum animas Deo commendandas, nimirum: *Proficiſcere Anima Chriſtiana &c.* cum aliis ſubſequentibus, quas dulcî pietatis ſuccô plenas inveniet, qui aſſueverit, de illis etiam floribus ſuccum exſugere, qui tumulo aliquando inſpergentur.

Sed quia multi hujusmodi ſuccum in illis orationibus fortaſſis non inveniunt, poterunt illarum in vicem ſequenti oratione uti, eáque diem ſanctè finire.

ORATIO

Pro Commendatione animæ propriæ.

ECce, anima mea! pervénimus jam ad magnum illum tranſitum, qui faciendus nobis ſupereſt ex hoc in mundum alterum. Eja, hilariter! diſcedamus libenter ex ruinoſa corporis hujus domo, ut abeamus ad habitandum perpetuò in domo Dei Noſtri: *In domum Domini ibimus.* O! quàm magna eſt habitatio illa! O! quàm eſt beata! Satis eſt, quòd noveris, eam eſſe habitationem Deô dignam. *O Iſraël! quàm magna eſt domus Domini, & ingens locus poſſeſſionis Ejus!* Et hæc tamen intra breve temporis ſpatium noſtra etiam erit habitatio. At etiamnum illius non es ſecura; propterea times, propterea me conturbas. *Quare triſtis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo.* Spera in Domino illo, qui infinitè propenſus eſt ad bene tibi faciendum; qui eſt infinitè ſapiens in inveniendis mediis ad idipſum præſtandum; qui eſt infinitè potens ad idem efficiendum. *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Si Ille nos velit eſſe ſalvos, quis condemnare nos poterit? Verum quidem eſt, quòd tua miſeria, quòd tua peccata ſint magna nimis; ſed nihilominus ſemper ſunt infinitè

finitè minora miſerationibûs Illius. Non meminiſti, quoties bonum hunc Dominum appellaveris Patrem? Jam verò quis Pater infirmitates filiorum ſuorum non miſeratur? Erige te igitur, quia multò magis Divinus Pater nos miſerabitur. *Quomodo miſeretur Pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentibus ſe, quoniam Ipſe cognovit figmentum noſtrum.* Deinde, ſi nos Ille damnare voluiſſet, non debuiſſet nobis Redemptorem mittere ſuúmmet Divinum Filium, nec Eundem nobis poſtea relinquere Advocatum. Numquid enim cauſam noſtram etiamnum agit JESUS Chriſtus? *Advocatum habemus apud Patrem JEſum Chriſtum juſtum.* Numquid pro nobis loquuntur Illius Vulnera? Numquid Ille ſua nobis merita ceſſit, dum ſacratiſſimi ſui Sanguinis pretiô Patris ſui miſericordiam nobis emit? In Illo itaque ſperemus! *Spera in Deo.* Ecce igitur, ô Pater æterne! ſervum illum indigniſſimum, adeò à Te amatum, ut ipſum Unigenitum tuum pro illo dederis! Fac, ut in hac ultima hora mea mihi non pereat pretioſus Ipſius Sanguis! In manus tuas commendo hanc animam meam peccatricem, ab Ipſo redemptam: *In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.* Videre Te deſidero, ut æternùm Te adorem, & amem, ut in cœlo ſuppleam obſequium illud, quod in terris Tibi præſtare tantopere neglexi. Tu ma-

num operi tuo porrige, dum interea, omnium Beatorum Spirituum choro ſociatus, anticipatò jam ſtatuo, in tuum honorem, ô mi Deus une & trine! inchoare ſublimem illum Cantum, quem per totam æternitatem ſine fine me cantaturum ſpero: *Sanctus, Sanctus, Sanctus. Amen. In æternum, & ultra.*

Cæterùm continuus per ſingulos menſes Exercitii iſtius uſus animam tuam mille bonîs replebit, præcipuè verò duobûs. Primum erit, quòd, ſi forſan in hora mortis tuæ hos Actus exercendi tempus habiturus non eſſes, Deus (ùt ipſèmet S. Gertrudi dixit) ſit illos acceptaturus, veluti ſi ſub horam mortis eos exercuiſſes; tibique pro obitu tuo, cæteroquin adeò periculoſo, benedictionem ſuam ſit imperititurus. Alterum erit, quòd, ſi eos exercendi tempus habueris, ſis animadverſurus, te bonam in iisdem exercendis conſuetudinem contraxiſſe; non aliter, ac is, qui privatim bene didicit, quod in Actione publica ipſi recitandum eſt, magna poſtea cum libertate id in theatro pronuntiat; cùm è contrario ille, qui privatim ſe non exercuit, in publico dein fere quolibet momento ſive in verbis, ſive in modo agendi offendat.

Si interdum difficile tibi accidat, ut unica ſolùm die menſis collecta hæc quatuor pietatis exercitia obeas, dividere illa in triduum poteris, ita, ut matutino primæ diei tem-

tempore primam meditationem, ſecunda die ſecundam peragas, tertiâ verò S. Communionem obeas; Ad SS. verò Eucharistiæ Sacramentum bis primâ, bis ſecundâ, tertiâ denique hujus tridui, tam gravi negotio conſecrati, die ter inviſas; ſemper tamen tibimet imagineris, hanc præparationem fortaſſis fore ultimam, quam in omni vita tua facturus ſis, & tecum ipſo identidem illud repetas: *Neſcio, quamdiu ſubſiſtam, & ſi poſt modicum tollat me factor meus. Job. XXXII. v. 22.*

Domine JEſu Chriſte! per amaritudinem illam, quam ſuſtinuit nobiliſſima anima tua, quando egreſſa eſt de benedicto Corpore tuo, miſerere animæ meæ peccatrici, quando egredietur de corpore meo. Amen.

Ad majorem Dei Gloriam.

MAG 295

Digitized by Google

Menda.

Pag.	Lin.		
4.	18.	occuparent *Lege*	occuparet
264.	6.	in tua — —	in ſua
265.	28.	debitis — —	debilis
282.	5.	non vis, *Adde*: per regione laqueis plenam incedis, & o-culos aperire non vis,	
292.	18.	experire *Lege*	experiri
298.	18.	videndi —	vivendi
326.	14.	negari poteſt —	non poteſt
428.	27.	illius —	Caritatis
524.	14.	horrendum —	horrendùm

Reliqua prudens & benignus Lector facilè corriget, & condonabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google